


Orat. latin.


6
10-e
5


6
8 D
6






Q. ASCONII

PAEDIANI PATAVINI AD filios COMMENTARII eruditiſſimi, in aliquot inſigniores M. T. CICERONIS Orationes, incredibili ſtudio & diligentia ſingulari, adhibitis corrogatisq; vndique exemplaribus, ac ex diuturna coniectura, iudicioque doctorum virorum in hanc editionem collato plus quadringẽtis locis caſtigati & reſtituti,

IN IIII Verrinas.
IN L. Piſonem.
PRO M. Scauro.
PRO T. Annio Milone.
PRO C. Cornelio, de maieſtate.
IN L. Catilinam & C. Antonium competitores.





HIS adiecti ſunt ANTONII LVSCHI Vincẽtini in XI Ciceronis Orationes Commentarii, qui facilem nobis veluti Methodum in reliquis eius Orationibus artificii adamuſſim examinandi inueniendique præſcribant.





PARISIIS
In ædibus Ioannis Parui, via ad D. Iacobum, ſub ſigno Lilii Aurei M.D.XXXVI, Menſe Maio.

IACOBO LODOICO, Viro doctissimo, Ioannes Lodoicus S.

QVum cætera ASCONII monuměta desint, ex quibus cognoscere possemus quàm exacta cum eruditione, tũ iudicio, in scriptis Ciceronis examinandis interpretãdisque fuerit, hæc fragmenta, quanuis exigua & lacera, quæ nobis reliqua tanquam ex naufragio supersunt, abunde, & plane quod aiũt, leonem ex vnguibus ostendunt. Quæ quum legimus, reliquarum eius accuratissimarum lucubrationum summo desiderio nõ teneri non possumus. quippe qui hæc ipsa quali acũq; adhuc fuerunt, adeo necessaria intelligamus, vt sine iis multa antiqui moris instituta, Ciceronis loci nõ pauci obscuriores intelligi nequeant. ac vehemẽter errare eum sit necesse, qui PAEDIANVM non fuerit secutus. Quanto bono Ciceronianæ lectionis studiosis esset, si nobis hic integer diuinitus aliquando tãdem daretur. quod vt in cæteris est veterum monumentis deperditis deplorandum, sic in hoc vel maxime. Quum igitur hunc authorẽ non ignoraremus studiosos, multos iam menses in nostra academia desiderare, & a prioribus editionibus legendis, horridis immanibusq; mẽdis deterreri, pro nostro in hoc genus affectu, animo alacri, studioque maximo, consulendum labori multorum, succurrendum Ciceroni, ASCONII lucubrationibus suũ esse precium reddendum, quãtum fieri posset, putauimus. Summa itaque diligentia conquisitis vndique codicibus, iisque collatis, cum in his parum esset præsidii ad ASCONII instaurationem, coniecturam aduocauimus, nõ vnius aut alterius horæ, sed dierum sæpe multorum: qua non pauca, vt spero, prospere cesserint. Porro in quibus nec codices prodesse, nec coniectura iuuare poterat, doctos consuluimus: præsertim Gulielmum Budæum, & Lodoicum Aluarem Lusitanum, quorũ codicibus in hac nostra editione, vt cæteros taceã, vsi sumus. vt affirmare sine mendacio & fuco possim, plus quadringentos locos exiguo in libello emẽdatos. eoq; effectum iam, vt qui antea non nisi cum grauissima animi molestia deuorabatur, magna cum voluptate, pariq; vtilitate legi possit. Quod tamen non ita accipi velim, vt nulla doctioribus

relicta sint:sed ea esse huiusmodi, vt aut codicem vetustissimum,aut hominem diuinum prorsus requirāt. Quo in genere si elaborare velles,plurimum in primis te posse,nō mihi solum,sed aliis etiam plurimis persuasum est, qui iam in optimis authoribus fidem fecisti:ad quæ in lucem proferenda te animum inducere par est. Quocirca nemini iustius hic labor dedicari posse mihi visus est, q̄ ei qui in restituendis authoribus enarrandisque summa fide operam iamdiu nauarit.Accipe igitur hoc quicquid est,alacri animo,pignus meæ in te beneuolentiæ, ac laboris mei testimonium, qui hisce in rebus author & dux esse omnibus potes:& tantū in hoc genere te velle,quantum potes,declara. Vale.


Ex Officina nostra Libraria, 1536. Mense Maio.

LOCA aliquot in melius restituta,Indice colligēdo deprehēsa. Pagina 8,vers.35,quia ipse Siculos &c.quia ipse Hortensium inducit loquētē,legēdū videtur ex cōtextu Cic. 15, 25.authores,actores rectius. 25,18 Crumenæ & velleæ,vulgæ seu bulgæ quidam legunt. 29,5, credidit non ab Oppianico natam, ex Cluentiana Ciceronis, & fide historiæ legendum putarim. 30, 3,tum & regi. 33, 34, Cn. Pisone Cos.fuit.quo anno C. Gracchus. Si rationē temporis & ordinē Consulum spectes, hoc loco L. Pisone & Tib. Gracchus legēdū erit. Caius enim periit Mario & Valerio Coss. Qui error fere in omnibus Coss.apud Asconium obrepsit. 37,28,dicebantur à Prætore.fortasse ducebantur. 39. 36 hoc genus defensionis. defensoris fortasse. 62, 1, aut AEdiliū,aut vacare videtur, 61,21,Verbum est res. 66,27 quæ denique. 75, 20, Caluētium aiunt eum appellatum. Sed eius Pis. 90, 35,tum etiam populi.

INDEX EORUM QUÆ APUD ASCONIUM ANIMADUERSIONE DIGNA.

FINIS.

Q. ASCONII PAEDIANI PATAVINI COMMENTATIO LOCORVM OBSCVRIORVM EX PRIMA ORATIONE M. TVL. CICERONIS IN C. VERREM, QVAE DICITVR DIVINATIO.



ARGVMENTVM.

CN. POMPEIO primum, & M. CRASSO coss. C. Verres perfunctus Quæstura, Legatione, Prætura Vrbana, patre C. Verre, & Prætextato filio, & filia nupta, vxorem habens, cum successisset in Sicilia C. Sacerdoti Prætori, eámque non sibi succedente Arrio per triennium tenuisset, atque in ea fuisset libidinose, auare, crudelitérque versatus, succedente tandem in eadem prouincia Metello, Repetundarum reus ab Siculis postulatus est. qui omnes præter Syracusanos & Mamertinos Marcum Tullium illo tempore florentem defensionibus amicorum, ad accusandum descendere compulerunt: iam pridem illis necessitudine copulatum, quòd Quæstor in Sicilia fuisset Prætore Sex. Peduceo: & cum decederet, in illa oratione quam Lilybæi habuit, multa his benigne promisisset. Accessit his non ignobilis futura de Verre victoria, quia à Metellis, Scipionibus, & multis aliis nobilibus viris, & præcipue ab Hortésio ipso defenderetur, facile & Principe in Senatu propter nobilitatem, & in foro ob eloquentiam Rege causarum, & eodé COS. designato cum Q. Metello, fratre Metellorum, alterius Prætoris Siculi, alterius Vrbani. His ita cõstitutis extitit Q. Cecilius Niger, homo Siculus, & Quæstor Verris, & eiusdem (vt ipse dicebat) inimicus, qui se potius accusatorem contenderet cõstitui oportere, has adferens caussas: Vnam, quòd ab eo læsus, & ob hoc iure illi sit inimicus, quare præuaricator esse non possit. Al-

Verres repetũdarũ postulat• a Siculis.

Hortẽsius.

Q. Cecilius Niger

Quæstio pro Quæstura. teram, quòd cum Quæstor ei tum fuerit, etiã ipse in quæstione crimina nouerit Verris. Tertiam, quòd Siculus pro Siculis agat. Huiuscemodi propositionibus Cicero designatus AEdilis, his capitibus respondet. Accusatorem eum esse oportere, qui inuitus cogitur religionis officio, rogatus ab omnibus Siculis. Qui pro R. P. agat. Quem volunt qui accusant, quem metuit qui accusatur. Qui idoneus est facũdia innocentiáque. Qui hoc facit imitatione maiorum. DIVISIO principalis vna, de se ipso. Altera, de contentione sui & Cecilii. DIVINATIO dicitur hæc oratio, quia nõ de facto quæritur hac coniectura, sed de futuro: quæ est diuinatio, vter debeat accusare. Alii ideo putant Diuinationẽ dici, quòd iniurati Iudices in hac causa sedeãt, & quod velint præsentire de vtroq; possint. Alii, quòd res agatur sine testibus, & sine tabulis: & his remotis argumenta sola sequantur Iudices, & quasi diuinent. Agitur enim causa Senatoriis iudiciis in inuidia apud populum constitutis: corruptione multorum vexatis prouinciis omnibus, ac sociis populi Romani infestis: toto orbe terrarum accusatoribus præuaricatione infamibus: flagitãte plebe iudicia Equestris ordinis, quæ fere ante annos x Victor Sylla sustulerat: cognoscente de pecuniis repetundis M. Glabrione Prætore, & amplissimis quibusque Senatorii ordinis iudicantibus, summa expectatione cũctorũ. GENVS causæ, Honestũ. STATVS, Qualitas Negocialis Comparatiua, de constituendo accusatore, qui potissimum de duobus, aut qui solus accuset. Dicit enim Cecilius, aut à se accusandũ esse Verrẽ, aut à se quoq;

Cic. AEd.

Accusator quis & qualis esse debeat.

Diuinatio

S I QVIS VESTRVM IVDICES,) Hæc tota, capite solœcismi, species cōtinetur, nisi addas ET, aut IDEM. vt sit, ET NVNC SVBITO mutata voluntate ad accusandum descenderim.) Quare multi non descenderim legūt, sed descēdere. EORVM QVI ADSVNT. Coronam populi dicit circū subsellia stantem. CAVSIS iudiciisque publicis.) Causæ etiam priuatæ sunt: sed Repetūdarum, Ambitus, Maiestatis, & cæteræ, Reipublicæ causa constitutæ sunt. VNA ET id quod facio probabit) Principalis Diuisio huius causæ bipartita est, Vtrū recte Cicero accuset: &, Vtrum Cecilio sit anteponendus. Causæ priuatæ & publicæ.

SICVLIS omnibus,) elatorie. Cum enim à duobus Quæstoribus Sicilia regi soleat, vno Lilybætano, altero Syracusano: ipse vero Lilybætanus Quæstor fuerit Sex. Peduceo Prætore, omnibus tamen se placuisse dixit. CVM QVAESTOR.) Narrationem in exordio multi admirantur hac reprehensione: sed non recte. est enim Argumētalis Narratio ad priorem diuisionem: in qua quæritur, an recte Cicero ex defensore, accusator effectus sit. VETERIBVS PATRONIS MVLTIS) Siculi veteres patronos habebant, in quibus Marcellus à Marcello ortus, qui Syracusas victor seruauit incolumes: Scipiones, quorum author P. Scipio Africanus, Carthagine excisa Siciliæ ornamenta retulit sua, quibus quondam à Pœnis victoribus spoliata erat: Metelli, quorum familia proxime Siculis patrocinium præbuit, cum fuerit Lepidus in ea prouincia Prætor, instantibus ad accusandum eum Metellis duobus, Celere, & Nepote. POPVLATI ATQVE VEXATI.) Populati, auaritia: Vexati, libidine, & crudelitate. CVNCTI.) Simul omnes, quasi coniūcti. IN CAVSIS, Iudiciisq; publicis) Iam hoc contra Cecilium est, qui nunquā sui periculū fecit. CAVSAM defensionemque) Causæ ingerunt quasi iustæ defensionem. & mire defensionem vult esse, non accusationem.

Sicilia a duob. quæstoribus regitur
Narratio in exordio
Siculorū patroni.



Populati.
Vexatus.
Cuncti.

SAEPE esse pollicitum) In ea oratione, quam decedés Lilybæi habuit. VENISSE tempus aiebant.) Vt Terentius, Hoc hercle factum est, fac vt promissa appareant.

ὀξύμωρα SESE IAM ne deos quidem in suis) Mire imitatus est verba Siculorum dolore oxymora, & inania: quasi deos non habeant, qui simulacra perdiderunt. Delubra templa esse hic aliter ostendit Tullius, aliter cum dicit, Templis at-

Delubra Templa. que delubris. Sunt & qui TEMPLA esse dicant, singulorum diis attributorum locorum: DELVBRA multarum ædium sub vno tecto à diluuio pluuiæ munitarum. Alii Delubra dicunt ea templa, in quibus nũc sunt delubra corporum abluendorum more Dodonæi Iouis, aut Apollinis Delphici, in quorum delubris Lebetes Tripodesq; visuntur. Sunt etiam

Delibrata qui Delubra ligna delibrata, id est decoriata pro simulacris deorum more veterũ posita existiment, sed male. PER TRIENNIVM.) Expectabat Arriũ prouincia Sicilia successurum Verri, qui non successit: hinc in triennium Ver-

Rogare Orare. ris Prætura durauit. ROGARE & orare.) ROGARE vt hominẽ: ORARE, vt deos. Iam enim quibus id facerent, non habebant. QVOS ME incolumi nemini supplices esse oporteret) Superbissimum videretur, si addidisset alteri, vt esset nemini alteri. nam hoc non addidit, quasi nec ipsi Tullio supplicare debeant intelligitur. quanquam cum anaphora sit ad personam Siculorum, non videtur inuidiose orator dicere, quæ Siculos dixisse cõmemorat. GRAVITER & acerbe,) Grauiter, quòd accusare nolebam: acerbe, quòd Siculorum iniuriis affligebar. MVLTORVM bonorum exemplo,) Ipse mox dicet, quo exemplo optimorũ virorum. VETERE consuetudine,) Qua viri robustiores accusare consueuerant: non, vt nunc, adolescentuli. NON tam ex meo) vt Cecilius, qui inimicitias prosequitur suas. IN ACHAIA, Asia) In his prouinciis Legatus, & pro Quæstore Dolobellæ C. Verres flagitia multa commisit. ROMAE denique) In Prætura Vrbana. POPVLATAE, vexatæ) Nõ à Verre tantum, sed ab omnibus. hoc enim vult intelligi, prodesse velle R.P. accusationis exemplo. SOCII.) Nõ Siculi

tantum, sed per omnes prouincias. ACCVSATORES SE IDONEOS non habere,) Cecilium tangit P O. R O. Interea tametsi multis incommodis) His enim x annis victore Sylla ciuilibus bellis, spoliatus est Populus Romanus potestate Tribunitia, iudicandi iure, quod habuit per Equites Ro.* militari arbitrio creandorum Sacerdotum, Senatus, aut Iudicum. DIFFICVLTATIBVS,) Propter plebem rusticam, quæ partim agros, partim ius ciuitatis amisit, partim omnino proscripta est victore Sylla, quòd plebs Romana de Marianis partibus fuerit. DIFFICVLTAS enim paupertatem significat. Terentius è contrario, Quàm vos facillime agitis. Et ipse alibi, In summa difficultate esse numaria. IVDICIORVM desiderio Tribunitia potestas efflagitata.) Primus Siccinius Tribunus Pleb. nec multo post Quintius, & postremo Palicenius perfecerant, vt Tribunitiam potestatem populo darent COSS. Cn. Pompeius Magnus, & M. Licinius Crassus. ORDO QVOQVE alius ad res iudicandas postulatur.) T. Gracchus legem tulerat, Vt Equites Ro. iudicarent: iudicauerunt per annos XL, sine infamia. Post Victor Sylla leges tulerat, Vt Senatorius ordò iudicaret: & iudicauit per x annos turpiter. Nunc Aurelius Cotta legem fert, Vt Senatores, & Equites Ro. ac Tribuni AErarii simul iudicet. Hoc est quod Tullius dicit offensiõe Senatorii ordinis fieri. & benè addit QVOQVE, vt simul iudicaturos alios esse monstraret. ETIAM Censorium nomen.) Regendis moribus ciuitatis CENSORES quinto quoque anno creari solebant. Hi prorsus ciues sic notabant, Vt qui Senator esset, eiiceretur Senatu: qui Eques Ro. equum publicum perderet: qui Plebeius, in Ceritum Tabulas referretur, & ærarius fieret: ac per hoc non esset in albo Centuriæ suæ, scilicet ad hoc, vt esset ciuis, sed tantummodo vt pro capite suo tributi nomine æra penderet. Iidem completo quinquennio, lustrabant, & SOLITAVRILIA sacrificia de sue, oue, tauro faciebant. Eorum notam successores plerũque soluebant. Hoc igitur tam triste, seuerumque nomen Populus Romanus sic oderat, vt intermissum esset per plu-

Tribunitia potestas spoliata toto decennio.

Difficultas.

Lex Grachana iudiciaria, Syllana, Aurelia.

Censorũ nota quæ.

Solitaurilia

rimos annos, quod nunc Orator propter infamiam corruptorum Iudicum, dicit plebem ipsam, quæ ante recusabat, exposcere. IN HAC LIBIDINE HOMINVM NOCENTISSIMORVM.) Qui prædantur socios Populi Romani. TOTIVS ORDINIS) Senatorii scilicet. COGNITOREM IVRIS SVI.) Qui defendit alterum in iudicio, aut PATRONVS dicitur, si orator est: Aut ADVOCATVS, si aut ius suggerit, aut præsentiam suam commodat amico: Aut PROCVRATOR, si negotium suscipit: Aut COGNITOR, si præsentis causam nouit, & sic tuetur vt suam. Ergo cognitorem dixit modo, familiarissimum defensoré.

Patronus Aduocat. Procurator. Cognitor

DE QVO NON PRAEIVDICIVM, SED PLANE IVDICIVM.) PRAEIVDICIVM dicitur res quæ cum statuta fuerit, adfert iudicaturis exemplum quod sequantur: IVDICIVM autem, res quæ causam litemque determinat, idque præiudicium de Verre iam factum est * iudicium est eum spoliauisse prouinciam esse, quod Siculi, qui antea publice testimonium dixerant. ACTOREM causæ suæ) contra Verrem Tullium quæsisse. NE NIMIVM FAMILIARITER INIMICITIAS.) Sensus est, per iocum hoc significans: quasi dicat, video Cecili, ne nimium amice inimicitias exerceas: hoc est, ne inimicum fingas, vt præuaricari possis. DEINDE SVNT TESTES VIRI CLARISSIMI.) Ordo & sensus hic est, primum causam inimici tui subleuando, non videberis accusator: deinde testimoniis conuinceris, in eo quod negas, me à Siculis esse delectum. SCIT IS QVI EST IN CONSILIO C. MARCELLVS. SCIT IS QVEM ADESSE VIDEO, CN. LENTVLVS MARCELLINVS.) Et Marcellus & Marcellinus inter se gentiles sunt. quare reddidit rationé cur isti Siculorum patroni sint, scilicet quia à M. Marcello originé ducant, qui Syracusas cepit, nec tamen deleuit. VESTRVM iudicium ab suo iudicio.) Non dixit ab sua volūtate, vt præscribat iudicibus sequēdos esse Siculos, quod

Præiudicium Iudicium. Marcell. Marcellinus.

paulo ante tentauit. DVO CRIMINA VEL MAXIMA.) Per vnā furatus est, Syracusanā: per alteram, furta exportauit, hoc est Mamertinam. Sed leuiter hoc præterit, quòd illos quoque conatur à laudatione Verris abducere. Syracusanorum autem crimina, lis etiam de Heraclii bonis, quæ cum Palæstritis partitus Verres est, & de Cleomenis Nauarchi flagitio, & de aliis multis rebus interpretatur. Mamertinorum, de naui quam Verri fecerunt, & quam P. R. ex fœdere non exhibuerunt, multis aliis immunitatibus contra fas remunerati. Et duo crimina, generaliter: nam multa sunt. VT OCVLIS IVDICARE possitis.) Hoc quidam leuiter à Cicerone dictum, & neoterice putāt: sed aptum est adseuerationi. CVR hoc mihi detrimento esse debeat.) Cur hoc me in hac causa debeat impedire. TEMPORIS, VALETVDINIS, facultatis.) Temporis, Marcelli iudicantis tunc: Valetudinis, Marcellini, quòd erat tunc infirmior valetudine corporis: Facultatis, alterius Marcelli, iuris magis studiosi quàm eloquentiæ. QVAM NEMINEM.) Ac per hoc neminem, Cecilium significat. CIVILI FERE ACTIONE, & priuato iure repetuntur.) Recte, hoc enim iudicium pecuniarum repetundarum publicum est. HANC HABENT ARCEM.) ARX, vel sedes tyranni dicitur, vt sæpe alibi: vel editus in ciuitate, & munitior ad salutem ciuium locus: vt Virgilius,

Oculis iudicare.

Arx.

Quo res summa loco Panthû, quā prēdimus arcē? Ergo prima spes in muris est, secūda in arce, si muros hostis irruperit. NON MODO A POPVLO ROMANO.) Cur a Pop. Romano si socialis est? quia ipsi socii Pop. Rom. sunt. SESTERTIVM MILIES EX LEGE REPETO.) Frustra calumniantur Ciceronem homines, modo eum sestertiûm millies dicunt repetere, modo quadringenties: cum primum non suo ore, sed Siculorum loquatur accusatoriè vociferantium. Deinde si maxime ad eū sunt referenda quæ dicit, adhuc non instructus sit contra Verrem, nec ad plenū nouerit causam. Tertio cur aut calumniatoris, aut præuaricatoris personā subeat, cū

aliud agatur. non enim de condemnando Verre, sed de constituendo accusatore confligitur. Postremo cur id fraudi sit Ciceroni, cum ad tempus oratorum dicta proferantur: nàm eodem modo erit contrarium præsenti actioni quod alia dicit oratione, iri victum à se Cecilium, qui idoneas causas ad accusandum Verrem multas protulisset. QVOD IN vnaquaque re.) Leges Hieronicas Rupiliásque dicit, aut regis sui, aut Rupilii de x Legatorum sententia constitutas. ERIPVISTI atque abstulisti.) Eripuisti quicquid auri, & gēmarum: abstulisti quod in vnaquaque re beneficio Senatus Pop.q; Ro. iuris habuit. SI TACENT, satis dicunt.) Tale illud est, Cum tacent, clamant. &, Victoriam ipsam vicisse videaris. &, Philosophandum est, etiam si non est philosophandum. Hæc in loco, nec Oxymora, nec Cacozela iudicanda sunt: aut enim inferioribus dictis, aut supra positis leniuntur: vt est illud, Vereor vt hoc quod dicā perinde intelligi possit auditu, atque egoipse cogitans sentio: & illud quod sequitur, ACCEDERE aut aspirare.) ACCEDERE est proximum fieri. ASPIRARE, in eā partem qua quid quæsitum est, vultum & oculos ac spiritū oris aduertere. ET QVIS vnquam tam palàm de honore, tam vehementer de salute sua contendit?) Bene distribuit. Omnis enim studiosa contentio, aut de honore, aut de salute præcipua est. NON ENIM, INQVIT, ILLVD peto quod soleo, cum vehementius cōtendi impetrare.) Acriter ipsum inducit Hortensium confiteri consuetudinem suam in corrumpendis iudiciis peruagatam: & addit videri sibi tantundem impetraturum à iudicibus corruptis si Cecilius accusator constituatur, quantum si plane absoluatur Verres. Et est ordo & sensus, Non enim, inquit, illud peto quod soleo impetrare à iudicibus, cum vehementius cōtendi. quid? hoc scilicet, reus vt absoluatur. Id peto cū vehementius contendi, cum pecuniam iudicibus dedi. significat iudicium corrumpi. sed quare nō aperte dicit? quia ipse Siculos inducit loquentes, & omnes homines facinora sua honestius leuiúsque pronunciant. QVOD facile est, quod honestum, quod non inuidiosum.) Scilicet vt à Ce-

Oratorū dicta. — Leges Hieronicæ & Rupiliæ. — Oxymora — Cacozela — Accedere. — Aspirare. — Contētio studiosa. — Hortēsius iudiciorū corruptor.

cilio Verres accuſetur.quo facto, & non damnabitur reus:& cum hoc egerint iudices,tamen non videbuntur eſſe corrupti,cum tantundem fecerint. CVIVS EGO cauſa laboro.) Inepti ſunt homines, qui hanc clauſulam notant vt malã,cum ſit ex ſpondeo & bacchio de induſtria durior, ad exprimendam ſententiam poſitam,more Ciceronis: vt alibi idem, Nõ tu eum patria priuare qua caret, ſed vita vis. Pro Lig.

TE IPSVM vlciſcantur.) VLCISCOR, & punio ſignificat & vindico:nunc ergo puniant,intelligemus. Vlciſcor.

A PVERIS nobilibus.) Appiò Claudio adoleſcente nobili, qui cum accuſaret Terentium Varronem repetundarum ex Aſia,victus ab Hortẽſio eſt.in quo iudicio diſcoloribus cæris ſigna ſententiarum notabantur. Significat & Cæſarem item adoleſcentem in Dolobella reo ex Sicilia,qui quidem damnatus eſt, quantũ potuit per Hortẽſii gratiam. nam ſi non damnatus eſt Dolobellã,quomodo poſtea dicit Tullius,Iamiam Dolobella, neque me tui,neque tuorum liberûm,quos tu miſeros in egeſtate ac ſolitudine reliqſti miſeret. Poteſt ſignificare ſane etiam Scaurum, qui alterum Dolobellam cõſularem triumphalẽq; accuſauit, & potuit eidẽ Hortẽſio reſiſtere. Terentius Varro re⁹ Cæſar Dolobellam & Scaur⁹ accuſant.

SI A QVADRVPLATORIBVS.) Quadruplatores delatores erãt criminũ publicorum, in qua re quartam partem de proſcriptorum bonis, quos detulerant,conſequebantur. Alii dicunt Quadruplatores eſſe eorum reorum accuſatores,qui conuicti quadrupli damnari ſoleãt,aut aleæ,aut pecuniæ grauioribus vſuris fœneratæ quàm pro cõſuetudine,aut eiuſmodi aliorum criminum. Quadruplatores. In quadruplum accuſabantur pecuniam grauioribus vſuris fœnerãtes

ALIQVIS metus adiunctus ſit ad gratiam.) Id agit corruptor,vt gratioſus iudex non ſolum velit ſeruare corruptori ſuo fidẽ,verum etiam aliquid habeat cur vel inuitus cogatur àd cuſtodiendam pactionem promiſſæ à ſe gratiæ.Quid autem eſt,quod metum adiungat ad gratiam?ſcilicet aut cuſtos,aut ſignũ,aut aliquid eiuſmodi. NON ENIM ſingulos ferre ſententiam, ſed vniuerſos conſtituere.) In Diuinatione, & in aliis cauſis maioribus,vniuerſi iudices in Ciſtam tabulas ſimul coniiciebãt ſuas,eàsque inſculptas literas habentes abſolutionis,ſiue condemnationis Iudicandi mod⁹ per tabellas.

Ampliationis nota. cum de alicuius capite agebatur, N & L ampliationis: his enim literis significabant, non liquere. CERTOS.) Aut ob hoc, vt sententiam suam cur quisque damnaret, aut cur quisque absolueret proscripsisset. & ideo certos quasi sequestres huius rei inter iudices se habere dicit Hortensius, quibus anteq̃ tabulas in vnum omnes coniiciant atque cōfundant, furtim ostendant, quam quisque sententiam cō stituendo accusatori conscripserit. Vult ergo corruptionis tantam solicitudinem circa iudices esse Tullius, vt hac religione iniecta pro se iudicent. Singuli autem sententiam de tabula pronunciabant in leuioribus causis, & ob id ipsum neque nota, neque custode opus fuit, cur corruptor iudicum adiungeret metum ad gratiam iudicatis. CONSTITVERE autē tabulas, in cista ponere significat magis, quàm decernere.

Sententiæ de tabella in causis leuiorib.

Constituere tabulas

CAERATAM vnicuiq; tabellam dari cæra legitima.) * Varro cōsobrinus frater huic censi reus ex Asia apud L. Furium Prætorem primo de pecuniis repetundis: deinde apud P. Lentulum Suram est accusatus. Absolutúsq; est à Q. Hortensio, qui corruptis iudicibus hunc metū adiunxit ad gratiam, vt discoloribus cæris insignitas iudices tabellas acciperent: vt timeret vnusquisq; eorum, ne fidem pactionis nō seruare videretur, si non in tabula quam vnicuiq; datam meminisset Hortensius ex nota cæræ scilicet discoloris absolutum Varronem reperiret. NON ILLA infami, ac nefaria,) Mire ex ipsius Hortensii persona hoc dicitur, quæ sæpe virtus maxima Ciceronis in huiusmodi allocutionibus inuenitur. AD VIROS fortes.) Quàm graue fuerat, si ad me diceret, cum de illo specialiter nominatimq; dicat. & viros, contra pueros nobiles ponit: spectatos, contra sordidū quadruplatorū genus. TOTAM esse mutandam.) Amarè totā dixit, quasi ex nulla parte bonā rationē defendendi habeat Hortēsius. MELIORE & honestiore conditione sit.) Id est, meliorē conditionem habeat, meliorq; sit: quippe qui & possit & debeat honeste agere, & hoc sit facilius quàm corrumpere iudices. EOS homines quos ipse vidit.) Bene, ipse vidit. Maior enim est Hortēsius Tullio: adeo vt in libris qui de Oratore scribuntur, etiā laudetur Hortensius à L. Crasso, & M. Antonio: hos autem

Spectatus vir.

Maior.i. antiquior.

Cicero Catonemque veneratur, & multos alios, quos & de Oratore, & in Oratore, & Bruto collegit. sed Crassum & Antoniũ vidit Hortensius: alii vetustiores sunt. SINE magno multorum periculo posse corrumpi.) Bona occasione subtiliter & iudicibus comminatur, & Siculis acrimoniam suã in accusando demõstrat. SVSCEPTAM.) SVSCIPITVR totum, RECIPITVR pars. Recipitur quod hinc pendet: solum aliquid propter se suscipitur. VT MIHI non vnus improbus.) Verres. OMNINO improbitas.) Et corrupti Iudices, & Corruptores eorum, & Sequestres, & Interpretes, & Emissarii, & omne quod vitii est.

Suscipere Recipere

Sequestres. Interpretes. Emissarii

TV TE tui periculum,) ἀπὸ τῆς πείρας, Tentamentum dicit: hoc est, quando tu te ipse tentasti? quando vel exercuisti, vel pertulisti? VITAM alterius totam explicare.) Præstruit ad illud quod dicturus est, multa esse crimina in Verre quæ conscius societatis Cecilius non audeat attingere, & hoc innocentiæ est, Vitam alterius totam explicare: Illud eloquentiæ, ATQVE ea non modo in animis Iudicum:) Et quod sequitur, SOCIORVM salutem, commoda prouinciarũ,) Hoc est, causam patriæ suscipere, & recipere singulorũ. RATIONEM vitæ reposcere,) Accusatorẽ esse. SVAE reddere.) Defensorem. DEINDE accusatorem firmũm, verumque esse.) Firmum, vt possit: Verum, vt velit. VT EST hominum genus.) Amariora dicturus ad Siculorum personam contulit dicta.

NISI à Siculis potuisse cognosci.) Quia aut Siculus ipse est, aut quia nisi Quæstor in Sicilia, nihil aliud fuit Cecilius in quo nosceretur, quid hominis esset. DEPORTARE literas.) Asportare aliquid, vt intereat. Deportare, vt mutet locũ. POTAMONẽ scribã, & familiarẽ,) Hæc omnia signa sunt falsi accusatoris. LECTISSIMŨ adolescentẽ.) Vera laudatio, vult enim illũ non vt inimicũ fratris cõtra germanitatis officium esse cum Verre: sed ideo, ꝙ Cecilius quoq; Verri carior sit. QVERitur Sicilia tota.) Inepte quidam mirantur, cur hæc Tullius in accusando Verre non obiecerit Cecilio, & multa alia. at non intelligunt, hæc ad tempus commode adiungi, quæ victo Cecilio non sunt

Asporto. Deporto.

necessaria. FRVMENTVM sibi in cellam.) Annonam Prætoris dicit, quæ in frumenti certo numero præbebatur ab Siculis: in quibus Verres, & pecuniam pro frumēto exegit, & eo precio, vt pro duobus sestertiis duodenos per modios singulos exegerit, sexies plus quàm emebatur.

Decumanum frumentum, Emptum, Aestimatum.

EMPTVM est ex s. c. frumentum à Siculis.) Sicilia dabat DECVMANVM frumentum, hoc quod ab aratoribus exigebatur sine precio: dabat EMPTVM, pro quo ex s.c. pecunia soluebatur: AESTIMATVM, quod decretum Prætor in Cellam, hoc est in vsus Cellæ æstimare solebat accipiens, cum interdum pro frumento pecuniam sumeret.

Senatoris administratio. Deductio

PECVNIAM publicam tu tractabas.) Hæc erat prima Senatoris administratio, Quæstorem fieri, & in prouincia curam gerere pecuniæ publicæ in vsus diuersos erogādæ. NEQVA deductio fieret.) Modo DEDVCTIO dispēdiū significat, aliàs Deductio imminutio est etiā iusta.

Mancipes

MANCIPes à ciuitatibus.) MANCIPES sunt publicanorū principes, Romani homines, quī quæstus sui causa decumas redimunt, aut portoria, aut pascua publica. Quorū ratio SCRIPTVRA dicitur. Hi enim exigenda à sociis suo periculo exigunt, & R.P. repræsentant: prouidētes etiam in illa redemptione commodis suis. Licet autem si moderate fiat, æstimare in cellam Prætoris frumentum: mancipes pro frumento ab aratoribus pecunias accipere non licet.

Scriptura vide Nonium & Festum.

Defensio vera & inanis.

QVOD cū faciebat,) Est Vera defensio, est Inanis, vt aliquid dici videatur: neutrum horū habuit Verres, & tamen faciebat miser. ostendit auaritiæ cæcitatem. SVNT alia magis occulta furta.) Inepte à quibusdā quæritur quæ sint: nulla sunt enim: sed oratorum est, neq; minuere laudes vel crimina, neque ostendere: furem autem esse designant.

BENIGNISSIME cum Quæstore suo communicauit.) Iocularitér irrisit, vt tota ista Quæstura ad societatē furtorum valeat, non ad accusationem. SI TIBI indiciū postulas.) Certa sunt, in quibus īpunitas indici datur, in causa proditionis, maiestatis, & si quid huiusmodi est. Certæ etiam personæ sunt, quæ indices fieri possint. Itaq; neq; repetundarum causa per indices agī solet, neq; Senatoria

persona potest indicium profiteri saluis legibus. INDEX est autem, qui facinoris cuius ipse est conscius, latebras indicat impunitate proposita. Est autem sensus, Index potes esse, si tibi hoc licet: accusator de qua re agimus, esse non potes. Satis contumeliose tanquam leuem hominem exagitauit Cecilium. EGO ETIAM quæ tu sine Verre commisisti.) Quæ ista? nulla scilicet. hæc enim comminationis non veritatis instar habent: & id quidē non in nomine tantū, & in genere ēst, sed in omnibus attributis personæ. ERGO QVI SIS) Et quòd Siculus, continet, & quòd indoctus, & quòd non intelligat, & quòd nullo ingenio sit. PVTAS ne te posse.) Propriū oratoris in omni Qualitate Cōparatiua sic agere, vt eū, qui præferri velit, occasionem sibi sumat ostēdendi, q̃ perite possit tractare id ipsum, de quo agitur. Ergo quia de cōstituendo accusatore ambigitur, ostēdit Cicero, qualis accusatio esse debeat, vt perinde ac dicit videatur acturus. ATHENIS, nō Lilybæi: Romæ, nō in Sicilia.) Dicit illum Græcas literas simul & Latinas in Sicilia didicisse: in ea insula, quæ neutra lingua bene vtatur. Ita enim Plautus in Persa, Dabuntur tibi sexcenti logi atque Attici, nullum Siculum acceperis. QVOD MIHI ab amicorum negociis datur.) quibus occupatur. ITA mihi deos velim propitios.) Genus Iurisiurandi, id est quod dicimus, Tantum mihi diuinitas faueat, quantū verum est illud quod dico tibi. Sic igitur, ITA MIHI deos velim propitios, vt commoueor animo, ac toto corpore perhorresco, cum mihi illius diei venit in mentem) Cum illud diei venit in mentem: quo die citato reo mihi dicendum sit.

Index

Comparatiua Qualitas.

Ita deos mihi velī propitios.

MAGNITVDO iudicii.) Repetundarum. Iudiciū sine dubio magnum est, & ex persona Verris, qui post Præturam de fortunis omnibus dimicat: & amplitudine Iudicū, sunt enim clarissimi: & authoritate & contēplatione multarum rerum huiusmodi. TV HORVM nihil metuis, nihil cogitas, nihil laboras.) Metum ad offensionem inimicorum Verris retulit: Cogitationem, ad expectationē hominum: Laborem, ad magnitudinem rerum. IOVEM EGO OPTIMVM MAXIMVM.)

Exordium vulgare vitiosum. Hæc capita solent vsitata esse causidicis imperitis. Quod genus vitii in primo de Rhetoricis VVLGARE nominat. Incipiebant autem veteres, vt Vergilius ostendit, aut ab inuocatione Deorum: quale est,

Præfatus diuos solio rex infit ab alto.

Aut ab reprehensione superioris temporis, vt ait Lucilius,
Vellem cum primis fieri, si forte petisset,
Vitiose ambo cola.

Et Vergilius,
Ante equidem summa de re statuisse Latini,
Et vellem, & fuerat melius.

CVIVS EGO ingenium ita laudo.) Cur hoc Tullius dicit? scilicet ne terreantur Siculi laude patroni aduersarii sui. FACTVM esse nec ne.) Factum est: non est factum, calumniator es. & hoc genus argumenti COMPLEXIO dicitur: quæ si probabilis est, vincitur: si necessaria, solui non potest. QVID CVM accusationis tuæ membra diuidere cœperit?) Hic irridet Hortensii consuetudinem, vt sæpe aliàs. EX ILLIVS inuidia deonerare aliquid.) Hoc plus est q̃ socium criminis reddere. TRANSIGERE?) TRANSIGERE quod manifestũ est. EXPEDIRE?) Definiendũ. ABSOLVERE?) Diuidendũ. An Transigere est, quod aut confiteri non timeat, aut negationem excludat. Expedire, quod definitione soluatur. Absoluere, quod per qualitatẽ licitũ esse monstratur. IPSE profecto metuere incipies.) Mire descripsit imperitum, cui persuaderi possit verum dicere aduersarium suum. POTERIS ne eius orationi subire?) Quasi latine dixit, & magno ponderi subire. PRAESTRINGAT aciem.) Vel à Præstigiatoribus transtulit verbum, vel à tyronibus, qui ignari & rudes pugnæ etiã vano armorũ sonitu terrẽtur præstrictis luminibus. Plaut. in Milite glorioso, Vt vbi vsus veniat contra conserta manu præstringat oculorũ aciem in acie hostibus. MAGISTER ludi.) Literarii ludi magister. Omnem enim scholam LVDVM dixere Romani: & Magistri ludi dicuntur, qui primas literas docent. Ergo libellum veterem vult intelligi attulisse Cæcilium, vnde magi-

Marginal notes: Complexio. — Diuisio Hortensii. — Transigo — Expedire. — Absoluo. — Subire orationi. Vide Noniũ. — Præstringere aciẽ. — Præstigiatores. — Ludus & magistri ludi.

ster dictata pueris præbere consueuisset.

CVM SVBSCRIPTORIBVS exercitatis & disertis.) Ironia. SVBSCRIPTORES autem dicuntur, qui adiuuare accusatorem causidici solent, quos oportet summis sius agere, quàm dicat ille quē sequūtur. IN OMNIBVS enim rebus.) Hic ratio redditur, quare dixit. Subscriptores.

TAMETSI non est satis.) Nam suprà ideo posuit.

EST ALIQVID hoc.) Vt ostenderet, quod sine his nihil sit Cecilius. PROXIMVM subscriptorē.) Secundum ab accusatore Cecilio. HABET alienum.) Cecilius scilicet. Alienum autem volunt intelligi proprium nomen esse, quasi ab Alia, vt Virg.

Quosque secans infaustum interuenit Alia nomen.

Alii alienum non proprium putant, sed alienum, & alterius iudicii, & non ex auditorio Prætoris maiorumq; causarum: sed à subselliis, hoc est non à tribunalibus. Sūt enim Subsellia Tribunorum, Triumuirorum, Quæstorum, & huiuscemodi minora iudicia exercentiū: qui non in Sellis Curulibus nec Tribunalibus, sed in subselliis consedebant. Subsellia.

TOTVM iudicium sustinebit.) Quia tu nec partem iudicii sustinebis. hoc est enim totū iudiciū & spes omnis.

ACTORIBVS Græcis.) Palliatarū scilicet fabularum: in his enim etiāsi Latinæ sunt, Græca omnia seruātur. Nam Latinæ fabulæ per pauciores agebātur personas, vt Atellanæ, Togatæ, & huiusmodi aliæ. An ideo authores Græcos dixit. SAEPE ILLVM, qui est secundarū aut tertiarū.) Comœdia quinq; actus habet, hoc est quinquies dicitur in scena. Est ergo persona primarū partiū, quæ sæpius actu regreditur: secūdarū, quæ minus, minúsq; procedit. Terēt. in Phorm. Quia primas partes q̄ aget, is erit Phormio. Palliatæ & Latinæ fab. Comœdia v actib. cōstans. Primarū partiū & secūdarū.

QVAM ipse primarū.) Subaudi partiū. MVLTVM submittere,) Subaudi vocē vel gestū. HVNC tamen ab subselliis,) Vtrum hoc ad cōtemptū, an ad genus laudis pertinet? Ego quasi ad laudem dictū accipio, vt maior irrisio sit Cecilii, qui nec à subselliis fuerit aliquādo. IN CLAMANDO quidē.) Huiusmodi hoīes in libris de Orat. non Declamatores, sed Clamatores idē Tull. vocat. Declamatores. Clamatores.

QVARTVM quem sit habiturus.) Duos dixit, quomodo quartum nominat? scilicet ab accusatore cũ ipso Cecilio numerans proximum Alienum: quartum EX ILLO grege Oratorum.) OBTVRBATORES quosdam sordidósque causidicos significat, qui adhibebantur ad moram faciendam, dum meliores aduocati recrearentur, & se denuo compararent ad dicendũ. & nõ recessit à trãslatione scenicorũ, qui sunt Tragici, & Comici, dicẽdo quartũ actorẽ & regẽ. CVICVNQVE.) Siue mihi, siue Cecilio.

Obturbatores ac sordidi aduocati.

ALIENISSIMIS hominibus.) Hinc apparet etiã supra, ALIENVM, alieni iudicii hominẽ significari. & ideo de alienis, quasi exteris, per iocum dicit, tanquam peregrinantibus & aduenis, aliquem hospitio esse recipiẽdum Cecilio.

Alienus.

QVASI præteriẽs satisfaciam vniuersis.) Sufficiet, inquit, omnibus, quod ego vel præteriens breuiter dixero pro leuitate eorum quibus respondendum est. Oblique autem Cicero remouere conatur Cecilium etiam à subscribẽdi spe, quod postea ille poposcerat secundarum munus. Sed inhumanissimum erat dicere, Ne subscriptorem quidem idoneum posse esse Cecilium. Quare in summa, sibi subscriptorem necessarium non esse. Alibi mox ait, sed ne subscriptorũ quidem, cum id postularet, facerẽ potestatem. DE POPVLO subscriptor addatur.) Amare subscriptor de populo, quasi isti in vulgo numerãdi sint. & ADDATVR proprie, de populo, quasi inuito & superbo, quòd huiusmodi res additæ dicantur. VESTRI ordinis reos.) Reos vestra defensione condignos: vel fures, & seruos nequam, qui apud Triumuiros Capitales, apud columnam Meniam puniri solent. AD COlumnam Meniã.) MENIVS cũ domum suam venderet Catoni, & Flacco Censoribus, vt ibi Basilica ædificaretur, exceperat ius sibi vnius columnæ, super quam tectũ proiiceret ex prouolãtibus tabulatis: vnde ipse, & posteri eius spectare munus gladiatorũ possent, quod etiam tum in foro dabatur. Ex illo igitur COLVMNA MENIA vocitata est, causis eiusmodi. Aderant autem his rebus Moratores, apti talib. negociis. CVSTODEM, inquit, Tullio me apponite.) Subscriptorem non dixit, sed

TR.V. CAP.

Serui & fures ad Columnam Meniam puniebantur.

MeniaColumna.

Moratores.

custodem: vt quia acerbe responsurus erat lacessitus conuitium facere videatur. Nam SVBSCRIPTORES non solum chartarum causa, neque iuuandi accusatoris adhiberi solent: sed etiam, vt non facile corrumpantur. DE ISTO custode toto.) Hoc est de omni genere subscriptorum: id est, etiam si Cecilius subscriptorem se esse deposcat. NON ESSE hos tales viros commissuros.) Malefacturos praue. Nam COMMITTI fraus dicitur, atque peccatum. Sum enim & fidelis & diligens: & ideo nec custode indigeo, & speculatorem esse inter mea secreta nō patior. VERVM vt ad te Cecili redeam.) Recte, quia in subscriptores parecbasin fecerat. SED CAETERI Siculi.) Sæpe in Cecilium vtitur hoc conuitio, vt illum non Romanum, sed Siculum dicat. PRAEFECTVS Antonii.) Quidam ANTONIVS, curator tuendæ totius oræ maritimæ qua Romanum erat imperium, non solum ipse nequam, verumetiam comitibus pessimis rem inauditā inuasit: & indicto Cretensibus bello, male re gesta ibidem periit, antequam Pompeius contra piratas missus est. Sed de hoc alibi ait Tullius, Postquam Marci Antonii infinitum illud imperiū senserant. QVIBVS SE in classe vti velle dicebat.) Cani remigibus CELEVSMA per Symphoniacos solebat, & per assam vocem, id est ore prolatam: & interdum, vt in Argo naui, per citharā. Sed quia hic in classe dixit, possumus intelligere ad hoc SYMPHONIACOS capi solere, vt in classe pugnantibus Classicū canant: vnde ipsi Tubæ classis nomē est positum CLASSICVM. NON VERRES, sed Q. Mutius.) Scæuolam significat. Huius Quæstor, RVTILIVS RVFFVS damnatus est, quòd cum Prætore consenserit suo, ne Publicani aliquid agerent in prouincia sua. quo cognito Equites Rom. (nam tum ante Syllana tempora iudicabant) damnarunt eum. Hic est MVTIVS, in honorem cuius Asiani diē festū Mutia nominabant. REDIT AD SE, atque ad mores suos,) Nota, Redire ad se homines. CIRCEO.) Illa enim sues ex hominibus faciebat. Redit autem iam ad argumentū, quod ad similitudinē pertinet. vult enim innuere, Quod recte fecit, alienum esse

Subscriptores cur adhibebātur.

Cōmittere.

M. Antonius.

Celeusma

Symphoniaci.

Assa vox.

Classicū

Rutilius Ruffus damnatus.

Mutia.

Redire ad se.

& paruiſſimi tẽporis:proprium vero & perpetuũ, quod ami ſit. HIC TV ſi læſum te à Verre dices:) Iniuria ſem per iniuſta eſt.Lædi etiam aliquis iuſte poteſt:nam & qui iu re damnantur,læduntur,ſed non iniuria.Et recte contra patiar,defendam poſuit:contra cõcedam,negabo. Et bene addit negabo.Potuit enĩ aliter atq; aliter intelligi defenſio. eſt enĩ hic finis,quid ſit iniuria.quã nec alioqui probarẽt,quod & idoneus orator, & integer, & Quæſtor accuſandi Verris fuiſſet. QVAMOBREM,qui Quæſtor eius fueris, accuſes.) Accuſes pro eo quod eſt accuſare velis: an apud nos modo accuſes,cum dicas ab illo tibi iniuriam factam.

Iniuria.
Læſio.

ITAQVE neque L.Philoni.) Omnia exempla ſunt Quæſtorum,qui Prætores ſuos non permiſſi ſunt accuſare. ATQVE ille Cn. Pompeius) Propiora exempla & magis ſimilia poſteriora ponẽda ſunt.Strabonem autem dicit Pompeium,Cn.Pompeii patrem. ETENIM cũ lex ipſa,) Vide firmamẽta argumentorũ, quoties in oratione ſine metu faſtidii repeti ſolent. CLARISSIMI viri noſtræ ciuitatis,) Hos rurſum extra contentionem,quã ante cum Cecilio habuit de ſuo officio,quemadmodum cœperit accuſare,repetit,ne leuior videretur ex defenſore repente accuſator factus. M.CATONEM illum ſapientem.) CATO hic accuſauit Sergium Galbam pro direptis Luſitanis: & P.Furium,pro iniquiſſima æſtimatione frumenti. ACCVSABAT M.Aquilium.) Hic M. AQVILIVS de pecuniis repetundis accuſatus eſt. Hic eſt igitur Lentuli Suræ pater in carcere ſtrangulati propter coniurationem. L.COTTAM IN iudicium vocabat.) Hunc P.AFRICANVS poſt ſecundum Conſulatum, & Cẽſuram dicitur accuſaſſe. IVDICIISQVE corruptis & cõtaminatis.) CORRVPTA IVDICIA ſunt in iis qui acceperunt pecuniam: CONTAMINATA in iis, qui offenſione ordinis infamantur. REQVIRIT.) Amiſſum ſentit.hoc enim eſt,nihil requirit, nec ſentit ſibi deeſſe aliquid ex his rebus,quas nunquam habuit. EGO ME dignitate ſuperatum non arbitrabor.) Ero enim defenſor, vt fui,& neceſſitatem accuſationis euadam.Hoc quidem vi-

Quæſtori Prætorem ſuum accuſare non licebat.
Exemplorum ponẽdorum ordo.
M.Cato.
Ser.Galba
M.Aquilius.
Lentulus Sura.
L.Cotta.
P.Africanus.
Corrupta Contaminataq; iudicia.
Requirere.

dicetur plane dicere, sed latenter hoc significar, prauo de se iudicio magis iudicibus hæsuram turpitudinem quàm sibi.

Q. ASCONII PAED. IN II M.T. CICERONIS ORATIONEM CONTRA C. VERREM COMMENTATIO.

VICTO CECILIO, & accusatione ad se delata, Cicero cum inquisitionis tempus in Siciliã postulasset dies CX, & cum filio patrui sui Tullii totã prouinciã colligẽdis literis in Verrem, & denunciandis testimoniis peragrasset diebus L: quia pedestre iter ex Sicilia, & propter fugitiuos, & propter Verris insidias dubitabat, à Vibone transiit, tam repente aduenïens, cum videret id agi vt à Glabrione Prætore, & ab iis Iudicibus qui tunc erant, ad aliũ annum, aliumque Prætorem res tota transiret, eriperetur que sibi reus patrocinio Hortensii ac Metelli, qui tunc COSS. futuri erant (per hos omnes Verres eludendi iudicii fiduciam sumpserat) hoc commentus est rationis, vt orationem longam prætermitteret, neque in criminibus declamatione cumulandis tempus absumeret, sed tãtummodo citaret testes ad vnumquodque crimen expositum, & eos Hortensio interrogandos daret. Qua arte ita est fatigatus Hortensius, vt nihil contra quod diceret, inueniret: ipse etiam Verres desperato patrocinio, sua sponte discederet in exilium. Hoc igitur laborat in oratione hac tota Tullius, vt ostendat non dolo, nec astutia, sed necessitate facere id quod fecit: & magis aduersariorũ fraudibus occurrat, quãuis ipse sit captiosus. Vult enim, vt diximus, omne hoc tẽpus, quod est ante CALEN. IAN. dispensare in totius causæ actionem: ne ad alium Prætorem, aliosque iudices nouis COSS. veniendũ sit. Toto igitur hoc libro exhortatio Iudicũ continetur ad vere iudicandum. Minæ in aduersarios diriguntur, omnia tentantes ad corrumpendum iudicium. & expositiones Ciceronis cõsilii sui Iudicibus exhibentur, quas tractãs cõmuniter breuiterq; obiiciẽdorũ criminũ mirã artẽ cõficit.

Ciceronis mirabile consilium

Verris exilium.

STATVS quantum ad crimina causæ repetundarum pertinet, Coniectura multiplex inest omnibus libris: Quantū ad specialem intentionem libri huius refertur, Qualitas Negocialis extra scriptum in particula iuris est constituta. Inducitur enim postulatio de agēdi nouo genere. siquidem petit permitti sibi non vti oratione perpetua, sed breuiter crimina proponere, & ad singula testes dare. Sunt autem CAPITA orationis hæc, An talis reus, cuius damnatio prosit R.P: An talia eius consilia ad corrumpēdum iudicium: An talia, & tam manifesta crimina ad patrociniū desperandū: An huiusmodi ab eo, & eius suffragatoribus, & dicta & facta ad eludendam accusationem, vt nouo genere sit agendum Tullio. Quarum rerum quasi per narrationem facit demōstrationem, expositione consilii sui. Et cum iudicibus delibe ratio videtur inducta, in qua ostenditur, Certandum cum Hortensio astutia, non vtendo horis omnibus ad dicendū: Tollendam, si fieri possit, comperendinationem: Per testes crimina comprobanda. Facit hoc Cicero, vt hæc res non solum compendio moram ac breuitatem temporis tollat: sed etiam circa artificiū dicendi breuiter etiam in hac parte vim oratoris ostendat. QVI CONCIONIBVS Et legibus.) Concionibus, Quintium dicit Trib. Pleb. qui veneficii reum Oppianicum Cluentio accusatore defendens, victus erat illo damnato: Legibus autem, L. Aurelium Cottam Prætorem significat, qui legem promulgarat de restituē dis iudiciis Equestri ordini. PECVLATOREM AErarii.) Sub Carbone COS. cum Quæstor esset. PECVLATOR autem, qui furtum facit pecuniæ publicæ. VEXATOREM Asiæ atque Pamphiliæ.) Sub Dolobella cum LEGATVS ei & pro Quæstore esset, mortuo Malleolo. PRAEDONEM iuris vrbani.) In Prætura Vrbana: quam Siciliensis secuta est, de qua nunc accusatur.

Peculator


CVM MVLTAE mihi à C. Verre insidiæ terra mariq;.) Alias significat insidias, quæ vitæ eius factæ sunt: alias, quæ integritati, & existimationi, nam vult intelligi etiam præmia sibi præuaricationis ostentauisse Verrem, sed terra marique insidias factas significat. ORDINI in-

ſidiatur.) Ne dignitas iudicandi ordinem ſequatur, detectis in corruptione iudicantibus. NOMINI SENATORIO.) Senatorium nomen honori ne ſit, ſed potius ignominiæ. Senatorio enim bis ſubauditur, & Senatorio ordini, & nomini Senatorio. SEMEL ait ſe in vita pertimuiſſe.) Cõtumaciam Verris præcipitem. Nam SEMEL vicinum eſt ad pene nunquam. Ex eodẽ ſenſu eſt, quod ſemel in vita riſiſſe Craſſum ſcribit Lucilius. Vnde Vergilius mihi videtur dixiſſe, Semel.

Tum primum noſtri Cacum videre timentem. AEn. ix.

TVM CVM à me reus factus eſt,) Quid eſt REVM FIERI, niſi apud Prætorem legibus interrogari? Cum enim in ius ventum eſſet, dicebat accuſator apud Prætorem reo, Aio te Siculos ſpoliaſſe. Si tacuiſſet, lis ei æſtimabatur, vt victo: ſi negaſſet, petebatur à Magiſtratu dies inquirendorum eius criminum, & inſtituebatur accuſatio. DIEM.) DIES fœminino genere tẽpus, & ideo diminutiue DIECVLA dicitur breue tempus & mora. DIES horarum XII generis maſculini eſt. vnde HODIE dicimus, quaſi hoc die. Petiit autem Tullius C & X dies. Rupilius ſiue Oppius ſuppoſitus à Verre C petiit. INVENIT iſte qui ſibi in Achaiã.) Alii hunc Rupilium, alii Oppium putant: ſunt qui Raciliũ dicunt accuſatorem, Oppium reum. alii Q. Metellum Nepotem accuſatorem, Curionem reum. Moris autem fuerat, vt agendi dies priori prior ordinaretur. itaque ſi omni tempore poſtulato vſus eſſet ad inquiſitionem Tullius, futurum erat, vt priori locus ad agendum daretur ei, qui biduo breuiorem diem poſtulauerat: cuius accuſationis interpoſita de induſtria mora, eũ Verres ad alios COSS. diſtuliſſet. CVM publicis authoritatibus.) Publicis literis. PERDITA profligataq;) Peius voluit eſſe profligata, quàm perdita. etenim PERDITVM, quod inueniri non poteſt, PROFLIGATVM quod poteſt. TEMPVS emiſſe.) Id eſt, dilationem temporis impetraſſe. Iudicium autem ſuum debemus intelligere ſibi aptum. Et ẽ contrario ait, Alienum tempus offenderat. QVOD SI non modo in cauſa.) Per innocentiã. HONESTO præſidio,) Per cõpenſatio-

Reũ fieri. Dies. Hodie. Agẽdi dies quo ordinabãtur Profligatum Perditum Tempus emere.



nem criminum authoritate dicetis. AVT IN alicuius eloquentia) Acerbe in Hortensium, quem corruptione iudicũ nõ eloquentia sua dicit esse cõfisum. GRATIA,) amicorũ plurimorũ, quibus defensoribus vteretur. DELIGERETVR ex Senatu, qui reus fieret.) Appius vel Curio. HOC Prætore.) Glabrióe scilicet. HOC cõsilio,) Lectissimorũ ex omni numero Senatus iudicũ. QVOD Prætor) In reiectióe iudicũ iudicauit.) Ex iis quos retinuit, intellectũ est eos iudices habere velle, quos corrũpi posse cõfideret. NISI Cn.Carbonẽ.) Carbo Marianæ partis dux ideõq; Cos. desertus Arimini est à Quæstore suo Verre, spoliatus pecunia publica, quam Quæstor in exercitu de ærario sumpserat: cũ ad Syllã ille transiret, proditor partiũ Marianarum. CVIVS Legatio.) Legatus per has prouincias Dolobellæ PROCOS. fuit, & pro Quæstore, Malleolo mortuo, eiusdẽq; in iudicio cũ accusaretur proditor fuit. IN inuidiã suis maleficiis adduxit.) Propter sua scelera inquietũ fecit inuidiosumq; reum. OPPVGNAVIT, & prodidit.) Peius prodere quàm oppugnare: propterea quod Oppugnare inimici, & hostis officiũ est: Prodere grauius, cũ ad eos qui amici esse debẽt, referatur hoc verbũ. CVIVS Prætura vrbana, ædiũ sacrarũ.) Quẽadmodũ hic dicit, sic diuisa sunt crimina huius Præturæ vrbanæ, scilicet Iuris dicundi, Sartorũq; tectorũ. CONTRA omniũ instituta,) Qui Prætores Vrbani ante se fuerũt. Sũt autẽ Instituta Prætorum in decretis interponẽdis, diiudicãdisq; causis. ITA vexauit ac perdidit.) Nimirũ Vexauit ingentis calamitatis vsum significat: nam & ipse supra sic ait, Populatæ, vexatæ, funditus euersæ prouinciæ. Vergilius, Cãdida succinctã latrãtibus inguina monstris Dulichias vexasse rates. EX ARATORVM bonis.) Aratores frumenti decimã dare P.R. solent. Hos non vna atq; altera, sed tribus amplis decimis, per mancipes à se subornatos, id est Publicanos, qui Decumani vocantur, Verres exhausit. SOCII fidelissimi in hostium numero existimati.) Hic locus crimina continet in ea oratione, quæ inscribitur de Suppliciis. ABSENTES rei facti.) vt Stenius & Heraclius.

Cn.Carbo.

Prodere, Oppugnare.

Prætorũ instituta. Vexare.

Decima frumenti.

PARTIM regum locupletissimorum,) Agathoclis,aut Hieronis Siciliæ Regũ. NOSTRORVM Imperatorum,) Scipionis, & Marcelli. AVT DEDERVNT,aut reddiderũt.) Dedit Marcellus, reddidit ex Aphrica Scipio. IN STVPRIS vero & flagitiis.) De Cleomenis vxore dicit. PROPONIT inania mihi nobilitatis.) Vt Curionis,& Metellorum trium, Hortensii,& Scipionis:hi enim Verri palàm suffragabãtur.

ALIVD quiddam iam diu machinetur.) Dilationem accusationis & corruptionem iudicii. REDEMPTIO est huius iudicii facta.) Sic quidã accipiunt,quasi hoc dicat Cicero,corrupti sunt isti iudices.non hoc dicit, sed ait artifices quosdam corrupẽdorum iudicum pactos esse cum Verre,& redemisse se semel omnem procurationẽ iudicii corrumpendi suo periculo,absolutionisque præstãdæ.

EA MANSIT in cõditione atque pacto.) Hic est sensus, * de pacto,inquit, & promissione iudicũ:sed postquã reiecti sunt iudices,displicuit totum negocium redemptoribus,& resiluerunt a condicione ac pacto. RENVNCIATA est tota conditio.) Renunciatio dicitur recusatio eius rei quæ in pacto & promissione venerat. LIBELLI nominum vestrorum.) Moris erat celebrata iudicum reiectione,& haberi in officio Prætoris, & in arca reponi nomina iudicum Selectorum. Reiectio autem idcirco dicitur,quia cum multi Iudices in consilium à Prætore suo aduocandi essent,qui Quæsitor fuisset in publica causa (verbi gratia Repetundarũ, Ambitus, Maiestatis) necesse fuerat eos primũ de Curia Senatoria cõscribi cũ Senatus iudicaret. Deinde in vrnã sortito mitti,vt de pluribus necessarius numerus confici possit. Tertio,id est post vrnã,permitti accusatori ac reo,vt ex illo numero reiiciãt quos putauerint sibi aut inimicos,aut ex aliqua re incõmodos fore.Solet autem ex morib.ac fama iudicũ,ex illorũ quos aut reiiciebant, aut retinebant iud. voluntate,coniecturã facere Prætor, qui causæ suæ confidere,qui corrũpere Iudices vellet. Reiectione autẽ celebrata,in eorũ locum qui reiecti fuerant,subsortiebatur Prætor alios,quib.ille iudicũ legitimus numerus cõpleretur

Redemptores.

Renunciatio.

Reiiciendi atque seligendi Iud. formula.

Iudices in leges iura bant.

Prima enim Sortitio dicebatur. His perfectis iurabant in leges iudices, vt obstricti religione iudicarent. Cum iurassent omnes præter ipsum Prætorem, nomina eorum libellis (vt supra diximus) continebantur, & vbique habebantur, ne pro selectis iudicibus, vt fit in multitudine, aliqui suppositi corruptique iudicarent. itaque & Prætoris tribunal, vt considerent * indicatur Prætori suo. NVLLA NOTA, Nullus color, nullæ sordes.) Etsi hæc Cicero, quia contra Hortensium prosunt sæpissime repetat, tamen in qua causa, & a quo, & quomodo hæc facta sint, meminimus in Diuinatione narrasse. illud factum tamen animaduertédum, quòd adlini sordes, non tabulis sed sententiis figurate dixit.

Alacer & Alacris. Lacer.

EX ALACRI atque læto.) ALACRIS siue Alacer, vtrūq; enim dicitur, is qui viget sensibus vniuersis, quod est indicium erecti animi atque sublimis. nam ecōtrario Lacer dicitur amputatis corpore sensuum membris, hoc est auribus oculisve. Quæ ad animum sæpe transferuntur, vt plerunque afflicto animo sensibus non vtamur erectis. Sic Alacer dicitur is, cui omnis sensus in loco suo quisque degit: Lacer vero, qui sic est affectus, vt vultu indicet adesse animum non syncerum sensibus suis. Qua re cognita illud quoq; intelligitur, aliud esse Alacrem, aliud Lætum. Sunt qui Alacré, festinantem & properum dici putant, quasi alis acrem.

Comitia.

COMITIIS Consularibus.) Sunt etiam AEdilitia & Prætoria, & Tribunitia Comitia. ECCE AVTEM.) Proprium hoc Ciceronis est in rebus improuisis, quod cum cura Vergilius & legit & transtulit: vt,

Ecce aūt.

Ecce autem gemini à Tenedo. EADEM ILLA vetera consilia.) Corrumpendi iudicii per supradictos redemptores cōductorésq; facinoris istius. C. CVRIO quem ego.) Quæri solet, cur hoc de Hortensio, cur de aliis nō dicat. Quia nemo solebat precari veniam apud veteres, eorum cōpellatione nuda, quos negocium tangeret. Curionem autem patrem dicit. TAM APERTE paláq; dixisset.) Aperte ad verba pertinet, non obscura: Palàm ad præsentium multitudinem, & qualitatem frequentis loci.

Veniā precandi vet⁹ formula.

Aperte. Palam. Fornix Fabianus.

AD IPSVM fornicem Fabianū.) Fornix Fabia-

nus arcus est iuxta Regiam in Sacra via, à Fabio Césore constructus, qui à deuictis Allobrogib. nominatus est Allobrogicus, ibique statua eius posita propter est. APERTE iam ac perspicue nulla.) Non ex sua persona hoc dicit Tullius, nam esset offensum. QVOD TOTA Sicilia, omnes Siculi, omnes negociatores.) ἐπεξήγησις, vt quicquid subiectum est, intelligatur eius esse quod dixit, Tota Sicilia.

IN VNIVS potestate.) Hortésii scilicet. NON TENEBIMVS iudicia.) Finxit dicere, nõ tenebimus iudicia, mollius scilicet, quàm populares fingeret dicétes, auferemus à Senatu iudicia. ISTIVS perditi subita lætitia.) Verris. HOMINIS amplissimi gratulatio.) C.Curionis. ET M. METELLO obtigisset, vt is de pecuniis repetũdis.) Prouincia sorte obueniebat vnicuiq; Prætori. hic ergo M. Metellus amicus Verris successurus Glabrioni fuerat. FISCOS cõplures.) Sportæ, Sportulæ, Sportellæ numûm sunt receptacula: & Sacci, Sacculi, Saccelli, & Crumenæ, & Velleæ, & Scorteæ, & Manticæ, & Marsupia. Ita Fisci, Fiscinæ, Fiscellæ spartea sunt vtensilia ad maioris summæ pecunias capiendas. Vnde quia maior summa est pecuniæ publicæ, quàm priuatæ, vt pro cẽsu priuato AErarium dicitur: pro loculis & arca, Thesauri: ita pro saccello, fiscus. vnd FISCVS pecunia publica, & CONFISCARE dici solet. CVM PECVNIA Siciliensi) Pecunia Siciliẽsis est à Siciliæ prædationibus capta. ILLIS IPSIS diebus paucis cum Prætores designati sortirentur.) Accusatio accepta est NOnis August. & Comitia Consularia fuerunt VI CAL. AVG. nec multo post sortitio Prætorũ fuit, celebratis eorundem comitiis. A QVODAM Senatore ad Equitem Rom.) Hoc homines inepte, quasi certũ sit quod dicitur. Et de industria figuratur à Tullio, ad inuidiam aduersariorum, & sui defensionem: qua cogitur modo nouo causam agere horis breuioribus, quàm mos est accusatoribus. itaque suspicantur Senatoré alii Crassum, alii Hortensium Equitem Rom alii neminem proferunt, alii Publitium quendam, temporibus illis in diuidenda pecunia populo famosissimum. COMITIORVM meorum

Sportæ, Sportulæ Sportellæ

Fiscus. Cõfiscare.

AEdilitia comitia. nomine,) Vt ego AEdilitate deiicerer,quã petebã. Post Cõsularia enim & Prætoria comitia, Aedilitia sequebãtur. Comitiorum autem meorũ nomine addidit,vt ostenderet excepta hac pecunia totã corruptionem iudicii destitutã esse.

Omnia mea causa debere. QVI SE omnia mea causa debere arbitrabantur.) Locutio pro plena habetur.sed si quæras quod integrum est, deest facere,vt sit, omnia facere. & bene omnia protulit, vt hæc proditio secreto actæ rei propter amicitiã videatur esse suscepta.

Diuisores tribuum. Magistri curiarum. DIVISORES omnium tribuũ.) Vtrũ legitimos habẽt omnes tribus DIVISORES suos, quos Plautus Magistros Curiarũ in Aulul.vocat,his verbis, Nam noster nostræ qui est magister curiæ, diuidere argenti numos dicit in viros. An Diuisores,criminis nomẽ est.sed si hoc esset,non sibi ex his vnum carũ esse dixisset, cum ipse Praeturã petiisset. Ostendit Verrem non gratis factũ fuisse Prætorem Vrbanum:& alterum Metellum Prætorem Siciliæ, pecunia Verris similiter meruisse Præturam.

Tribus vrbanæ rusticæ quot. Romilia. Q. VERREM Romilia.) Verrem nomen est propriũ: ROMILIA nomen est tribus,ablatiui casus,vt sit ex Romilia. Tribus enim vrbanæ rusticæq; omnes XXXV numerantur, ex quibus aliquã necesse est cuiusq; ordinis fuerit ciuis Ro. obtineat.

Ciues Roma. quomodo nominabantur. Moris autem fuit cum aliquis ciuis Ro. ostendendus esset,significaretur aut prænomine suo, aut à nomine, aut à cognomine, aut à cognatione, aut à Tribu in qua cẽseretur, aut à Curia, aut à Censura, aut si erat Senator, Eques Ro. à curia sua. Sic alibi ait,L.Claudium Palatina. EX OPTIMA.)Ironia est. PATRIS sui discipulum) Tanquam diuisorũ Magistri, Verris senis scilicet. VRGEBANT Comitia) Hæ sunt res maximæ. INSTABAT Iudicium, fisci Sicilienses minabantur) Exquisite dictum. AGERE quæ ad iudiciũ pertinebant) Liberè. Vel occupatione in petendo honore: vel quia accusatio libertatem vel minas exigat,petitio blandimenta & preces. MINARI deniq; diuisoribus, ratio nõ erat.) Cur enim minarer inquit accusatoribus vel diuisoribus,quos accusatione Verris impeditus accusare non possem, id ipsumq; illi callidi homines intelligerent? DESTRICTVM atq ue obligatũ.

DESTRICTVS poteſt &ſine vinculis in diuerſum manu du centiũ ferri: OBLIGATVS etiã nodis vinculorũ in loco intelligitur. plus eſt ergo obligatũ eſſe q̃ deſtrictũ. QVI quãob re arceſſerentur, cũ intelligerẽt.) Bene ĩterpoſuit hæc ad cauſam non veniẽdi. nã ſine hac ad deſignatũ COS. Siculos nõ veniſſe cõtumaciæ videretur. Sane & hic & in primo capite Verrinarũ animaduertitur inſequens locutio, ſimilisque ſolœciſmi, ſi quidẽ nõ veniſſe legeris. nã ſi non veniſſent legeris, error non erat. CAETERORVM hoc anno.) criminoſe(vt ſupra diximus) in Hortenſium Metellosque.

CVM filio blãdo & gratioſo.) Fœminis ac maxime meretricibus amicitiæ conueniunt. Gratia vero quæ poteſt in adoleſcentibus eſſe ſine infamia? Gratiam enim, amicorum copiã modo dicit. APPELLARE.) Quaſi familiares, ET conuenire.) Quaſi de promiſſorũ debito. INTELLECTVM, & animaduerſũ.) Intelligitur aliquid argumentis: Animaduertitur ſenſibus præſenti animo vtẽtibus. Plerunq; enim Aduertimus rẽ aliquã oculis, aut quouis ſenſu corporis ſine animi intentione. Ergo plus eſt animaduerſum quàm intellectũ. An ab aliis intellectũ, ab aliis animaduerſum intelligi poſſet. quod ſi eſt, rurſus plus erit intelligere, quàm animaduertere. VT cuius Diuitiæ me.) Magna emphaſi Diuitias dixit. & ſignificat breuiter etiã ſibi præmia præuaricationis oblata: ſed truſtra. SED etiam Q. Metellum) ſubaudi Conſulem. & ne error ſit in nominibus, tenere vos oportet, Tres Metellos eſſe: Vnum, cum Hortenſio: alterum in vrbe conſtitutum de pecuniis repetũdis: Tertium, Siciliæ Prætorem. DEDIT enim prærogatiuam ſuæ voluntatis eiuſmodi) Dilogia dicitur figura, quum ambiguum dictum duas res ſignificat. Nam Prærogatiua præter eius integrum beneficium, aut dicto aut facto aliquid ſignificat liberius ab eo qui nobis bene facturus eſt. & rurſus, Prærogatiuæ ſunt Tribus, quæ primæ ſuffragium ferũt ante Iureuocatas. Mos enim fuerat, quo facilius in Comitiis concordia populi firmaretur, bina denuo de iiſdem Cãdidatis comitia fieri: quorũ tribus primæ Prærogatiuæ dicebant, quos vellent Conſules fieri. Secundæ, Iureuocatæ,

Gratia amicorũ copia.

Appellare Cõuenire.

Intellige re.

Animad uertere.

Aduerte re.

Diuitiæ

Metelli tres.

Dilogia.

Prærogatiua.

Tribus Prærogatiuæ & iureuocatæ

quod in his sequente populo, vt sæpe contigit, prærogatiuarum voluntate, iura omnia complerentur. Hoc igitur dicit Cicero, vocando ad se Metellum Siculos, & eos minis deterrendo ab accusatione Verris, prope omne beneficium corruptarum à se tribuum Verris pecunia persoluisse. Vult enim illum Verris pecunia Consulem factum intelligi. A N M E taciturum) Et hic Epitherapeusis: vbi non emendatio dicti atrocissimi: sed confirmatio ponitur recte dixisse, causa subiecta cum quadam acrimonia. ARCESSIT alter coss. designatus Siculos.) Hæc est prærogatiua, quã Metellus Verri pro prærogatiuis reddidit: nã huius rei fuerat dilata narratio. PROVISVM.) Quomodo, si comitiorum sors atq; fortuna est? sed vult totum pecunia Siciliensi, hoc est corruptis à Verre tribubus esse confectum.

TE NON fato, vt cæteros ex vestra familia) Dictum facete, & contumeliose in Metellos. Antiquum Næuii est, Fato Metelli Romæ fiunt Consules. Cui tunc Metellus Consul iratus versu responderat Senario Hypercatalecto, qui & Saturnius dicitur, *Saturnius versus.*

Dabunt malum Metelli Næuio poetæ. De qua parodia subtiliter Cicero dixit, Te non fato, vt cæteros ex vestra familia. QVAESITOR.) Prætor de pecuniis repetũdis quæstionem exercens. Nam proprie Quæsitores dicuntur criminalium quæstionum: vt Vergilius, Quæsitor Minos vrnam mouet. *Quæsitor.* D V O igitur coss.) Hortensius, Q. Metellus. QVAESITOR) M. Metellus. NIMIVM diligentẽ) Hæc est artificiosa laudatio iudicis sine suspicione assentationis, & tamen efficax ad beneuolentiã. Qui autem diligentẽ vituperare non poterat, pro crimine, addidit nimium. Terentius, Ne quid nimis. M. CESONIVS) designatus AEdilis cum Tullio, & ideo non iudicaturus: quia & AEdilis, & Iudicis partes sustinere non poterat vno tempore. *AEdilis iudicis partes sustinere non poterat.* QVOD conemur) Vt sagacem integritatem eius ostenderet, non dixit, quod corrumpamus: sed, conemur corrumpere: & non aperta & plana corruptione, sed aliqua ratione: id est, vel exigua. IVNIANO CONSILIO.) Iunius Quæsitor iudex fuit in Cluentii causã *Iunius Quæsitor*

Verre Prætore: in qua cum Oppianicus damnatus esset, defensor Oppianici Trib. Pleb. Quintius rem in inuidiam duxit, cum diceret pecuniam in iudicio fuisse versatam: & cum incertum esset ex qua parte esset profecta, corruptionem credidit ab Oppianico datã, quia damnatus erat, & errore multorum in falso crimine Cluentius fuit. Hic ergo Cesonius damnatis aliis iudicibus, non modo innocens pronunciatus est, sed etiam ex iis fuit, qui illa crimina Staleni & Bulbi, & Guttæ, & cæterorum iudicum detexerunt: cum Verres quoque turbatus subiectos iudices esse diceret, & interpolatos libellos sortitione iudicum, quos libellos ipse obsignauerat. MAGISTRATVM INEAT necesse est, Nonis Decembribus.) Eo die Tribun. Pleb. futurus. Interpola re

EX ACERRIMA illa equestri familia.) Nouo modo laudem ab ignobilitate quæsiuit, more suo laudãs Equites Ro. & maxime, quia cum iudicarent, sine infamia se gesserunt. L. CASSIVS quum ad cæteras res.) Inde sunt Leges Cassiæ Tabellariæ, de suffragiis libere ferendis, nõ voce sed tabula. Ille, ille CASSIVS, qui cognoscẽdis criminalibus causis in primis quærendum esse dicebat, CVI BONO. HOMINES veteres) Graues, & seueri. & vide figurate singulis additam laudem ex ore aduersarii, veluti ostendentis cur sibi iusti omnes displiceant. TRIBVNI militares) Tribunorum Militarium duo genera. Primum eorum qui RVFVLI dicuntur: Hi in exercitu creari solent. Alii sunt COMITIATI, qui Romæ comitiis designantur. SVBSORTIEMVR etiam,) Mire ostendit securitatem rei, tanquam ipse sit omnia facturus. Leges Cassiæ Tabellariæ. Tribuni militares Rufuli, Comitiati

NON. SEXTILES.) Sextiles, Augustæ: vt Quintiles, Iuliæ. nondum enim nomina de imperatoribus sumpserant, propter quam mutationem nominum Vergil. ait,

Et incipient magni procedere menses. AEnei. i.

Hac tota argumentatione significat Cicero bis accusare se nõ posse, si accusandi consuetudinẽ seruare voluerit, non seruire breuitati. LVDOS votiuos,) Hos Põpeius vouerat, si Sertoriũ superasset. DEINDE cõtinuo Romani sequentur) Romani ludi sub Regibus instituti sunt, MAGNI que appel- Ludi Votiui Romani.

lati, quod magnis impensis dati. tunc primū ludis impensa sunt ducēta millia numū. Alii magnos ludos factos putant, quòd consiliorū secretorū deo, id est Neptuno lati. tū regi & rerū conditarū, & Diis magnis, id est Laribus vrbis Romæ dati sunt, quibus aiunt raptas Sabinas esse: vt videatur propter hoc diecre Vergil. Magnis Circēsibus actis. Et Circenses ludi sunt. DEINDE se ducturos.) Ducturos dilaturos, moram facturos. DICENDO,) Longa oratione, Excusandò.) Cur interdum non dicant. Admittebantur enim excusationes multæ etiā pro reo, aut occupationis alicuius, aut malæ valetudinis. AD LVDOS Victoriæ.) Hos Sylla instituit bello ciuili victor. Secūdū quos, PLEBEI ludi: quos exactis Regibus pro libertate plebis fecerunt, aut pro reconciliatione plebis post secessionem in Auentinum.

Ducere.

Excusationes pro reo.

Ludi victoriæ, Plebei.

QVEM ego hominem.) Metellū scilicet, in cuius locū subsortiendū iudicē ex persona Verris supra dixerat, qui Prætor futurus sit ex CAL. IAN. qui nunc in iudicū numero est. VT EO iudice q̃ Prætore, hanc rē transigi malim, & iurato suā, quàm iniurato aliorū) Cum iudex sit Metellus, tabellam iudiciariam iuratus accipiet: cū Prætor fuerit, non iurabit (quia non est iuris) & in potestate habebit tabellas omnium iudicum. ID enim consilium mihi taciti dabitis.) Sermocinatio ista non decet iudicum grauitatē: ideo Taciti, dixit. sic agit autem, vt ostendat se non debere horis legitimis abuti ad accusandum Verrē, cum possit pro vna actione testimoniis vti tantum. PERFICIAM, vt nemo contra,) Aliter quàm ego velim. Nunc illud est quod postea dicet, IN alia tempora reseruemus.) In secūda actione. AVTORITATIBVS.) Cōfirmationibus eloquētiæ scilicet. EX ISTIVS tempore & causa.) Sensus est, non ingenii tui est, quòd contra me egisti maliciose. hoc autem expetit tempus huius, hoc est periculum Verris, & mala causa, quam suscepisti. SECVNDVM binos ludos.) Pòst binos ludos Votiuos ac Romanos.

Prętor habebat i potestate tabellas iudiciarias

Authoritas.

ANTE PRIMOS LVDOS COMPERENDINEM,) id est me, & te dixisse profitens, compererendinationis iudicibus faciam potestatem.

ASTVTA.) Vrbana:etenī urbs ASTV dicitur. Terēt. An in astu venit. CVPIDITAS,) Corruptionē iudicū significat. IN QVIBVSDAM Iudiciis.) Terētii Varronis, vbi discoloribus cæris vsus est: & vbi (vt supra diximus) elusit nobiles pueros. ASSIDVVM) Molestū additum. EX EO loco, ex quo) de Rostris scilicet.

HOC Munus AEdilitatis) Allusit ad ambiguitatē muneris, & Verris nomen bestiæ præferētis. QVI AVT deponere) DEPONITVR in sequestri. ACCIPITVR ab eo qui corrumpitur. RECIPITVR id est promittitur, id est, pro iudicato respōdetur. Pollicetur qui apud se dicit, aut præmium, aut sententiæ potestatem esse. Sequestres sunt apud quos pecunia deponitur. Interpretes per quos inducitur pactio. INTRA x annos,) Recte dixit, hoc enī tempus quo Senatus iudicat victore Sylla ab ordine Equitū Ro. trāsferente iudicia. ANNOS prope quinquaginta) Tāto enim fere tēpore Equester ordo iudicauit, lege Sempronia. SVBLATA Po. Ro. potestate) scilicet sublatā prouocatione ad populū, hoc est à Trib. Pl. Q. CALIDIVS damnatus dixerit minoris sestertiûm tricies.)

Deponere
Accipere
Recipere
Polliceri
Sequestres
Interpretes.
Equites quot annis iudicarunt.

Q. CALIDIVS M. Calidii oratoris pater ex prætura Hispaniensi accusatus à Gallio, pro quo postea Cicero dixit, atq; damnatus, cum sensisset iudicibus pecuniā contra se datam, in eos iudices qui paruo precio corrupti se damnauerāt, exclamauit, Vel idoneā, inquit, mercedem pro meo capite pacisci debuistis. hoc satis honestatis esset in vocabulis, vt hominem Prætorium, nō vili precio venderetis. Et Honeste, ironice dictum est. LIS AESTIMATA sit,) Hoc est pecunia de qua lis fuit, & propter quā cōdemnatus est in summā redacta, quæ de eius rebus exigeretur. Duæ res enim consequebantur damnationem. Pecunia: quæ vel simplex, vel duplex, vel Quadruplatio dicebatur. Altera, exilium.

Q. Calidius.
Lis æstimata.

QVI C. VERRE PRAETORE VRBANO sortiente.) Sic hoc criminose dicit, quemadmodum supra, Hortensio Prætore: qui ambo peculatus damnati sunt. Quid hoc, inquiet quispiam, ad iudicium corruptum pertinet? respōdebimus, Litis æstimationem nōn solum ex

ticulo propositi criminis, sed etiam ex aliis probationibus, quæ ex anteactis rebus apud iudices constiterint. Hi peculatus crimine proposito, etiam quas iudicando pecunias ceperant reddiderunt. Similiter soluitur etiam illud quod supra de pecuniis repetundis positum est. PRAETORE Vrbano sortiente.) Totum hoc magis inuidiose quàm vere dicitur. nam ipse Verres pro testimonio dixit in Iuniano iudicio, adulteratas fuisse tabellas suas, in quibus suppositi iudices essent ad sententiam corruptam proferendam, cum causam ante non audissent. Significat autem C. Fidiculaniũ Falculam, qui ad complendam Oppianici damnationẽ dicebatur esse suppositus. QVOD INVENTVS est Senator.) Stalenum dicit ab vtraque parte fuisse corruptum, quod aduersus eum recitatũ postea in Cluétiana oratione vix purgat, vbi dicit à solo Oppianico H-S CCCC C. Cecilio Staleno iudici data pro numero iudicum qui corrumpendi essent. VT DISCOLORIBVS signis.) Iam supra dictum est. SIGNA autẽ alii cæratas diuerso colore tabulas: alii ab iudicibus appositas tabulas cæratas diuersi coloris aiunt: vt hoc signum esset ad voluntatem rei.

C. Fidiculanius.

Stalenus.

DCXL milib. Cic. pro Cluẽtio.

Signa iudicum

Iurati iudices.

IVRATORVM hominum sententiæ notarẽtur.) Iudicum scilicet, qui in leges antequàm iudicarẽt iurare cõsueuerant. SE HABERE hominem.) Hortẽsium vult intelligi. scit enim hoc nihilominus valere ad minuendam eius authoritatem. APVD M. Glabrionẽ.) Prætorem præsentis anni: quique præesset huic iudicio.

NEQVE ENIM vllam aliam ob causam Pop. Romanus potestatẽ tanto studio requisiuit.) Illo tempore Tribunitiam potestatem flagitabant. Hoc Cicero vtitur ad inuidiam iudiciorum & infamiam Senatu iudicãte. QVI CN. Pompeio) In inuidia tunc Pompeius fuit, quòd COS. redderet populo Tribunitiam potestatẽ. sed totum Tullius ad sui temporis commodum refert, vt etiam Catuli sententiam in Senatu demonstret. CVM PRIMVM cõcionem ad vrbem COS. designatus.) Ad vrbem, in vrbe, & sic dici solet de his qui eũ potestate prouinciali reuersi, aut nondum in prouinciam profecti essent. Pompeius autem

Ad vrbẽ.

pro Cõsule de Hispania Sertorio victo nuper venerat,& statim habuerat concionem de restituenda Tribunitia potestate Palicano Trib.Pleb. HOMINES IN speculis sunt:) Hi sunt Equester ordo,& Vrbana plebs , & omnes qui fauent Tribunitiæ potestati. OBSERVANT.) Modo speculantur,aliàs venerantur. Vergilius,

Præterea regem non sic AEgyptus & ingens
Lydia,nec populi Parthorum aut Medus Hydaspes
Obseruant.

POST legem Tribunitiam,) Ex quo lex fertur de Tribunitia potestate restituẽda. VNVM Senatorẽ vel tenuissimum.) Pauperem,qui vnde iudices corrumperet,non habet.Dolobellã autẽ significat. QVOD tametsi non reprehendunt) Potuit enim dici, Quid ergo noxius si pauper sit?Non est damnandus. NON gratia.) Vult amicum videri Hortensii Verrem, sed tantũmodo prædæ participatione sociatum. NON cognatione.) Hoc ad Metellum collegam Hortensii pertinet,qui illum tanquam si sit cognatus defendit. MEDIOCRI vitio tot tantaque eius vitia subleuata esse existimabuntur.) Vt si quis nimia seruitute patrocinium meruerit, aut assentatione aliqua defendi meruerit. HABEO autem certam viam atque rationem,qua omnes illorum conatus inuestigare & consequi possim.) Hoc autem totum ad terrendos à corruptione iudices dicitur. POST hæc constituta iudicia.) Senatoria iudicia dicit, per hos x annos Syllæ legibus constituta. QVI IAM pridem inuentus est.) Verrem dicit. COGITA quo loco sis.) In tribunalibus. FAC TIBI paternæ legis Aciliæ veniat in mentem.) Mãlius Acilius Glabrio legem ACILIAM tulit de pecuniis repetundis seuerissimam , in qua nec comperẽdinari quidem licebat reũ. Lex Acilia. FORTISSIMVM patrem.) T. Acilium Glabrionem. SAPIENTISSIMVM auum.) Scæuolam dicit iuris peritissimum, qui cũ Cn.Pisone Cos.fuit,quo anno C.Gracchus occisus est.

GRAVISSIMVM SOCERVM FVISSE.) Scaurum significat. SCAVRI constantiam.) Inde subiecit,quid sit Cõstantia. & animaduertendum hanc esse

artificiosam laudationem iudicum ad beneuolentiam,quæ tamen ab assentationis suspitione summota est. AD SVSPITIONEM criminis.) Quia multum rapuit.

AD RATIONEM salutis) Vt a corruptis iudicibus reseruetur. SERVI DESIGNATORVM Consulum.) Mentionem facit illius rei quam de Metello supra monstrauerat, quod Siculos domum ad se accersitos iam ante cōterruit. QVADRAGINTA diebus interpositis.) His, qui sunt post binos ludos Votiuos, atque Romanos:quos alii bini consecuturi erant., Victoriæ atque Plebei. CVM HAEC FREQVENTIA totius Italiæ Roma discesserit.) Frequentiam dicit plebis rusticæ, cui voluit iudicii notam esse integritatem suam.

CONVENIT.) Aut ex municipiis cuiuscunque modi multitudo, aut propter comitia suffragiorum causa, aut ludorum Votiuorum, Romanorum, Victoriæ, Plebeiorum: aut vt censeretur apud Censores Gellium, & Lentulum, qui tunc erant. HVIVS IVDICII & laudis fructum, & offensionis periculum vestrum.) Figura Zeugma: ad singula enim subaudiendum est, puto esse oportere.

FACIAM HOC NON NOVVM, sed ab iis qui nunc principes nostræ ciuitatis sunt ante factum.) Verum dicit, etenim L. Licinius, & itē M. Licinius ambo Consulares: M. vero & triumphalis fuit hi cum accusarent

L.Cotta. L.Cottam, nō vsi sunt oratione perpetua, sed interrogatione testium causam peregerunt. ILLVD A ME no

Oratio p petua. uum cognoscetis.) In eo se dicit noui aliquid allaturum, in quo diligentius crimen expositurus est, quā qui ante ipsum

Accusator etiam suos testes interrogabat. breuiter accusauerūt. VBI ID INTERROGANDO,) Apparet ex hoc dicto, testes suos etiam ipsum accusatorem interrogare consuesse. ARGVMENTANDI dicendique sit.) Argumentari est argumentis vti ad

Argumētari. rem probandam: DICERE, amplificatione vti ad rē ad de-

Dicere. lectandum commouendúmque auditorem oratione perpetua. SI QVIS erit qui perpetuam orationem,) Vides quia argumentis se vsurū non negat, iam modo: quanq̃ perpetuā orationē se neget habiturum in hac oratione quæ

prima est. SI QVIS ERIT QVI PERPETVAM ORATIONEM ACCVSATIONEMQVE.) Bene hæc separauit, vt ostenderet etiam sine perpetua oratione, accusationem tamen esse: vt intelligi posset, vt res non vna, sed duæ sint. NVNC ID QVOD FACIMVS EA RATIONE FACIMVS.) Inconsequens locutio, & obscura, non minus est quam illa in fine orationis pro Ligario. Nisi forte facimus semel ponitur. CVM MVLTA LIBIDINOSE, MVLTA CRVDELITER IN CIVES ATQVE SOCIOS.) *A specie cœpit, & subiūxit socios dicendo. postea ad deos atque homines. sed non est vitium, quod sub auxesi positum, nō pro ratiocinatione. SESTERTIVM QVADRINGENTIES.) Diximus de hac quæstione summæ variæ. in Diuinatiōe enim Sestertium millies dixit, quod soluimus, quòd adhuc nō erat insinuata criminum ratio Ciceroni: & quòd ex persona Siciliæ loquebatur, augere noluit veritatem: & quoniā spe duplæ vel quadruplæ repetitionis quantum ius accusatori progredi licuit. nam quamuis Sestertium septingenties tantum dupli nomine exigi iussus est, ad gratiam ne Hortēsii an suam, an etiam conniuentia Ciceronis ipsius, parum comperimus. DIXI,) Moris veterum fuit, cum satis visum esset fluxisse verborum, hanc sibi necessitatem finiendæ orationis imponere, vt dicerent ad vltimum, DIXI, quod etiam ab vtraque parte oratione consumpta, vt in consilium dimitterentur, Prætor soleret pronunciare, DIXERVNT. Bene ergo Tullius denuncians aduersariis compendium breuitatis, hoc verbo vsus est, Dixi. Non ante mihi finitur prima actio. Inducentur enim dehinc à Tullio testes, quorum verba in oratione conscribere nullius elegantiæ fuit. multis autem diebus prima actio celebrata, dum testes Verris producūtur criminū diuersorū, dum recitātur publicæ priuatæque literæ: quib. rebus adeo stupefactus Hortēsius dicitur, vt ratione defensiōis omitteret: adeo perculsus Verres, vt abiret in exiliū sua sponte. nec quid amplius ī iudicio gestū esset, nisi ꝙ Tullius metuēs ne tātū negociū penè tacitū præteriret, fixit

Dixi.

Dixerunt.

Verris spōtaneum exilium.

Verrem comperendinationi præsto fuisse,vt bis defensus ad cusaretur iterum: & quemadmodum victoriæ cósuluerat bre uitate dicendi, ita laudem eloquentiæ tanquam repetita accusatione est consecutus, reliquorum conscriptione librorũ qui cæteros consequuntur.

Q.ASCONII PAEDIANI COMMENTATIO IN III M.T.CICERONIS ORATIONEM CONTRA C.VERREM.

ARGVMENTVM.

DEINCEPS hæc omnia non dicta, sed scripta sunt contra eum.quod ita factũ est. Fingit Cicero adesse in iudicio Verrẽ cóperendinatum, Respondere citatũ, & defendi.in cæteris vero orationibusdefensor futurus,accusationis officium his libris, qui Verrinarũ nomine nuncupantur,compensare decreuit. Et quoniam accu sare multos indecorũ Marco Tullio videbatur,& in vna cau sa vim huius artis,& eloquentiæ demonstrare(Nam & bene intelligentes omnem virtutem oratoriam,quæcũque in criminationibus constituta est, hic expressam vident: & contrà,ex hoc defensionum vim in cæteris orationibus,& neruos eius ex hac virtute cognoscunt,quæ in opprimendo exprimitur reo.) Igitur rerum scena sic facta est, vt dicit Tullius,non vt acta res est.Adest,inquit, Verres, respondet, defenditur. Ergo cum prima actione accusatus sit ac defensus Verres,nunc velut defensus iterum (sic enim mos erat)in al tera actione accusatur,ad vltimum rursus oratione perpetua crimina repetundarum, & alia pleraque anteactæ vitæ sæpe firmantur. Sumitur etiam hic sæpe defensio. Omnis enim confirmatio ab attributis negotio sumi solet. Ergo attributa Personæ maxime in anteacta vita quæri solẽt:Negocii, in ipso crimine. Libros igitur pro qualitate criminum Tullius diuidens,anteactis vnum dedit,hunc scilicet solum:crimini ipsi repetundarum IIII. Vnum,de iure dicendo:Alte-

rum,de Frumentaria: Tertium,de Signis: Quartum,de Supplicijs. Ad hanc enim similitudinem poeta Vergilius, Minoem iudicem apud inferos,tanquam si Prætor sit rerũ capitalium,Quæsitoré appellat: dat ibi sortitioné,vbi vrnam nominat: dat electionem iudicum,cum dicit, Consiliumq; vocat: dat cognitionem facinorũ, cũ dicit, Vitasq; & crimina discit. Ergo hic liber,qui de anteacta vita est,STATVM necesse est Coniecturalé habeat. CAPITA auté quæ ipse Tullius fecit diuidendo totam hanc accusationé in Legatione vice Quæsturæ, tertio in Prætura vrbana. nam cum omnes eius actus Quæsturæ nomine,Legatiõis, Præturæ Vrbanæ, Præturæ Siciliẽsis quæ quadripartita librorum diuisione cognoscantur. ante acta enim omnia hoc libro comprehensa sunt ad eorum fidé quæ post dicuntur. PROOEMIA sane huius libri insinuatione constituta sunt, quasi veræ accusationis in Verrem audétem adesse,atque defensum: exhortatione iudicum, ad recte iudicandum: tum in minis contra aduersarios: & in exhibenda ratione officii sui,cur ita maluerit accusare,vt prima actione tantum testibus vteretur. quæ omnia eiusmodi sunt, vt non tam noua dicere, quàm dicta libri superioris instaurare videatur. Post hæc omnia ipsius Ciceronis per honores Verris cum criminibus iunctos DIVISIO per ordinem temporum currit. Quæsitor Minos.

EMINEM vestrum ignorare arbitror iudices) N Hoc figmentũ est M. Ciceronis, vt sequentiũ librorũ vera actio videatur. nam Verres iã sua spõte elegit exiliũ. RESPONDET,) Recte dictũ est respõdet: nã apud veteres,& Iudices,& rei,& accusatores,& defensores dicebãtur à Præcone Prætorio. PATIOR Iudices) Cũ dolere debuerit resisti sibi,pati se,& æquo animo ferre dicit,vt pugnã victoria cõsequatur. NEQVE enim salus vlla maior Reipublicæ hoc tẽpore inueniri potest.) Eadem repetit, quæ in prima Actione dicta sunt, E Republica esse damnari Verrem. DILIGENTER reiectis) Reiectos iudices pro electis intelligi conuenit. ibi enim reiectio iudicum vbi & retentio continetur. In reiectione autem accusatoris, vel fides accusationis, vel præuarica- Mos veterum iudiciorum. Reiecti iud. pro selectis.

tionis, vt supra dixit, apparet. ET PROPE DE-
Deposit°. POSITAM,) Desperatæ salutis. Sic & Vergilius,
xii. AEn. Ille vt depositi proferret facta parentis.

POSTREMO VT ESSET HOC IVDICATVM.) subauditur accessi, ἀπὸ κοινοῦ ad omnia, quibus hoc verbum in hac sententia conuenit. REVS est enim nocentissimus) Terentius, Et habet quod det, & dat nemo largius. Et de persona, fatuus, insulsus, tardus stertit. IMPIE NEPHARIEQVE COMMISIT.) Nephandum est non fandum. Nepharium quod sacra polluit farre pio solita celebrari. ergo Nepharii sacrilegi.

Nephãdũ

Nephariũ

AGVNT EVM præcipitem,) Proprium Ciceronis, & in Orationibus, & Dialogis, & in Epistolis eandem sententiam sæpe dicere, & vti eloquentiæ diuersis modis, iisdemq; sententiis, tamen ab aliqua occasione repetitis. Nam & hic repetitio Verris, in qua videtur insaniæ Verris causam velle monstrare. est enim hic locus de suppliciis irrogatis, vbi ostendit ciues Romanos Verrem pro prædonibus occidisse. RELIGIONES vero cerimoniæque) De signis, de furtis tacet modo, quasi non idoneis ad furorem auaritiæ, supplicio communi, æstimatione litis, exilio.

CVI DAMNARI expediret) quia minor in dãnatione est pœna, quàm in concione Po. Ro. & in eorũ animaduersione. non istum modo terret, sed subtiliter etiam iudicibus comminatur. NON id tempus.) quod inuidiosum Senatui est. NON is reus,) Qui & nocentissimus. NON ID CONSILIVM,) Quod ex optimis viris lectũ tale est. Vt si quid in ipso culpæ fuerit se * pariti melius esse natum me. NE ACTOR quidẽ.) Tullius scilicet, in quo omnia ad vincẽdũ parata. AD ALIVD iudicium) Po. f. & Equitum Ro. ALIENO nomine) Quæstores Vrbani ærarium curabant, eiusq; pecunias expensas & acceptas in tabulas publicas referre consueuerant. Alieno autem nomine dicit Carbonis nomine vel exercitus eius. nam Cõsulis militum eius nomine pecunias ex ærario sumptas auertit, cõuersus ad Syllã bellis ciuilibus.

Quæstores vrbani

Alieno nomine, ad fruméti emptionem quod Siculis non persoluit. DE CAPITE.) Hoc in Sicilia fecit gratiosius in Decumanos, vt frumentũ in auctione promissum ab Decumanis vsibus Pop. Rom. cum illi refragarentur à * plicito de summa detraxerit, minusq; eos inferre passus sit annonæ Pop. Rom. quod illicitum probatur multis documentis. M. MARCELLI & P. Aphricani monumenta.) Signa concessa, & reportata Siculis à M. Marcello, & Scipione Aphricano. Nam Marcellus donauit, quæ victis Syracusis asportare iure belli poterat. Aphricanus victa Carthagine reportauit, quæ victis Siculis ademerāt Pœni. MEDITETVR de ducibus hostium.) Hic crimen de suppliciis esse cognoscitur. in hoc enim libro hæc latius explicantur. QVOS IN eorum locũ subditos.) Captis prædonum ducibus Verres illos quidem remisit accepto præmio. Pro illis autem mercatores innocentissimos partim trucidauit, partim domi suæ priuatim reseruauit, ꝙ diceret, timuisse se, ne sibi crimini daretur, eos ab se pecunia liberatos. VSQVE DVM PER ME licuerit.) Quantum in ipso fuerit. HOC IN ILLO) Quòd domi suæ priuatus, quod est maiestatis crimen, hostes publicos habere poterat. Sed finem fecit huius audaciæ me cogente, qui institui vt de eius domo in publicam custodiam ducerentur. QVO ME IAM pridem vocat Pop. Rom.) Se dicit: quia AEdilis factus est, vt defendat libertatem Po. Rom. QVI COGNITORES homines.) Hoc genus defensionis in iure COGNITOR dicitur, maxime cum de alicuius statu agitur. Ipse alibi, Cognitoré iuris sui. QVINQVE & xxx.) Ac per hoc totus Pop. Rom. Principio tres fuerunt. Tatiensis vnà, à Tatio rege: Rhamnes altera, à Romulo: Luceres altera à Lucumone siue Lucretino, siue à Luco, quem Asylum vocauerat Romulus. Post de nominibus Sabinarum plures factæ, quibus precatricibus parentum bellum maritorúmq; finitum. ad postremùm xxx & quinque factæ. Obtinuerunt autem nomen aut à Tributo dando, aut quia primo tres fuerunt, vnde etiam TRIBVNI dicti.

Cognitor

Trib. xxxv Luceres.

Tribus & Tribuni.

RELIGIONEM.) Quia iurati testes dicebant.

Latumiæ. LATVMIAE)carcer Syracusis,linguaSiculorũ.Latumiæ autẽ lapidicinæ dicũtur loca cæsis lapidib.execta. DE LOCO superiore.)De Rostris:quippe qui AEdilis sum factus. QVO in numero ẽ vobis cõplures fuerunt.)Alia enĩ sortitiõe nũc sedẽt,alia in Diuinatiõe cõstituẽdi accusatoris fuit. INIMICITIAS iustas.) Ad aliud argumentum victoriam suam interpretatus, simpliciter fatetur, quod in Diuinatione expugnauerat, non idonaem fuisse causam accusandi Verris Cecilio cõmentitiam simultatem. IVSTAS inimicitias magnas dicit: vt ecõtrario Verg.

Iustum. Iniusto sub fasce viam dum carpit.

CVM ID postularet.) Bene addidit,quia in Diuinatiõe huiusce rei mẽtio facta nõ erat. VIM INQVIRENDO tantã habui.) Dicit plura crimina inueniri potuisse q̃ inuenta sunt,si vellet Tullius non ad legẽ Repetundarum inquisitionem facere,sed ad vniuersa quæ commiserat Verres. Nam certe quantum abstulerit ex Sicilia Verres, non quantum flagitii commiserit,dicere accusatorem causa compellit. NE QVIS de mea fide.) Ex Verris pecuniosi rapinis inuidiosum,& apud iudices plurimum,vt non sine causa de eorum constantia Cicero dubitare videatur: & valet ad suspitionem magnopere corrupti, immo redempti Hortensii & fautorum Verris,ad defensionem eius , quo se quoque ẽ suspitione hominum non excepit Tullius.

SCIEBAM IN reiiciendis iudicibus.)Multi, inquit, ita subtiles fuerunt præuaricatores, vt in tota actione fideles actores esse viderentur: qui tamen non effugerunt suspiciones hominũ in reiiciendis iudicibus. VERSARENTVR.) Reiiciens enim malos,& retinens bonos, verus accusator intelligitur: qui vero contrà facit,vt sit impedimento cæteris,astuque tegat, de hoc intelligitur quod præuaricator existat,& bona accusatio cum causa laudantis iudicis oritur. POST HVNC statum R.P.quo nunc vtimur.) Qui est per x annos, ex quo Sylla vicit, ex quo iudicat Senatus. QVAM ISTE LAVDEM.) Vitat argumentum, quod ipse in libris Rhetoricorum reprehendit,

& Commune appellauit. QVI CVM P. Galbam iudicem reiecisset.) Bonum. M. LVCRETIVM retinuit.) Malum scilicet. Sed tamen scire vos conuenit hunc Lucretium à Cicerone esse reiectum, neque enim præsentē iudicem vituperare fas fuit. REIICI PASSVS ESSET.) Ac per hoc reiecisset ipse. CONTRA FIDEM meā nihil potuisse.) Quia non sum AEdilitate deiectus. DEINDE RELIQVIS diebus.) Apparet multis diebus prima actione accusatum, productis testibus, Verrem. NON ENIM spolia C. Verris.) Vt quadruplator, qui de condemnati bonis ipse aliquid sumam.

Iudicem præsentem vituperare fas non fuit.

SED EXISTIMATIONEM.) Vt bonorū ciuium. CVM CAVSA.) Cui rei contrarium est, SINE CAVSA. DEFENSOREM.) Prouinciæ.

Cū causa. Sine causa.

CONSTITVI & deligi,) subaudiendū ad oīa, meū fuit. ABSTVLERIT.) Pro suo habuerit, persuasum sibi ostēderit. QVANTO periculo veturi simus ad eos Iud.) Vult intelligi metuendum esse Senatui, ne Equites Ro. iudicent: quos nō solū pro integris, sed etiam pro inimicis nobilitatis vult P.R. iudices esse. A PORTA SVBITO ad iudicium retraxisset.) Hoc comminiscitur Cicero, vt credamus veram fuisse secundam actionem: quæ secundum veram gestorum fidem non dicta, sed scripta est.

NON SINE causa.) Corruptis iudicibus scilicet.

NVNC NE NOVO querimoniæ genere vti possit.) Astutia Ciceronis hæc fuit vtendo testibus, vt nihil reliquisset Hortensio, nisi vt eos interrogare posset: dicendi autem facultatem nullam ei dedit, nihil ipse dicendo. Etenim metuebat, ne si locum dicendi inuenisset Hortensius, breuitatem temporis longa oratione cōsumeret: vt secunda actio ad alios iudices, qui corrumpi possent, aliumque Prætorem, post CAL. IAN. perueniret, Coss. futuris se & Metello fautoribus Verris. Hæc ita sunt quemadmodum dicimus: sed Cicero sic proponit querelam Hortensii, vt & iniusta & ridicula esse videatur. Et est ordo, Nunc ne nouo querimoniæ genere vti possit Hortensius, morem illi geram.

HIC TV FORTASSE ERIS DILIGENS.)

Apostropha ad ipsum Hortensium, qua ostendit non posse se cogi vti oratione perpetua, & omnibus horis suis si nolit vti. & mire HORIS dixit, cum dies sint plurimi, vt ostẽdat nimiam diligentiam, & eas horas dicentis dictione esse cõplendas. Veteres præterea Horas generaliter dicebant more Græcorum. QVOD mihi lex mea causa det.) De commodo proprio licere vnicuique detrahere, præsertim cũ de eo, aduersario nihil possit esse commune. EA RE quidem.) Vt quæstionem propositam infirmaret, causam propositionis affinxit, quæ sibi solutionem propositi quam volebat afferret, in hoc quidem genere causarum, coniecturali scilicet. ADIMO ENIM comperendinatum.) Pro comperendinatione posuit. Et est sensus, aufero vobis molestiam bis dicendi. Sed quid dices, vtile esse bis dicere? At mihi ego denego hanc vtilitatem, in qua re cur me accuses, non habes. Etenim comperendinatio propter me magis quàm propter te est instituta, aut nõ magis propter te quam propter me. si enim numerum dicendi consideres, ex æquo res est: si ordinẽ, ego sum prior. nã si accusator dixerit, respõdet prima actione defensor: vt rursum comperẽdininato iudicio dicit prior defensor, & defensionem tanq̃ duplicẽ in medio positã obruit vltimus accusator. GLAVCIA primus tulit.) Ante legem Glauciam de comperendinatione, aut statim sententia dicebatur si absoluendus esset reus: aut amplius pronunciabatur, si videretur esse damnandus, cũ dixisset iudex, Non liquet, hoc est obscura causa est. itaq; ea pars interposita dilatione dicebat, in cuius peroratione videbatur obscuritas. COMPERENDINATIO vero vtriusque partis recitatio est. Alii sic adnotant, Comperendinatio est secunda actio. Item comperendinatio est ab vtrisque litigatoribus inuicem sibi denunciatio in perendinum diẽ. nãq; cum in rem aliquam agerent litigatores, & pœna se sacramenti peterent, poscebant iudicem qui dabatur post trigesimum diem. quo dato, deinde inter se comperendinum diẽ, vt ad iudicium venirent, denunciabant. quò cum esset ventum, antequam causa ageretur, quasi per iudicem rem exponebat, quod ipsum dicebatur CAVSAE CONIECTIO, quasi

Horæ.

Comperẽdinatum.

Glaucia lex.

Comperẽdinationis formula.

causæ suæ in breue coactio. Alii sic, Inter Comperendinationem, & Ampliationem hoc interest, quòd Comperendinatio ex vna tantum repetitur, cum ante iudex non intelligeret, & omnino si persuadebatur Iudicibus bona causa, absoluebāt eum: si mala, non statim damnabant, sed hac excusatione parcebāt. Nam quum condemnandi nota esset C litera: Absoluendi, A: Ampliandi signum N L: dabant, quod significabat, Non liquere. Vnde ampliatio nascebatur. Causæ coniectio.

IVDICARI) dici sententia absolutionis. hoc significat id quod sequitur, cito absolui, iudicari, tarde condemnari, ampliari. ACILIAM LEGEM.) Acilii Glabrionis patris huiusce Prætoris, de quo etiam supra dixit. de quoque lex neque comperendinationem, ampliationem habitam. MITTAM IN CONSILIVM,) Id est perorabo. nam MITTERE IVDICES IN CONSILIVM, est, dimittere Iudices ad sententiam dicendam, vbi allegatis omnibus argumentis orator dixerit, Dixi. Mittere iudi. in consilium. SESTERTIVM QVADRINGENTIES) In Diuinatione millies dixit. sed cur ita variauerit fidem summæ, iam in superioribus diximus. NOMINA SVA EXEGISSE.) Tituli debitorum NOMINA dicuntur: præsertim in his debitis, in quibus hominum nomina scripta sunt, quibus pecuniæ commodatæ sunt. Cui rei contrarium est MVTVAS ACCEPISSE. Ergo nomina, debita vel debitores. Nomina Mutuas accipere.

HAEC EADEM SE AVDISSE DICERENT.) Apud antiquos, & de auditione testimonium dicebatur. VT IN Testibus interrogādis) Tenere debemus interrogationes testium, & accusatoris & defensoris, & eius qui producit, & eius contra quem producuntur. Testimoniū de auditione. Interrogatio testiū.

SED ETIAM POP. ROM.) Qui circum subsellia coronā fecit. INTERPOSVISTIS ACCVSATOREM.) Qui iste sit accusator, vel quem accuset, in priore libro iam notauimus. Quod autem dicit, MENSES MIHI TRES QVVM ERIPVISSET) Hoc dicit, centum autem & decem dies inquirendi in Sicilia postulaui: consequens erat,

vt etiam quinquagesimo die redissem, vt redii, statim accusarem, quod possim facere. Interposuistis accusatorem quendam cuiusdam ex Achaia rei, qui sibi c & v i i i peteret, & ita factum est, vt quãuis ego festinatò redierim, ille adhuc profi ciscatur, non potuerim tamen agere donec complerentur illo absente c & v i i i dies. sic enim erat à Prætore legibus ordinatum: vt si intra centũ & octo dies ille inquisitor Achaicus aduenisset, priore loco ageret. ita factum est, vt propè tres menses sine ludorũ impedimento ad agendũ appositos sine causa Tullius amisisset aduersariorum dolo. centum enim & octo dies plusquam tres menses sunt. V T C V M horis nostris vsi,) Horis, x x D I E B V S scilicet. hi enim dabantur ad accusandum legitimi: totidemque defensori ad respõdendum. N E Q V E M nemo prima actione defendere ausus esset) Testes tabulæque facti dari solent: itaq; ab accusatore dantur. non facti, non dantur testes: ergo nihil prosunt à parte defensoris. quid ergo facit pro defensore? oratio scilicet, cuius potestatem Hortensius non habuit tacẽte accusatore, non ergo defendere Verrem non ausus est. quia nõ poterat vt volebat, in totum prætermisit Hortensius. S I, Q V A M D I E M isti qui istum eripiendũ redemerunt,) Fingit Tullius peruenisse se ad pactionem eorum, qui in se susceperant procurationẽ corrumpẽdorum iudicum, & liberandi Verris, quos ita in cauẽdo scripsisse dicit pro eo se promittere corrupturos esse iudicium, si post C A L. I A N. de Verre iudicarent. E A M ego) Essem stultus, inquit, si quã diẽ illi in promittendo elegerant, ego in accusando non refugissem, præsertim cum possem effugere si imprudens nõ essem. N V N C M I H I T E M P O R I S E I V S Q V O D M I H I A D D I C E N D V M D A T V R,) Alii ferunt hoc dies xx, alii pauciores, alii plures. A V T E X I S T O Q V E M S V I S I M I L I M V M P R O D V X I T) Reprehendunt homines stultissimi Tullium, quòd in filio Verris innocentiam lædat: ac tamen ignorantes illũ accusatoria arte prouidere, ne in epilogis productus ab Hortensio conciliet misericordiam iudicum patri.

xx dies ad accusandum.

L E N O N V M, A L E A T O R V M, P R O-

DVCTORVM:) LENONES sunt scortorum, PRODVCTORES etiam inuitarum personarum, & in quibus stupra exercita legibus vindicantur. QVAESTOR CN. PAPIRIO COS. FVISTI.) Vno nomine Cn. Papirii Carbonis, & tempus criminis significauit, & crimen. Legitur tamen & Consuli. OBTIGIT TIBI CONSVLARIS) prouincia subauditur. Lenones Perductores.

DISSENSIO CIVIVM,) Leuiter dixit bellum ciuile grauissimū Syllæ cum Marianis. QVID SENTIRE DEBVERIS.) Cum quibus facere. AC SORTE,) Potuisti enim, & debuisti, si nolles repudiare illam sortem, aut susceptam tueri. PECVNIA ATTRIBVTA.) Quæ in stipēdium militū de ærario, à Tribunis ærariis adnumerari Quæstori solet: ergo Verri adnumerari intelligitur. VOLVNTATIS eorum) Syllanorum scilicet. COMPILARIT.) Pilos peruellerit. sic fraudauerit furto, vt ne pilos quidem in corpore spoliatis reliquerit. AD NOBILITATEM, HOC EST AD SVOS.) Totum hoc per ironiam dicitur. ACCEPI, īquit) Referri ad ærariū ratio solet pecuniæ publicæ à Quæstoribus. Verres igitur retulit. sed Tullius hoc reprehendit. primo falsam hanc relationem & breuem esse. deinde idcirco acceptam, quia proditor Carbonis, fauorem sibi apud Syllam comparauerat. Nam paucis verbis quid acceperat, quid reliquerat dixit. DEDI stipendio, frumētō, legatis,) Hæc omnia nomina sunt erogationum, quibus aut stipendium militibus dedisse se dicit Verres, aut frumentum coemisse in annonā exercitus aut Legatis, aut Proquæstori in sumptum *alimēta de publico dant. COHORTI Prætoriæ.) Comitibus consularibus. Veteres enim omnē Magistratū, cui pareret exercitus, PRAETOREM appellauerūt. Vnde & PRAETORIVM, tabernaculū eius dicitur, & in castris PORTA PRAETORIA, & hodie quoque PRAEFECTVS Prætorio. PRO QVAESTORE.) Pro officio quæstorio. significat autem Quæstoris annonas. Sibi imputat pecunias publicas datas Verres. ACCEPI, inquit, VICIES DVCENTA TRIGINTA-

Pecunia attributa. Cōpilare. Prætoria cohors Prætoriū Præt. Porta. Præf. Prętorio.

QVINQVE millia, quadringentos decem & septem numos,reliqui Arimini sexcenta millia,) Hæc summa cũ ratione cõsentit. HOC MODO AVT ego,aut tu Hortensi,) Ambo enim Quæstores fuerunt. Verisimile est,tantæ pecuniæ rationem duobus versiculis confici potuisse?

OPPIDVM SIBI ELEGIT ARIMINVM) Hoc oppidum Albinouanus Syllæ prodiderat,dux ipse Marianus. RECITA DENVO P. LENT. L. TRIARIO QVAESTORIBVS,) Hoc est caput lectionis relatarum à Verre rationum ad ærarium totius Quæsturæ eius. NON VT HONOS ET DIGNITAS) Pro nobilitate pugnante Sylla contra Marianos hac eadem causa, sed vt esset transfugio aiebat Verres, vt dignitas & salus nobilitati restitueretur. IDEM FECISSES QVOD ANNO POST M.PISO.) Exemplo vrget Verrem, vt ostendat quid facere potuisset nisi furtum pararet. BENEVENTI ESSE IVSSIT,) Beneuentani plerique Syllani erant. NON MODO NON EXISTIT.) Emergit,exoritur,exurgit. MALLEOLO OCCISO.) Suspicioso verbo vsus est. Nam non insistit,vt probet à Verre occisum esse:sed ita vult videri,quia Verri mors eius lucro fuit. ALTERAM Tutelæ,) Filii Malleoli tutor factus est Verres.

Existit

QVAE IN IPSVM VALEBANT CRIMINA,) Apertius hoc postea dicturus est Tullius.etenim accusator Dolobellæ volens indice Verre vti cõtra Dolobellã,librũ criminũ cõmuniũ Verris & Dolobellæ Verri ostendit, & promisit hæc se crimina non obiecturum, si sibi Verres & proditionẽ Dolobellæ proderet, & testimonium aduersus eum diceret. quare Verres Dolobellam cui Legatus & pro quæstore fuerat oppugnare compulsus est. Inimicos autem accusatoresque Dolobellæ Cæsarem dicit.nam Scaurus Dolobellam alium accusauit, nec damnare potuit.

MISER QVVM ESSET.) MISERVM pro innocente Tullius ponit. Sic alibi, Et erunt qui illum si hoc fecerit non improbum, sed miserũ: me non diligentissimũ

Miser.

cos.sed crudelissimum tyrannum existimari velint.

EX COMMVNI calamitate.) Ex Syllanis temporibus scilicet. ne diceret de Sylla, clausit, vt diceret, Sylla mihi iussit, Sylla hoc fecit. CIRCVNSCRIPTO,) Sublato, circũducto, ac prætermisso: aliâs decepto significat. POSTEAQVAM Cn. Dolobellæ.) Ἀνακεφαλαίωσις de Dolobella. nam supra de eiusdem dãnatione dicebat. EST ALIVS mihi locus,) De signis scilicet, an peculatus, si hinc euaserit Verres. AESTIMATVM.) Imposito precio exactum secundum legem repetundarum. ITA MAGNI fluctus eiiciebantur.) Extra fines littoris exibãt. TEMPORIBVS exactis.) Mensibus exactis. SACRA putatur.) Sacra mari colitur medio. elegerunt potius Sacra dicere, quàm id quod in consuetudine est Sacrata. VT NE Persæ quidẽ,) Cyro, Dario, Xerxeq; duce. DIS HOMINIBVSQVE.) Quia non solum hostes erant, vtpote barbari, verum etiam more gẽtis suæ nulla Diis in terris tẽpla cõdenda esse credebãt. præsertim cũ vni soli quẽ venerarẽtur vix mũdus ipse sufficeret. Erãt ergo & ædiũ sacrarũ, & simulacrorum euersores. EQVOS muneraq;.) Quærendũ cur equos à cæteris munerib. separauit. an quia Asiani magno precio æstimant equos? QVEM quondã in comitio vidistis,) Licebat enim mutua hæc signa portare Romã AEdilibus ad ornatũ ludorũ, & rursum sociis reportare. nec hoc crimen distulit in orationẽ, quæ est de signis, quia specialiter crimẽ & breue est, nec habet quod adiici posfit. IVNONIS Samiæ.) Hinc Vergilius,

Posthabita coluisse Samo. NON AD Prætorẽ, sed Romam deferri oportere.) Atqui legimus de Oppio & de Porcilio, apud Oppiũ depositas sellas, sed apud eos sub quibus agebãt aut Quæsturã aut Legationẽ. Legatus autẽ Verres non Neronis sed Dolobellæ erat. CVM obsignãdi gratia venissem,) Moris fuit, vt accusator obsignaret domũ, & clausa omnia eius quem accusaturus erat, ne qua furtorum indicia aut in vasis, aut in signis, aut in literis constituta ab eo remouerentur.

Circũscriptus.

Sacra, Sacrata.

Persarum de tẽplis Deorum opinio.

Equi Asianis in precio.

Obsignãdi mos.

• AD OMNES COLVMNAS.) * Locus ante lo-
Cælum. cum non dicitur. IN SYLVA.) In viridario.
Dius. SVB DIO.) Id est sub cælo. Cælum Græci τὸν δία dicunt. sed ita declinatur, hic dius, huius dii, huic dio, hunc dium, ab hoc dio. QVAMDIV ALIVM Prætorem.) Metellum scilicet. CVM IIS iudicibus.) Quos in horum locum, quemadmodum supra dixit, subsortiturum se Verres esse credebat. NOSTRIS TESTIBVS nos, quàm horis.) Vsus est enim prima actione Cicero magis testibus suis, quàm temporibus, id est sibi ad dicendum lege datis. QVAESITOREM.) Dicitur, &
Quæsitor Quæstorē. si Quæsitorē, illū ipsum Glabrionē, cuius cura est
Quæstor. vt sociis omnia rapta reddātur. si Quæstorem, ad quem rediguntur proscripti bona, & à quo sociis adnumerantur.
Sector. SECTOREM autem dicit æstimatorē redēptorēq; bonorum damnati atque proscripti: qui spem sectans lucri sui, id est secutus spem æstimationis suæ, bona omnia rei auctione vēdit, & semel infert pecuniam vel ærario, vel sociis. Contra hos igitur iam pugnat Verres, in quibus subtraxit signa: non cōtra me, qui illum etiam subtractis signis testimoniis tamen possum conuincere. TRIERAR-
Triremis. CHVS,) Naui triremi præpositus. Triremis ternos remorum ordines habet: ita & biremis, & quadriremis, & deinceps dicuntur. QVEM OMNIA intus canere dicebant.) Cum canunt Citharistæ, vtræq; manus funguntur
Foris & intus canere. officio: dextra plectro vtitur, & hoc est FORIS CANERE: sinistra digitis chordas carpit, & hoc est INTVS CANERE. Difficile autē quod ASPENDIVS Citharista faciebat, vt nō vteretur cantu vtraque manu, sed omnia id est totam cantionem intus, & sinistra tantum manu compleċteretur. Vnde
Aspendii citharistæ omnes quotquot fures erāt, à Græcis ASPENDII CITHARISTAE in prouerbio dicebantur: Quòd vt hi carminis, ita isti furtorum occultatores erant. Valet hoc prouerbium, & in eos qui multum intestinis suis commodis consulūt præter honestatem. ARTIFICIO superasse) Vt interius positus esset, qui intus cantare consueuerat. PER-
Perga op. GAE fanum antiquissimum.) Apparet oppidum Pergan

vocari, cuius nominatiuus casus Perga est, ergo aduerbium loci Pergæ. FANVM sanctissimum.) Religiosissimũ templum, vnde fata petuntur. QVID DE L. Scipione?) De quo cum Senatus ambigeret, vtrum idoneus esset, qui in Asiam contra Antiochum mitteretur: P. Scipio Africanus frater eius Legatum se ei obtulit ad id bellum gerendum, & victoriam reportauit. QVID DE L. MVMMIO?) Legatorum Pop. Ro. violatorum causa bellum aduersus Corinthum Græcã vrbem gessit P.R. eãq; deleuit duce Mummio. Cur autem Græcorum triumphorũ ponit exẽpla? Quia de signis loquitur, quorum copia apud Græcos est constituta. OMNES ERANT eiusmodi.) Boni scilicet. P. SERVILIVS,) Bona occasio promerendi iudicis, cum obtestatione coniuncta. Hic enim bellum in Cilicia gessit, deque ea triumphauit captis Coryco, Olympo, Phaselide, tribus magnis eius terræ vrbibus.

Corinth• euersa.

LEGATVS QVAESTORIVS.) Legatum ex Quæstore agens. PER triumphum vexit.) Herculis enim signa ante triumphantem vehi per pompam solebãt.

Herculis signa.

AD AERARIVM perscribenda.) Hæc fuit veterum diligentia, vt quod quisque de subiugata prouincia per triumphum apportauisset, perscriptum in tabulis in ærario reponendis conseruaretur. FIGVRAM, statum,) FIGVRA est circa gestum situmque membrorum. STATVS circa ornatum & habitum vestis insignium & armorum.

In ærariũ referendi mos.
Figura.
Status.

CERTE maior est.) Nõ video quid velit hic sensus, nihil enim mirum diligentiorem esse Seruilium quàm Verrem, si ita est: nisi forte quod ait, certe maior est, sic accipiamus, quasi dicat Verrem maiorem: & quod subiunxit argumentum, virtutis quàm voluptatis maiorem esse fructum.

DICES TVA quoque signa.) Oratoria plasi hãc sibi obiecit quæstionem, quæ genus cõfessionis in se habet. Nam AEdili atque Prætori Hortensio, & item Metellis rapta ex prouinciis signa ad ornandum forum, & comitium commodauerat Verres. Olim enim cum in foro ludi populo daretur, signis ac tabulis pictis partim ab amicis, partim è Græcia cõmodatis, vtebãtur ad scenæ speciem, quia adhuc

πλάσις.

Comitiũ. theatra nõ fuerãt. COMITIVM, locus propter Senatum, quò coire Equitibus & Populo Rom. licet. QVI SE iudiciorum dominos.) Hortensium cæterósque nobiles.

EX ASIA, atq; Achaia.) Vnde fuerant ista signa per furtũ sublata. nam solebãt magistratibus commodare reddẽda. HABEO ISTIVS, & patris.) Legitur & AB EO. ACCEPTI tabulas.) Id est acceptarum pecuniarum. Legitur & ACCEPI. Moris autem fuit vnumquenque domesticam rationem sibi totius vitæ suæ per dies singulos scribere, in quo appareret quid quisque de redditibus suis, quid de arte, fœnore, lucrove seposuisset: quo die, & quid item sumptus damnive fecisset. Sed postquam assignãdis literis reorum ex suis quisque tabulis damnari cœpit, ad nostram memoriam tota hæc vetus consuetudo cessauit. Dicit igitur Tullius, habere se, & patris eius tabulas quoad vixit, & ipsius Verris quoad cõfecisse dixit. Ex quib. prodit q̃ multæ tabulæ pictæ, quanta signa apud eum, nulla emptionis origine, sed furto capta noscantur. Remoraturque in eo, quòd se dicat Verres non ex aliquo tempore cœpisse literas domesticæ ratiõis facere, & ex aliquo tẽpore destitisse. quod factum nullo exemplo defendi potest. CVM imperio ac securibus.) Ironia μετ' συγχωρήσεως. cum imperio ac securibus bene, quia licet negociari Equitibus & priuatis.

Tabulæ accepti & expensi.

Hæc non sunt i Cic.

M. Antonius.

DE M. ANTONIO.) Hic est M. Antonius dissolutissimus curator tuendæ totius oræ maritimæ, Cretæ mortuus. de quò ipse alibi, Postquam M. Antonii infinitũ illud imperium senserant. Et quem Sallustius ait perdũdæ pecuniæ genitum, & vacuum à curis nisi instantibus.

EST ALIQVA etiam huiusce rei ratio.) Vel mala, vel bona. dicit ergo, & si non bonam, apparet esse tamen aliquam rationem, ita vt ipse dicit, bona ratio nunquã scribendi, iudicium perseuerans de tabulis non cõficiẽdis: aliquando cœpisse, correptio erroris: si melius destitisse cũ cœperis, mala ratio. Est enim inconstãtia, & mutatio quædam in deterius. VSQVE ad M. Terentium & C. Cassium coss.) Ab horum Cõsulatu videtur tabulas Verres rationum suarum destitisse consignare, quanuis à præsenti tem-

Sic & Cicero: quã quã Liciniũ recti⁹ crediderĩ, qui cũ C. Cassio, Cos. fuit.

pore non longe abest. ALIO loco cuiusmodi sit consi derabimus.) Scilicet ad retegenda furta pertinet ista præter termissio rationum, ne conscriptis iis quæ ante habuit, & iis quæ nunc habet, extraordinariarũ rerũ possessió cerneretur.

ATQVE vtinam neges.) Cum enim confeceris, & si improbe, videris tamen aliquid dicere, cum dicis non rapui: si autem negaueris, & conuinceris, & huiusmodi defensione nudaberis. IMPLVVIVM.) Locus sine tecto in ædibus, quò impluere imber in domum possit. Impluuiũ.

QVAE SECTOREM expectant.) Repetũdarum causa ita se habet, vt si conuictus reus sit atque damnatus, pecuniam reddat æstimata lite, hoc est in precium redactis omnium furtis, quam summam pecuniæ proscriptis eius bonis Sectores curabãt. SECTORES autem dicti sunt, qui spẽ lucri sui secuti bona condemnatorum semel auctionabãtur, proque his pecunias pensitabant singulis, ac in posterũ pro compendio suo singula quæque pecunia populo vendituri. Sola ergo hæc duo signa dicit apud Verrem relicta, asportatis ad amicos cæteris signis. AT CREDO.) Transitus ad aliam criminum speciem. non enim hæc quæ ante acta sunt, sic dicit, tanquam Siciliẽsia crimina propria huius cõgitationis, quæ per singulos libros constat esse diuisa, vt De Iure dicundo, De Frumentaria, De Signis, De Suppliciis. AD SVMMVM Græcorum ociũ)* Diuisam sententiam de Græcis habitã, quos ociosos & leues esse consensum est. CVM A CN. Dolobella efflagitasset.) Ergo nõ è Repub. ire coactus est, sed vt mitteretur ambitione perfecit. Nicomedes autem Bithyniæ rex est, Sadala Thraciæ: ambo socii Pop. Rom. IANITOREM QVENDAM.) Ianitorem cum dixisset, addidit quendã, vt ostenderet non appellatiuum nomen esse, sed proprium. Repetũdarũ litis æstimatio Sectores. Græci ociosi & leues.

HOMO FACTVS AD ISTIVS libidines.) In nascendo sortem, in faciendo industriam. bene ergo non natum, sed tantum naturã * dixit perductorũ fingeret Verri non dicendum postea procrearet. VIDEANT.) Si in promptu est res. INVESTIGENT.) quam non videant, & ideo posterius positum.

CVM SVAE partes essent.) id est vicissitudo tangeret. simul enim ostendere vult, nec suscipiendum sibi esse nũc hospitem: & cum suscipiat, condignum solere suscipere.

Vnus.

VNA cupiditate.) Vna, vel præcipua, vel vere vna, extra quam non iure, non more, non honestate moueretur.

IVSSVM.) Ne Rubrium pateretur. LABORAT.) Bene, quia inuitus susceperat hospitem se indignũ.

QVID OPVS esset.) Vt mulieri scilicet vis afferretur.

Græco more potare.

POSCVNT maioribus poculis.) Grãdibus inquit poculis & meracis potionibus. Qui nõ intelligunt dicta M. Ciceronis, & hoc putant GRAECO MORE potare.) Est autem Græcus mos, vt Græci dicunt, cum mero cyathis saltantes libant, primo Deos, deinde amicos suos nominantes. Nam toties merum bibunt, quoties & Deos, & charos suos nominatim vocant. POSCVNT maioribus.) Sunt qui producta s litera poscunt, legunt. quasi sæpe potant. sed poscunt prouocant intelligẽdum est, vt sit sensus, prouocant se inuicem. maioribus autem poculis, vt subaudiatur poscunt, à pincerna petunt. maioribus autem poculis, vt subaudiatur bibere quærũt. QVID optimum factu sit.) Adeo non græca leuitate res gestæ sunt, sed agitato consilio defensa libertas. LEVIVS peccatum.) Magna vi oratoria etiam parcere peccatũ dicebant, inquit, quia Verri parcebatur: sed tamen leue, quia Legato. SIC iste

C. Fabius Adrianus.

multo sceleratior & nequior, quàm ille Adrianus.) Cinnanis temporibus cum C. Fabius Adrianus, vt alii aiunt Legatus, vt alii putãt Proprætor vel Prætor prouinciã obtineret Africã, Vticæ in Prætorio suo viuus vstus est, quod corrupto seruitio ciuitatis illius de principum nece conspirasse dicitur. sed opportune Tullius causam tacet illatæ necis in Adriano. & inultam mortem eius ostendit, quẽ dicit oratorie nõ in hospitio, sed domi suæ viuum crematum. & ille sic dixit, vt de notissimo videretur loqui. ACCENSVS Neronis.) ACCENSVS nomẽ est ordinis, & promotionis in militia, vt nunc dicitur Princeps, vel Cõmentariensis, aut Cornicularius. hæc enim nomina de legionaria militia sumpta sunt. TERTII priore actione interpellauit.) INTERI-

Accensus. Cõmentariens. Cornicularius.

PELLARE autē est mediā alterius orationē interrūpere, vel actioni alterius interponere. Apparet ergo Hortensiū quāuis diu multumque tacuerit, tantū in medio testimonio perstitisse. quod diceret Philodamum adeo malam causam habuisse, vt à C. Nerone vel dānatus sit. PVTASSE nō oportere.) Reprehensio iudicati ab ea parte qua causæ deriuatio facit, ne non bis iudicata obsint. nō enim causam Verris releuatam esse, sed illos damnatos, quòd quoquo modo occisum hominē esse cōstaret. PERTIMVIT iste.) mire orator non Verrem vendicare morte Philodami, sed crimen suum releuare petiuisse. quorum alterum iniuriam passi est, alterum male sibi conscii. CONTENDIT ab eo.) Extorsit. TOGATI creditores Græcorum.) Noluit dicere Equites Ro. sed togatos dixit, & creditores Græcorum, vt ostenderet causas gratificationis in Verrem. Togati creditores

ACCVSATOR apponitur.) Non dicit accedit, sed à Verre scilicet subornatur. ET EX CREDITORIBVS Lampsacenorum.) Et hic causa gratiæ in persona ostenditur accusantis. VT DE Philodamo amplius pronunciaretur.) Mos veterum hic fuerat, vt si absoluēdus quis esset, statim absolueretur: si damnandus, statim: si causa non esset idonea ad damnationem, absolui tamen non posset, vt amplius pronunciaretur. QVID EGO nūc in altera actione.) Hic apparet etiam in ampliatione sic alterā dici, quemadmodum in comperēdinatione. CN. DOLOBELLAE spiritus.) Plus significauit dicendo spiritus, quam si animositatem contentionemue diceret. Spiritus.

PERPAVCIS sentētiis.) Per nimium paucis sententiis autem cum dixit damnatum, vt ostenderet vix paucos inuentos, qui ad opprimendum numerum damnationis implerēt, post ampliationē. IDCIRCO ne exercitum atque hostem relinquebas?) Recte dixit, bellū enim à Dolobella gerebatur in Cilicia. SED ET oppugnatum auxiliis.) Auxiliis, pro auxilio, Quæstoris scil. auxilio ipsius pecuniæ, quæ auertebatur. Sic Virgilius,

Auxiliumque viæ veteres tellure recludit
Thesauros.

NISI DAMNATO.) Non posset enim rationes falsas ad ærarium referre Verres, nisi dānato Dolobella, qui redarguere mētientem præsens valeret. AD INIMICOS tuos.) Accusatores scilicet causarū. TESTIMONIVM tuum publicum)quod apud Neronē dixisti contra Philodamum. BELLVM ne P.R.)Sic enim ad Neronem scripserat Verres. NISI publice satisfactum sit.) Nisi decreto publico traditi ad pœnam sint culpæ authores. SATISFACERE enim est tantum facere, quantum satis sit irato ad vindictam. ET CIVITATI bellum indici.) Vt Cornelius, vt Tertius. LICTOREM tuum.) Cornelium scilicet. LEGITIMVM tempus ad vlíscēdum.) An vitio magistratus. accepto enim successore ad magistratū accusari possunt. ET AIS iudicium esse factum.) Locus reprehensionis cōtra iudicatum, ne prosit Verri Philodamum esse damnatum. IN alios contulisse) Non in Philodamum. NEQVE IN ILLOS quos tu insimularis.)Dixeris vel accusaris. sensus hic est,& alios inquit nō Philodamum accusasti, & ii ipsi quos accusasti dānati nō sunt. VBI HOS persequeris.)subaudiatur nusquam. ἐν ἐξορίᾳ σου. AB ACCVSATORE interrogatus Verres.) Scilicet productus in causa Philodami,& interrogatus.loqui enim nisi interrogato testi nō licebat.interrogabatur autem,& ab eo cōtra quem esset productus. CVR IMMINVISTI IVS legationis.) Qui potestatem suam in administrando non defenderit, IMMINVTI MAGISTRATVS veluti maiestatis læsæ reus est. QVOD is Ephesi.)Ephesus ciuitas in qua Dianæ numen peculiariter colitur. SED ETIAM inter hostium tela.) Inuidiose orator hoc addidit cum de magistratu dicat. Nam Legati inter hostes in fœderibus faciundis, vel legibus pacis bellique dicendis, sancta corpora iure gentium atque inuiolata seruant. DE SVA CLASSE.) Habent enim Milesii præsidiariam classem ex fœdere præbendam Pop. Ro, maritimis necessitatibus.

IPSE myoparonem.) MYOPARO nauigii nomē est. L. MAGIO & L.Phannio.) Hi trāsfugato Valeriano

Satisfacere. Trāstulisse Cic. Insimulari Rogatus Cic. Imminuti Magistratus reus. Ephesus. Myoparo. Rabio Ci.

exercitu apud Mithridatem agentes ab eodem Rege ad Ser torium missi erant de paciscēda societate belli aduersus Romanos, quos in Italia iam positos, & ad Sertoriū festinātes, & hostes iudicauerat, & inquirendos mandauerat Senatus. hi tamen vltimum ad Romanos prodito ex magna parte Mithridate redierunt. VSQVE à Dianio ad Sinopen.) DIANIVM Hispaniæ maritima ciuitas. SINOPE Pōti est, vbi Rex Mithridates erat. RENVNCIATIONEMQVE eius.) Qui renūciauerat nauem à Verre L. Magio vēditam fuisse. NON SOLVM illud perscribunt quod tum prohibiti sunt, sed etiam causam adscribunt.) Hoc est, non solum prohibitos se scribunt, sed cur se magistratus ipse prohibere curauerit: ne cum oporteret, in literas publicas referrāt quod gestum esset. QVI tametsi Februarium mensem.) Hic est mensis, quo frequens Senatus postulatis prouinciarum & legationibus audiēdis datur. ET CONSVLVM designatorum nomē expectant.) Et extimescunt legitur: nam vtroque verbo idem significatur. Hortēsii autem & Metelli. Et vbi dicit Legatos Milesios posse terreri ne de Myoparone dicant, præsertim cum ad beneficia petenda venturi sint Februario mēse: & in manu sit Consulum quando, & quemadmodum referāt ad Senatū. & bene nomen Consulum dixit, vt potētiam demōstraret eorum, quorum etiam nomen ad formidinem officit. RELIGIONE adducti.) Quia IVRATI TESTES produci solent, non solum ne falsa dicant, verum etiam ne quæ vera sunt taceant. DOMESTICARVM legum metu.) Patriæ suæ legum, quibus coguntur de incōmodis patriæ non tacere. OCCISO,) Oratorie pro mortuo occisum dixit. SYNGRAPHAS fecerat.) Inter SYNGRAPHAS & cætera CHIROGRAPHA hoc interest, quòd in chirographis tātū quæ gesta sunt scribi solēt: in Syngraphis etiā contra fidē veritatis pactio venit, & non numerata quoq; pecunia, aut nō integre numerata pro tēporaria volūtate hominū scribi solēt. More instituto q; Græcorum & cæteræ tabulæ ab vna parte seruari solēt: Syngraphæ neutrius manu, vtriq; parti seruandū tradunt.

L. Magius
L. Phannius.
Dianium
Sinope.
Februari⁹.
Expectare.
Extimescere.
Iurati testes.
Syngrapha.
Chirographum.

EXTREMA cæra.) Vltima tabula, vltima parte tabulæ. EXPENSVM Chryfogono feruo.) Quæritur cuius feruo, Verris.f.non Malleoli.

QVADRARINT.) Solida facta fint, vt neq; plus quicq̄ neq; minus inueniat in fumma. vbi enim ratio fine fraude eft, difficile eft fexcēta quadrare, & folidare vel folida fieri, quin aut minus, aut plus aliquid reperiatur.

Quadrare. Solidare.

VT ILLA de Cn.Carbonis pecunia,) Et ibi enim fexcenta fuperfuiffe mentitus eft. NOMEN infimū.) Vltimum titulum.infimum, vt appareat falsum effe.

COMMVNE Meliadū.)Cōe R.P. FRVMENTO æftimando.) Licebat enim magiftratibus in vfus fuos frumentum accipere fi vellent, aut pro frumento preciū, quæ AESTIMATIO dicebatur.in qua re auariffimi quiq; infinitam pecuniam contrahebant, iniquum preciū fociis imperando. CORIA, Cilicia, faccos.) CILICIA texta de pilis, in caftrorum vfum atque nautarum. DOLOBELLAE æftimata,) Sub quo hæc Quæftor Verres admifit. CONSISTAM in vno nomine.) Perfeuerabo, inquit, in eodem titulo Quæftorii criminis.

AEftimatio. Cilicia. Coria. Sacci.

EX EODEM genere.) Furtorum fcilicet Verris.

IN SVA poteftate ac ditione tenuit.) Obnoxiū criminum confcientia, & focietate cum reo Dolobella, cui pro Quæftore fuerat, & Legatus. HOMO adolefcens,) Quia cupidius accufauit, quàm grauiorem virum decebat, fed excufatur ætate. EORVM omnium voluntatem repudiaui.) Quia non vt Scaurus adolefcens accufo.

NON ACCVSATOREM maxime laudari volo,) Accufatorium nomen ita viro bono fugiēdum eft, vt non fatis fit odiffe accufatorem videri. Tale eft illud Terentianum, Eia ne parum leno fies. RATIONES ad AErarium,) Qui redargui potuit curiofitatis, fi ante damnationem Dolobellæ more Quæftorū rationem ad AErarium retuliffet. fic enim fiebat anteq̄ de prouinciis Quæftores Romam rediiffent. PROINDE quafi excribendi,) Et fi occupaffet accufator tabulas rei aut amicorum eius, tamen ad neceffarios vfus licebat excribere, id eft exē-

Accufatorium nomen fugiēdum.

Excribere

pla transferre. QVI NVNQVAM rationes ad ærarium referebat,) Hoc ideo, quia nec superioris Quæsturæ, quæ cum Carbone fuit, rationes ad ærarium retulisset.

TRIBVS versiculis relatam.) Accepi, dedi, reliqui.

QVAESTOREM SE in Senatu expectare.) Bini Quæstores in Sicilia quotannis fuerant singulis Prætoribus, Lilybætanus & Syracusanus. OMEN Magis quam causa.) Omen auspicium. Causa, excusatio. Omen autem ideo dixit, quia eius exemplum attulit Verres, quia pecuniarum damnatus est. FECE,) Residuis colorib.

Siciliæ Quæst. & & Præt. duo.

Cicero hoc loco ex Asconio emendatus.

NOMINA.) Tituli & capita criminum.

QVOD MINVS Dolobella.) In hoc capite ostēdit falsitatem rationū Verris: non conuenisse summas Dolobellæ cum ipsius summis. in qua re vult credi non Dolobellam, sed Verrem fuisse mētitū. HINC ILLAE extraordinariæ pecuniæ.) Sordida lucra, & furta significat. nam ea sunt quæ neque de redditibus, neque de annonis, neque de aliqua legitima cessione, aut donationis, aut hæreditatis, verbi gratia, videntur adiectæ. HINC ratio cū Q. & Cn. Posthumiis, Curtiis,) Hi sunt qui extraordinarias pecunias Verris tractabant: quæ in tabulis Verris nunquam scriptæ sunt, ne se ipse proderet, ne pecunias tātas suis literis indicaret. HINC sestertiûm XIIII P. Tadio.) Et hic extraordinariarum Verris pecuniarū susceptor ostenditur, Græcorum testimonio. CVI SIT data nil ad me.) Oratorie quæ probari non possunt, fingit se voluntate negligere. Terentius, En nōn dico. quasi non noris tentatum aduenis. TABVLAS cum conficeres.) Quomodo ergo dicit Verrem tabulas non habere, sed aliquo tēpore cœpisse non scribere? Hæc ergo tempora rationis tabulas confectas habent. HIS expensum non ferres.) Expensum ferre, est scribere te pecuniam dedisse.

Extraordinariæ pecuniæ.

HS quaterdecies.

Expēsum ferre.

ACCEPTVM Curtii referrent.) Accepisse à te se scriberent, expensum fuisse à te eis scriberent.

VT EX VTROQVE genere.) Summa diuisionis & actionis Præturæ Vrbanæ & criminum C. Verris in duobus constituta, Iurisdictione & Sartis tectis.

QVI AVSPICATO à Chelidone.) Aues pasce-re dicuntur ineuntes magistratus. & quia Chelidon, id est, hirundo vrbem frequentat, facete vrbanam prouinciã Chelidonis auspicio meretricis dicit esse susceptam.

Cẽsus homo. Census quinquennio vel lustro instauratur. NEQVE CENSVS esset.) Neque centum millia sestertiûm possideret. Alii sic intelligunt, neque census esset, hoc est, neque census eius in quinquẽnium diues factus, quorum annorum spatio instaurari census solet apud Cẽsores: quorum administratio per lustrum, hoc est quinquẽniũ tenditur. AN TENTATVS.) Tãquam scire quis vellet, qualem se Praetorem fuerit praebiturus.

Appellare. Voconia lex. APPELLAT haeredem,) Iniuriosum verbũ in personã Praetoris. APPELLATIO enim est inferioris ad potiorem. CVM intelligat legem Voconiã.) VOCONIVS legem tulerat, Ne quis cẽsus, hoc est pecuniosus haeredẽ relinqueret filiam. hoc ergo caput edicti est, legem Voconiam probantis Praetoris. NON improbũ, non inofficiosum, non inhumanum.) Haec enim testamenta non solẽt valere. nam IMPROBVM, contra leges: INOFFICIOSVM, contra merita: INHVMANVM, contra pietatem. *Test. in of. imp. inhu.*

SVA SPONTE scelerata ac nepharia est.) Maleficia sponte, & non disputatione iuris consultorum, sed naturali interpretatione fugienda sunt, vt veneficium, parricidium: & caetera etiam, quae nullo prohibente euitanda.

Lex Cornelia test. & numar. CORNELIA testamentaria, numaria,) vt Cornelia testamentaria, * quae de moneta, Ne quis priuatim pecuniam faceret. A CERTO tẽpore.) Vt & quod semper reprehensum est, tamen à certo tempore in iudiciũ veniat: & à certo tempore plecti posset. RATA esse patietur.) Hoc totum ἐν ὑποκρίσει, vt quasi per indignationem dici videatur, & interrogatiue. CEDO MIHI leges Atinias Furias Fusias.) Istae omnes de iure ciuili sunt. Nihil continent criminum capitalium, publicique iudicii.

Censi qui. Bona, Fortunae. NEQVE census esset.) More veterum CENSI dicebantur, qui centum millia in professione detulissent. huiusmodi adeo facultates Census vocabantur. BONA, fortunasq;) BONA, in ipsis possessionibus: FORTVNAE, in

fructibus eorũ. HOC POPVLVS R. NON manu vindicasset.) Confusa locutio, abundare enim videtur, non. POSTEA QVAM IVS PRAETORIVM constitutum.) Ex quo ius Prætorium stabilitum est. Sic hoc dixit, quasi diceret, post conditam vrbem Romam: vt, post hominum memoriam: ex quo est ius prætoriũ. ERIPIES igitur pupillæ togã prætextã.) TOGA cõis habitus fuit & marium & fœminarũ. sed PRAETEXTA honestiorũ TOGA viliorũ. quod etiã circa mulieres seruabatur. TVM VTI proximum quęque potissimum hæredem esse oporteret. si is intestatus mortuus esset, ita secundum eum possessio daretur.) Quasi ab intestato agnati eius succederent, quamuis diceretur testamentum fecisse, si tamen tabulæ non proferrentur. ET HOC VETVS EDICTVM TRALATITIVMQVE EST.) TRALATITIA veteres dixerunt, non noua, nec nuper inuẽta, sed aliunde tralata. SI HABVISSET ISTE EDICTVM.) Quale supra tralatitiũ dixit esse. LEGE AGERET IN HAEREDITATEM.) Experiretur iure quemadmodum probaret se hæredem scriptum esse, & possessionem à Prætore peteret. AVT PRO PRAEDE LITIS VINDICIARVM CVM SATIS ACCEPISSET SPONSIONEM FACERET, ET ITA DE HAEREDITATE certaret.) Aut peteret inquit vt possessor esset, aut acciperet ab aduersario satis pro præde litis vindiciarũ, & ipse sponsionem faceret, & ita de hæreditate certaret. Lis VINDICIARVM est cum litigatur de ea re apud Prætorẽ cu ius incertũ est qs debeat esse possessor: & ideo qui eã tenet, satisdat pro præde litis vindiciarum aduersario suo, quo illi satisfaciat is, nihil se deterius in possessiõe facturũ, de qua iurgiũ esset. Rursus spõsione ipse prouocatus ab aduersario certæ pecuniæ aut æstimatiõis, quã amittat, ni sua sit hæreditas de qua cõtẽdit. PRAEDES ergò dicũtur satisdatores locupletes pro re de qua apud iudicem lis est: ne interea qui tenet diffidẽs causæ, possessionem deteriorem faciat, tecta dissipet, excidat arbores, & culta deserat.

Toga. Prætexta. Tralatitiũ. Lege agere in hæred. Vindiciarum lis. Prædes.

QVINQVE millia, quadringentos decem & septem numos, reliqui Arimini sexcenta millia,) Hæc summa cũ ratione cõsentit. HOC MODO AVT ego, aut tu Hortensi,) Ambo enim Quæstores fuerunt. Verisimile est, tantæ pecuniæ rationem duobus versiculis confici potuisse?

OPPIDVM SIBI ELEGIT ARIMINVM) Hoc oppidum Albinouanus Syllæ prodiderat, dux ipse Marianus. RECITA DENVO P. LENT. L. TRIARIO QVAESTORIBVS,) Hoc est caput lectionis relatarum à Verre rationum ad ærarium totius Quæsturæ eius. NON VT HONOS ET DIGNITAS) Pro nobilitate pugnante Sylla contra Marianos hac eadem causa, sed vt esset transfugio aiebat Verres, vt dignitas & salus nobilitati restitueretur. IDEM FECISSES QVOD ANNO POST MPISO.) Exemplo vrget Verrem, vt ostendat quid facere potuisset nisi furtum pararet. BENEVENTI ESSE IVSSIT,) Beneuentani plerique Syllani erant. NON MODO NON EXISTIT.) Emergit, exoritur, exurgit. MALLEOLO OCCISO.) Suspicioso verbo vsus est. Nam non insistit, vt probet à Verre occisum esse: sed ita vult videri, quia Verri mors eius lucro fuit. ALTERAM Tutelæ,) Filii Malleoli tutor factus est Verres.

Existit

QVAE IN IPSVM VALEBANT CRIMINA,) Apertius hoc postea dicturus est Tullius. etenim accusator Dolobellæ volens indice Verre vti cõtra Dolobellã, librũ criminũ cõmuniũ Verris & Dolobellæ Verri ostendit, & promisit hæc se crimina non obiecturum, si sibi Verres & proditionẽ Dolobellæ proderet, & testimonium aduersus eum diceret. quare Verres Dolobellam cui Legatus & pro quæstore fuerat oppugnare compulsus est. Inimicos autem accusatoresque Dolobellæ Cæsarem dicit. nam Scaurus Dolobellam alium accusauit, nec damnare potuit.

Miser.

MISER QVVM ESSET.) MISERVM pro innocente Tullius ponit. Sic alibi, Et erunt qui illum si hoc fecerit non improbum, sed miserũ: me non diligentissimũ

cos. sed crudelissimum tyrannum existimari velint.

EX COMMVNI calamitate.) Ex Syllanis temporibus scilicet. ne diceret de Sylla, clausit, vt diceret, Sylla mihi iussit, Sylla hoc fecit. CIRCVNSCRIPTO,) Sublato, circũducto, ac prætermisso: aliâs decepto significat. POSTEAQVAM Cn. Dolobellæ.) ἀνακεφαλαίωσις de Dolobella. nam supra de eiusdem dãnatione dicebat. EST ALIVS mihi locus,) De signis scilicet, an peculatus, si hinc euaserit Verres. AESTIMATVM.) Imposito precio exactum secundum legem repetundarum. ITA MAGNI fluctus eiiciebantur.) Extra fines littoris exibãt. TEMPORIBVS exactis.) Mensibus exactis. SACRA putatur.) Sacra mari colitur medio. elegerunt potius Sacra dicere, quàm id quod in consuetudine est Sacrata. VT NE Persæ quidẽ,) Cyro, Dario, Xerxeq; duce. DIS HOMINIBVSQVE.) Quia non solum hostes erant, vtpote barbari, verum etiam more gẽtis suæ nulla Diis in terris tẽpla cõdenda esse credebãt. præsertim cũ vni soli quẽ venerarẽtur vix mũdus ipse sufficeret. Erãt ergo & ædiũ sacrarũ, & simulacrorum euersores. EQVOS muneraq;.) Quærendũ cur equos à cæteris munerib. separauit. an quia Asiani magno precio æstimant equos? QVEM quondã in comitio vidistis,) Licebat enim mutua hæc signa portare Romã AEdilibus ad ornatũ ludorũ, & rursum sociis reportare. nec hoc crimen distulit in orationẽ, quæ est de signis, quia specialiter crimẽ & breue est, nec habet quod adiici possit. IVNONIS Samiæ.) Hinc Vergilius,

Posthabita coluisse Samo. NON AD Prætorẽ, sed Romam deferri oportere.) Atqui legimus de Oppio & de Porcilio, apud Oppiũ depositas sellas, sed apud eos sub quibus agebãt aut Quæsturã aut Legationẽ. Legatus autẽ Verres non Neronis sed Dolobellæ erat. CVM obsignãdi gratia venissem,) Moris fuit, vt accusator obsignaret domũ, & clausa omnia eius quem accusaturus erat, ne qua furtorum indicia aut in vasis, aut in signis, aut in literis constituta ab eo remouerentur.

Circũscriptus.

Sacra, Sacrata.

Persarum de tẽplis Deorum opinio.

Equi Asianis in precio.

Obsignãdi mos.

• AD OMNES COLVMNAS.) * Locus ante locum non dicitur. IN SYLVA.) In viridario.

Cælum. Dius. SVB DIO.) Id est sub cælo. Cælum Græci τὸν δία dicunt. sed ita declinatur, hic dius, huius dii, huic dio, hunc dium, ab hoc dio. QVAMDIV ALIVM Prætorem.) Metellum scilicet. CVM IIS iudicibus.) Quos in horum locum, quemadmodum supra dixit, subsorciturum se Verres esse credebat. NOSTRIS TESTIBVS nos, quàm horis.) Vsus est enim prima actione Cicero magis testibus suis, quàm temporibus, id est sibi ad dicendum lege datis. QVAESITOREM.) Dicitur, & Quæstorẽ. si Quæsitorẽ, illũ ipsum Glabrionẽ, cuius cura est vt sociis omnia rapta reddãtur. si Quæstorem, ad quem rediguntur proscripti bona, & à quo sociis adnumerantur.

Quæsitor Quæstor.

Sector. SECTOREM autem dicit æstimatorẽ redẽptorẽq; bonorum damnati atque proscripti: qui spem sectans lucri sui, id est secutus spem æstimationis suæ, bona omnia rei auctione vẽdit, & semel infert pecuniam vel ærario, vel sociis. Contra hos igitur iam pugnat Verres, in quibus subtraxit signa: non cõtra me, qui illum etiam subtractis signis testimoniis tamen possum conuincere. TRIERARCHVS,) Naui triremi præpositus. Triremis ternos remorum ordines habet: ita & biremis, & quadriremis, & deinceps dicuntur. QVEM OMNIA intus canere dicebant.) Cum canunt Citharistæ, vtræq; manus funguntur officio: dextra plectro vtitur, & hoc est FORIS CANERE: sinistra digitis chordas carpit, & hoc est INTVS CANERE. Difficile autẽ quod ASPENDIVS Citharista faciebat, vt nõ vteretur cantu vtraque manu, sed omnia id est totam cantionem intus, & sinistra tantum manu complecteretur. Vnde omnes quotquot fures erãt, à Græcis ASPENDII CITHARISTAE in prouerbio dicebantur: Quòd vt hi carminis, ita isti furtorum occultatores erant. Valet hoc prouerbium, & in eos qui multum intestinis suis commodis consulũt præter honestatem. ARTIFICIO superasse) Vt interius positus esset, qui intus cantare consueuerat. PERGAE fanum antiquissimum.) Apparet oppidum Pergan

Triremis.

Foris & intus canere.

Aspendii citharistæ

Perga op.

vocari, cuius nominatiuus casus Perga est, ergo aduerbium loci Pergæ. FANVM sanctissimum.) Religiosissimũ templum, vnde fata petuntur. QVID DE L. Scipione?) De quo cum Senatus ambigeret, vtrum idoneus esset, qui in Asiam contra Antiochum mitteretur: P. Scipio Africanus frater eius Legatum se ei obtulit ad id bellum gerendum, & victoriam reportauit. QVID DE L. MVMMIO?) Legatorum Pop. Ro. violatorum causa bellum aduersus Corinthum Græcã vrbem gessit P.R. eãq; deleuit duce Mummio. Cur autem Græcorum triumphorũ ponit exẽpla? Quia de signis loquitur, quorum copia apud Græcos est constituta. OMNES ERANT eiusmodi.) Boni scilicet. P. SERVILIVS,) Bona occasio promerendi iudicis, cum obtestatione coniuncta. Hic enim bellum in Cilicia gessit, deque ea triumphauit captis Coryco, Olympo, Phaselide, tribus magnis eius terræ vrbibus. Corinth euersa.

LEGATVS QVAESTORIVS.) Legatum ex Quæstore agens. PER triumphum vexit.) Herculis enim signa ante triumphantem vehi per pompam solebãt. Herculis signa.

AD AERARIVM perscribenda.) Hæc fuit veterum diligentia, vt quod quisque de subiugata prouincia per triumphum apportauisset, perscriptum in tabulis in ærario reponendis conseruaretur. FIGVRAM, statum,) FIGVRA est circa gestum situmque membrorum. STATVS circa ornatum & habitum vestis insignium & armorum. In ærario referendi mos. Figura. Status.

CERTE maior est.) Nõ video quid velit hic sensus, nihil enim mirum diligentiorem esse Seruilium quàm Verrem, si ita est: nisi forte quod ait, certe maior est, sic accipiamus, quasi dicat Verrem maiorem: & quod subiunxit argumentum, virtutis quàm voluptatis maiorem esse fructum.

DICES TVA quoque signa.) Oratoria plasi hãc sibi obiecit quæstionem, quæ genus cõfessionis in se habet. Nàm AEdili atque Prætori Hortensio, & item Metellis rapta ex prouinciis signa ad ornandum forum, & comitium commodauerat Verres. Olim enim cum in foro ludi populo darẽtur, signis ac tabulis pictis partim ab amicis, partim è Græcia cõmodatis, vtebãtur ad scenæ speciem, quia adhuc πλάσις.

Comitiũ. theatra nõ fuerãt. COMITIVM, locus propter Senatum, quò coire Equitibus & Populo Rom. licet. QVI SE iudiciorum dominos.) Hortensium cæterósque nobiles.

EX ASIA, atq; Achaia.) Vnde fuerant ista signa per furtũ sublata. nam solebãt magistratibus commodare reddẽda. HABEO ISTIVS, & patris.) Legitur & AB EO. ACCEPTI tabulas.) Id est acceptarum pecuniarum. Legitur & ACCEPI. Moris autem fuit vnumquenque domesticam rationem sibi totius vitæ suæ per dies singulos scribere, in quo appareret quid quisque de redditibus suis, quid de arte, fœnore, lucrove seposuisset: quo die, & quid item sumptus damnive fecisset. Sed postquam assignãdis literis reorum ex suis quisque tabulis damnari cœpit, ad nostram memoriam tota hæc vetus consuetudo cessauit. Dicit igitur Tullius, habere se, & patris eius tabulas quoad vixit, & ipsius Verris quoad cõfecisse dixit. Ex quib. prodit q̃ multæ tabulæ pictæ, quanta signa apud eum, nulla emptionis origine, sed furto capta noscantur. Remoraturque in eo, quòd se dicat Verres non ex aliquo tempore cœpisse literas domesticæ ratiõis facere, & ex aliquo tẽpore destitisse. quod factum nullo exemplo defendi potest. CVM imperio ac securibus.) Ironia μετ' συγχωρήσεως. cum imperio ac securibus bene, quia licet negociari Equitibus & priuatis.

Tabulæ accepti & expensi.

Hæc non sunt i Cic.

DE M. ANTONIO.) Hic est M. Antonius dissolutissimus curator tuendæ totius oræ maritimæ, Cretæ mortuus. de quo ipse alibi, Postquam M. Antonii infinitũ illud imperium senserant. Et quem Sallustius ait perdũdæ pecuniæ genitum, & vacuum à curis nisi instantibus.

M. Antonius.

EST ALIQVA etiam huiusce rei ratio.) Vel mala, vel bona. dicit ergo, & si non bonam, apparet esse tamen aliquam rationem, ita vt ipse dicit, bona ratio nunquã scribendi, iudicium perseuerans de tabulis non cõficiẽdis: aliquando cœpisse, correptio erroris: si melius destitisse cũ cœperis, mala ratio. Est enim incõstãtia, & mutatio quædam in deterius. VSQVE ad M. Terentium & C. Cassium coss.) Ab horum Cõsulatu videtur tabulas Verres rationum suarum destitisse consignare, quanuis à præsenti tem-

Sic & Cicero: quã quã Liciniũ recti credideri, qui cũ C. Cassio, Cos. fuit.

pore non longe abest. ALIO loco cuiusmodi sit consi derabimus.) Scilicet ad retegenda furta pertinet ista præter termissio rationum, ne conscriptis iis quæ ante habuit, & ijs quæ nunc habet, extraordinariarũ rerũ possessio cerneretur.

ATQVE vtinam neges.) Cum enim confeceris, & si improbe, videris tamen aliquid dicere, cum dicis non rapui: si autem negaueris, & conuinceris, & huiusmodi defen sione nudaberis. IMPLVVIVM.) Locus sine tecto in ædibus, quò impluere imber in domum possit. Impluuiũ.

QVAE SECTOREM expectant.) Repetũdarum causa ita se habet, vt si conuictus reus sit atque damnatus, pe cuniam reddat æstimata lite, hoc est in precium redactis omnium furtis, quam summam pecuniæ proscriptis eius bo nis Sectores curabãt. SECTORES autem dicti sunt, qui spẽ lucri sui secuti bona condemnatorum semel auctionabãtur, proque his pecunias pensitabant singulis, ac in posterũ pro compendio suo singula quæque pecunia populo vendituri. Sola ergo hæc duo signa dicit apud Verrem relicta, asportatis ad amicos cæteris signis. AT CREDO.) Transitus ad aliam criminum speciem. non enim hæc quæ ante acta sunt, sic dicit, tanquam Siciliẽsia crimina propria hu ius cõgitationis, quæ per singulos libros constat esse diuisa, vt De Iure dicundo, De Frumentaria, De Signis, De Suppliciis. AD SVMMVM Græcorum ociũ)*Diuisam sen tentiam de Græcis habitã, quos ociosos & leues esse consensum est. CVM A CN. Dolobella efflagitasset.) Ergo nõ è Repub. ire coactus est, sed vt mitteretur ambitione perfecit. Nicomedes autem Bithyniæ rex est, Sadala Thraciæ: am bo socii Pop. Rom. IANITOREM QVENDAM.) Ianitorem cum dixisset, addidit quendã, vt ostenderet non appellatiuum nomen esse, sed proprium.

Repetũdarũ litis æstimatio

Sectores.

Græci ociosi & leues.

HOMO FACTVS AD ISTIVS libidines.) In nascendo sortem, in faciendo industriam. bene ergo non natum, sed tantum naturã * dixit perductorũ fingeret Verri non dicendum postea procrearet. VIDEANT.) Si in promptu est res. INVESTIGENT.) quam non videant, & ideo posterius positum.

PELLARE autẽ eſt mediã alterius orationẽ interrũpere,vel actioni alterius interponere. Apparet ergo Hortenſiũ quãuis diu multumque tacuerit,tantũ in medio teſtimonio perſtitiſſe.quod diceret Philodamum adeo malam cauſam habuiſſe,vt à C. Nerone vel dãnatus ſit. PVTASSE nõ oportere.) Reprehenſio iudicati ab ea parte qua cauſæ deriuatio facit,ne non bis iudicata obſint. nõ enim cauſam Verris releuatam eſſe, ſed illos damnatos, quòd quoquo modo occiſum hominẽ eſſe cõſtaret. PERTIMVIT iſte.) mire orator non Verrem vendicare morte Philodami, ſed crimen ſuum releuare petiuiſſe. quorum alterum iniuriam paſſi eſt,alterum male ſibi conſcii. CONTENDIT ab eo.) Extorſit. TOGATI creditores Græcorum.) Noluit dicere Equites Ro. ſed togatos dixit, & creditores Græcorum, vt oſtenderet cauſas gratificationis in Verrem. Togati creditores

ACCVSATOR apponitur.) Non dicit accedit, ſed à Verre ſcilicet ſubornatur. ET EX CREDITORIBVS Lampſacenorum.) Et hic cauſa gratiæ in perſona oſtenditur accuſantis. VT DE Philodamo amplius pronunciaretur.) Mos veterum hic fuerat, vt ſi abſoluẽdus quis eſſet,ſtatim abſolueretur:ſi damnandus,ſtatim: ſi cauſa non eſſet idonea ad damnationem,abſolui tamen non poſſet,vt amplius pronunciaretur. QVID EGO nũc in altera actione.) Hic apparet etiam in ampliatione ſic alterã dici,quemadmodum in comperẽdinatione. CN. DOLOBELLAE ſpiritus.) Plus ſignificauit dicendo ſpiritus,quam ſi animoſitatem contentionemue diceret. Spiritus.

PER PAVCIS ſentẽtiis.) Per nimium paucis ſententiis autem cum dixit damnatum, vt oſtenderet vix paucos inuentos, qui ad opprimendum numerum damnationis implerẽt, poſt ampliationẽ. IDCIRCO ne exercitum atque hoſtem relinquebas?) Recte dixit,bellũ enim à Dolobella gerebatur in Cilicia. SED ET oppugnatum auxiliis.) Auxiliis,pro auxilio, Quæſtoris ſcil. auxilio ipſius pecuniæ,quæ auertebatur. Sic Virgilius,

Auxiliumque viæ veteres tellure recludit
Theſauros.

NISI DAMNATO.) Non posset enim rationes falsas ad ærarium referre Verres, nisi dãnato Dolobella, qui redarguere mẽtientem præsens valeret. AD INIMICOS tuos.) Accusatores scilicet causarũ. TESTIMONIVM tuum publicum)quod apud Neronẽ dixisti contra Philodamum. BELLVM ne P.R.)Sic enim ad Neronem scripserat Verres. NISI publice satisfactum sit.) Nisi decreto publico traditi ad pœnam sint culpæ auctores. SATISFACERE enim est tantum facere, quantum satis sit irato ad vindictam. ET CIVITATI bellum indici.) Vt Cornelius, vt Tertius. LICTOREM tuum.) Cornelium scilicet. LEGITIMVM tempus ad vlscẽdum.) An vitio magistratus. accepto enim successore ad magistratũ accusari possunt. ET AIS iudicium esse factum.) Locus reprehensionis cõtra iudicatum, ne prosit Verri Philodamum esse damnatum. IN alios contulisse) Non in Philodamum. NEQVE IN ILLOS quos tu insimularis.) Dixeris vel accusaris. sensus hic est, & alios inquit nõ Philodamum accusasti, & ii ipsi quos accusasti dãnati nõ sunt. VBI HOS persequeris.)subaudiatur nusquam. ἐν ἐλλείψει. AB ACCVSATORE interrogatus Verres.) Scilicet productus in causa Philodami, & interrogatus. loqui enim nisi interrogato testi nõ licebat. interrogabatur autem, & ab eo cõtra quem esset productus. CVR IMMINVISTI IVS legationis.) Qui potestatem suam in administrando non defenderit, IMMINVTI MAGISTRATVS veluti maiestatis læsæ reus est. QVOD is Ephesi.) Ephesus ciuitas in qua Dianæ numen peculiariter colitur. SED ETIAM inter hostium tela.) Inuidiose orator hoc addidit cum de magistratu dicat. Nam Legati inter hostes in fœderibus faciundis, vel legibus pacis bellique dicendis, sancta corpora iure gentium atque inuiolata seruant. DE SVA CLASSE.) Habent enim Milesii præsidiariam classem ex fœdere præbendam Pop. Ro. maritimis necessitatibus.

IPSE myoparonem.) MYOPARO nauigii nomẽ est. L. MAGIO & L. Phannio.) Hi trãsfugato Valeriano

Satisfacere. Trãstulisse Cic. Insimulari Rogatus Cic. Imminuti Magistratus reus. Ephesus. Myoparo. Rabio Ci.

exercitu apud Mithridatem agentes ab eodem Rege ad Sertorium missi erant de pacisceda societate belli aduersus Romanos, quos in Italia iam positos, & ad Sertoriũ festinãtes, & hostes iudicauerat, & inquirendos mandauerat Senatus. hi tamen vltimum ad Romanos prodito ex magna parte Mithridate redierunt. VSQVE à Dianio ad Sinopen.) DIANIVM Hispaniæ maritima ciuitas. SINOPE Põti est, vbi Rex Mithridates erat. RENVNCIATIONEMQVE eius.) Qui renũciauerat nauem à Verre L. Magio vẽditam fuisse. NON SOLVM illud perscribunt quod tum prohibiti sunt, sed etiam causam adscribunt.) Hoc est, non solum prohibitos se scribunt, sed cur se magistratus ipse prohibere curauerit: ne cum oporteret, in literas publicas referrãt quod gestum esset. QVI tametsi Februarium mensem.) Hic est mensis, quo frequens Senatus postulatis prouinciarum & legationibus audiẽdis datur. ET CONSVLVM designatorum nomẽ expectant.) Et extimescunt legitur: nam vtroque verbo idem significatur. Hortẽsii autem & Metelli. Et vbi dicit Legatos Milesios posse terreri ne de Myoparone dicant, præsertim cum ad beneficia petenda venturi sint Februario mẽse: & in manu sit Consulum quando, & quemadmodum referãt ad Senatũ. & bene nomen Consulum dixit, vt potẽtiam demõstraret eorum, quorum etiam nomen ad formidinem officit. RELIGIONE adducti.) Quia IVRATI TESTES produci solent, non solum ne falsa dicant, verum etiam ne quæ vera sunt taceant. DOMESTICARVM legum metu.) Patriæ suæ legum, quibus coguntur de incõmodis patriæ non tacere. OCCISO.) Oratorie pro mortuo occisum dixit. SYNGRAPHAS fecerat.) Inter SYNGRAPHAS & cætera CHIROGRAPHA hoc interest, quòd in chirographis tãtũ quæ gesta sunt scribi solẽt: in Syngraphis etiã contra fidẽ veritatis pactio venit, & non numerata quoq; pecunia, aut nõ integre numerata pro tẽporaria volũtate hominũ scribi solẽt. More instituto q; Græcorum & cæteræ tabulæ ab vna parte seruari solẽt: Syngraphæ neutrius manu, vtriq; parti seruandũ tradunt.

L. Magius
L. Phannius.
Dianium
Sinope.
Februari'.
Expectare.
Extimescere.
Iurati testes.
Syngrapha.
Chirographum.

EXTREMA cæra.) Vltima tabula, vltima parte tabulæ. EXPENSVM Chrysogono seruo.) Quæritur cuius seruo, Verris.s.non Malleoli.

QVADRARINT.) Solida facta sint, vt neq; plus quicq̃ neq; minus inueniat in summa. vbi enim ratio sine fraude est, difficile est sexcẽta quadrare, & solidare vel solida fieri, quin aut minus, aut plus aliquid reperiatur.

Quadrare.

Solidare.

VT ILLA de Cn.Carbonis pecunia,) Et ibi enim sexcenta superfuisse mentitus est. NOMEN infimũ.) Vltimum titulum.infimum, vt appareat falsum esse.

COMMVNE Meliadũ.)Cõe R.P. FRVMENTO æstimando.) Licebat enim magistratibus in vsus suos frumentum accipere si vellent, aut pro frumento preciũ, quæ AESTIMATIO dicebatur. in qua re auarissimi quiq; infinitam pecuniam contrahebant, iniquum preciũ sociis imperando. CORIA, Cilicia, saccos.) CILICIA texta de pilis, in castrorum vsum atque nautarum. DOLOBELLAE æstimata,) Sub quo hæc Quæstor Verres admisit. CONSISTAM in vno nomine.) Perseuerabo, inquit, in eodem titulo Quæstorii criminis.

AEstimatio.

Cilicia.

Coria.

Sacci.

EX EODEM genere.) Furtorum scilicet Verris.

IN SVA potestate ac ditione tenuit.) Obnoxiũ criminum conscientia, & societate cum reo Dolobella, cui pro Quæstore fuerat, & Legatus. HOMO adolescens,) Quia cupidius accusauit, quàm grauiorem virum decebat, sed excusatur ætate. EORVM omnium voluntatem repudiaui.) Quia non vt Scaurus adolescens accuso.

NON ACCVSATOREM maxime laudari volo,) Accusatorium nomen ita viro bono fugiẽdum est, vt non satis sit odisse accusatorem videri. Tale est illud Terentianum, Eia ne parum leno sies. RATIONES ad AErarium,) Qui redargui potuit curiositatis, si ante damnationem Dolobellæ more Quæstorũ rationem ad AErarium retulisset. sic enim fiebat anteq̃ de prouinciis Quæstores Romam rediissent. PROINDE quasi excribendi,) Et si occupasset accusator tabulas rei aut amicorum eius, tamen ad necessarios vsus licebat excribere, id est exe-

Accusatorium nomen fugiẽdum.

Excribere

pla transferre. QVI NVNQVAM rationes ad ærarium referebat,) Hoc ideo, quia nec superioris Quæstu ræ, quæ cum Carbone fuit, rationes ad ærarium retulisset.

TRIBVS versiculis relatam.) Accepi, dedi, reliqui.

QVAESTOREM SE in Senatu expectare.) Bini Quæstores in Sicilia quotannis fuerant singulis Prætoribus, Lilybætanus & Syracusanus. OMEN Magis quam causa.) Omen auspicium. Causa, excusatio. Omen autem ideo dixit, quia eius exemplum attulit Verres, quia pecuniarum damnatus est. FECE,) Residuis colorib. NOMINA.) Tituli & capita criminum.

Siciliæ Quæst. & & Præt. duo.

Cicero hoc loco ex Asconio emen datus.

QVOD MINVS Dolobella.) In hoc capite ostẽdit falsitatem rationũ Verris: non conuenisse summas Dolobellæ cum ipsius summis. in qua re vult credi non Dolobellam, sed Verrem fuisse mẽtitũ. HINC ILLAE extraordinariæ pecuniæ.) Sordida lucra, & furta significat. nam ea sunt quæ neque de redditibus, neque de annonis, neque de aliqua legitima cessione, aut donationis, aut hæreditatis, verbi gratia, videntur adiectæ. HINC ratio cũ Q. & Cn. Posthumiis, Curtiis,) Hi sunt qui extraordinarias pecunias Verris tractabant: quæ in tabulis Verris nunquam scriptæ sunt, ne se ipse proderet, ne pecunias tãtas suis literis indicaret. HINC sestertiûm XIIII P. Tadio.) Et hic extraordinariarum Verris pecuniarũ susceptor ostenditur, Græcorum testimonio. CVI SIT data nil ad me.) Oratorie quæ probari non possunt, fingit se voluntate negligere. Terentius, En nõn dico. quasi non noris tentatum aduenis. TABVLAS cum conficeres.) Quomodo ergo dicit Verrem tabulas non habere, sed aliquo tẽpore cœpisse non scribere? Hæc ergo tempora rationis tabulas confectas habent. HIS expensum non ferres.) Expensum ferre, est scribere te pecuniam dedisse.

Extraordinariæ pecuniæ.

H-S quaterdecies.

Expẽsum ferre.

ACCEPTVM Curtii referrent.) Accepisse à te se scriberent, expensum fuisse à te eis scriberent.

VT EX VTROQVE genere.) Summa diuisionis & actionis Præturæ Vrbanæ & criminum C. Verris in duobus constituta, Iurisdictione & Sartis tectis.

QVI AVSPICATO à Chelidone.) Aues pascere dicuntur ineuntes magistratus. & quia Chelidon, id est, hirundo vrbem frequentat, facete vrbanam prouinciã Chelidonis auspicio meretricis dicit esse susceptam.

NEQVE CENSVS esset.) Neque centum millia sestertiûm possideret. Alii sic intelligunt, neque census esset, hoc est, neque census eius in quinquenium diues factus, quorum annorum spatio instaurari census solet apud Césores: quorum administratio per lustrum, hoc est quinqueniũ tenditur. ANTENTATVS.) Tãquam scire quis vellet, qualem se Prætorem fuerit præbiturus.

Cẽsus homo. Census quinquennio vel lustro instauratur.

APPELLAT hæredem,) Iniuriosum verbũ in personã Prætoris. APPELLATIO enim est inferioris ad potiorem. CVM intelligat legem Voconiã.) VOCONIVS legem tulerat, Ne quis cẽsus, hoc est pecuniosus hæredẽ relinqueret filiam. hoc ergo caput edicti est, legem Voconiam probantis Prætoris. NON improbũ, non inofficiosum, non inhumanum.) Hæc enim testamenta non solẽt valere. nam IMPROBVM, contra leges: INOFFICIOSVM, contra merita: INHVMANVM, contra pietatem.

Appellare. Voconia lex.

Test. in of. imp. inhu.

SVA SPONTE scelerata ac nepharia est.) Maleficia sponte, & non disputatione iuris consultorum, sed naturali interpretatione fugienda sunt, vt veneficium, parricidium: & cætera etiam, quæ nullo prohibente euitanda.

CORNELIA testamentaria, numaria,) vt Cornelia testamentaria, * quæ de moneta, Ne quis priuatim pecuniam faceret. A CERTO tẽpore.) Vt & quod semper reprehensum est, tamen à certo tempore in iudiciũ veniat: & à certo tempore plecti posset. RATA esse patietur.) Hoc totum ἀγανακτήσει, vt quasi per indignationem dici videatur, & interrogatiue. CEDO MIHI leges Atinias Furias Fusias.) Istæ omnes de iure ciuili sunt. Nihil continent criminum capitalium, publicique iudicii.

Lex Cornelia test. & numar.

NEQVE census esset.) More veterum CENSI dicebantur, qui centum millia in professione detulissent. huiusmodi adeo facultates Census vocabantur. BONA, fortunasq;,) BONA, in ipsis possessionibus: FORTVNAE, in

Censi qui

Bona, Fortunæ.

fructibus eorũ. HOC POPVLVS R. NON manu vindicasset.) Confusa locutio, abundare enim videtur, non. POSTEA QVAM IVS PRAETORIVM constitutum.) Ex quo ius Prætorium stabilitum est. Sic hoc dixit, quasi diceret, post conditam vrbem Romam: vt, post hominum memoriam: ex quo est ius prætoriũ. ERIPIES igitur pupillæ togã prætextã.) TOGA cõis habitus fuit & marium & fœminarũ. sed PRAETEXTA honestiorũ TOGA viliorũ. quod etiã circa mulieres seruabatur. TVM VTI proximum queque potissimum hæredem esse oporteret. si is intestatus mortuus esset, ita secundum eum possessio daretur.) Quasi ab intestato agnati eius succederent, quamuis diceretur testamentum fecisse, si tamen tabulæ non proferrentur. ET HOC VETVS EDICTVM TRALATITIVMQVE EST.) TRALATITIA veteres dixerunt, non noua, nec nuper inuẽta, sed aliunde tralata. SI HABVISSET ISTE EDICTVM.) Quale supra tralatitiũ dixit esse. Toga. Prætexta. Tralatitiũ

LEGE AGERET IN HAEREDITATEM.) Experiretur iure quemadmodum probaret se hæredem scriptum esse, & possessionem à Prætore peteret. AVT PRO PRAEDE LITIS VINDICIARVM CVM SATIS ACCEPISSET SPONSIONEM FACERET, ET ITA DE HAEREDITATE certaret.) Aut peteret inquit vt possessor esset, aut acciperet ab aduersario satis pro præde litis vindiciarũ, & ipse sponsionem faceret, & ita de hæreditate certaret. Lis VINDICIARVM est cum litigatur de ea re apud Prætorẽ cu ius incertũ est qs debeat esse possessor: & ideo qui eã tenet, satisdat pro præde litis vindiciarum aduersario suo, quo illi satisfaciat is, nihil se deterius in possessiõe facturũ, de qua iurgiũ esset. Rursus spõsione ipse prouocatus ab aduersario certæ pecuniæ aut æstimatiõis, quã amittat, ni sua sit hæreditas de qua cõtẽdit. PRAEDES ergò dicũtur satisdatores locupletes pro re de qua apud iudicem lis est: ne interea qui tenet diffidẽs causæ, possessionem deteriorem faciat, tecta dissipet, excidat arbores, & culta deserat. Lege agere in hæred. Vindiciarum lis. Prædes.

SI POSSESSOR,ſponſionẽ nõ faciet.) Subauditur eſt:hoc eſt,ſi poſſeſſor eſt,ſponſionem non faciet. QVID ID ad Prætorẽ?) Bene dixit. Cũ enim incertum ſit cuius debeat eſſe poſſeſſio, cur Prætor dicat,ſi poſſeſſor eſt:quaſi iam probauerit poſſeſſorem eſſe eũ,qui incubauit. Ergo à quo preciũ accepit, poſſeſſorẽ illum vocat, & vetat eum facere ſponſionem:& cum in poſſeſſionẽ mittere Prætor ipſe deberet,quem nondum miſit, iam poſſeſſorem appellat. ERGO QVIA poſſeſſor eſt,non moues poſſeſſione. ſi poſſeſſor non eſſet,non dares.) Contrarium poſuit,vt oſtenderet improbitatem gratificati Prætoris. Ergo nec adimere tibi licet poſſeſſionem incubanti,nec dare iure poſcenti .quod tu vtrunque facis,cum hunc poſſeſſorem nominas,à quo corruptus es: quaſi eũ,quia poſſeſſioni addicitur,amouere de poſſeſſione non poſſis. SI DE hæreditate ambigitur.) Caput eſt edicti Verris. HOC tralatitium eſt.) Ciceronis verba ſunt. QVI SE DICAT hæredẽ eſſe.) Verba Verris iſta iniuſta.Dabo,inquit,ſi quis tabulas teſtamẽti bene obſignatas protulerit.Sequitur, Nõ dabo,inquit,ſi ſe tantum hæredem factum eſſe dixerit, quãuis ille teſtamentum non proferat. Apparet Verrem contra Minutiam gentem fuiſſe corruptum ab eo,quem antè poſſeſſorem appellat in edicto,quàm ei poſſeſſionem paratus eſt dare. IPSE IN Sicilienſi edicto.) Figura Prolepſis, non enim adhuc peruenimus ad Siciliam,cuius crimina in accuſatione futura ſunt in tempore præterito. CAPITE Anniano.) Proprie iuris CAPITA dicuntur.

Capita iuris.

Prætor Præt. intercedit.

IN QVIBVS ita interceſſit.) INTERCEDERE, vt vides,etiam Prætor Prætori ſolet, vt Piſo Verri appellatione cauſæ ad collegam facta. TRIB. pleb.)M.Lolius Palicanus. QVAM PLENA ac referta Chelidonis.)Plebeia quædam clientula Verris Chelido fuit, quæ illum etiã moriens fecit hæredem, qua cauſa impune illam meretricem appellat orator. SVO tempore.) De Suppliciis.

CVIVS rei.) nõ in eodem negocio, ſed generaliter cuius criminis, id eſt crudelitatis. DAT HIC poſſeſſionem.) iniuſte.Aut ſolui enim potius debuit teſtamentum,

quod contra legem Corneliam factum fuerat, aut integrum cũ voluntate mortui permanere. P. TREBONIVS VIROS BONOS & honestos.) Quomodo igitur fallunt mortui voluntatem, cum ad Verrem adeũt? an vetuste BONOS, pro magnis: HONESTOS pro diuitibus posuit: an bonos & honestos, vt ipse crediderat? LEX EST, poena est.) Accusetur, inquit, cum fecerit, & damnetur, hoc Praetoris est: non prohibere ne faciat. qui enim ius dicit, factorũ iudex est, non futurorum, duntaxat in ciuilibus causis. Bonus Honestus.

O MODESTVM ordinem.) Quia ordinem dixit, Equitum Ro. ordinem dici quidam putant. sed Libertinos significat, quorum non conditione, sed more suo, quasi honestorum ordinem vocat. C. SVLPITIVS Olympus fuit.) *Vetus locutio Eminus est Vulturnus Capua tria millia passuum. EX EDICTO istius, quod edictũ Sacerdos non habuerat.) Edictum in causa veteri nouũ adhuc ostendit, vt numarium probet. nam ex ipso negocio videtur edixisse Verres, vt omnis libertus non patrono tantũ, sed etiam Patroni filiae sextam relinquat haereditatis.

L. GELLIVS.) Sine ornamentis nomẽ posuit, quia per se clarum est. Consularis & Nobilis vir. ADVENTITIA.) Quia ab alieniore haereditas veniebat.

NON ALIENVS A MATRIS eius genere & nomine.) Qui putant ironicôs pronunciandum, non vident contra testis suae dignitatem nunquam dicturum Ciceronem fuisse. Ergo simpliciter accipiendum est. vult enim patrem Verris diuitiorem fuisse: matrem honestiorem intelligi. TABVLAS PROTVLIT.) Per quas probauit abisse à se pecuniam, certis nominibus inscriptis. non enim Verres scripserat se accepisse, sed illo tempore, vnde, & quomodo, & per quos dederit, scriptum in tabulis ostendit. QVO MAXIMARVM RERVM frequentissimae quotidie aduocationes fiunt.) Veluti consultũ conuenientibus aduocatis velit, vt alterutri parti apud arbitros adsint, vel vt ipsi Iudices in rem aliquam capiantur. Aduocationes.

QVIBVS DE SARTIS TECTIS.) Harum rerum cura propria Censoribus datur, id est, sartorum Sartorũ tectorũ cura.

tectorum.verum hæc cũ cæteris inire, aut AEdiliũ cura est annua: Prætores, nisi senatus decreuerit, de hac re minus laborãt. SINE VLLO INTERTRIMENTO.) DETRIMENTVM, vel vnius partis dici potest. INTERTRIMENTVM vero ad vtriusque partem spectat, dantis & accipiẽtis. NVLLAM COLVMNAM, QVAE AD PERPENDICVLVM ESSE POSSIT.) PERPENDICVLVM linea laterum æqualitatẽ probat, summo ad imum altitudinem probans. hoc cum in columnis omnibus, tum maxime in structilibus vetusti moris prouenit, in quibus aut media, aut ima crassiora sunt.

Detrimentum. Intertrimentum.

SARTIS TECTISQVE DOMINATA EST.) Addidit, QVE vt esset plenum dictum. nam SARTA TECTAQVE dicuntur. EQVES RO. PVBLICANVS.) Honestus: aut potius pro parco & attento, quo magis indignum sit ad meretricem venisse.

Sarta tectaque.

ETENIM IVDICIVM QVOD PROPE OMNIVM fortunarũ.) Causam Mustius pecuniariam habuit Tullio defendente, cuius oratio non est edita.

Renũciare

RENVNCIAT Rabonius.) RENVNCIAT, irritã nũciat. FORO ornato.) Hæc fieri ludis solebãt, qui in foro etiã tũ dabãtur. AB eo mãcipe quẽ iste apposuisset.) Rabonio scilicet fabro acutũ callidũ. QVOD est igitur remediũ? quod?) repetit quod, vt deliberãtis cũctatio videatur inesse verbis eius. IN bonis prædibus prædiisque vẽdũdis.) BONA PRAEDIA dicuntur, bona satisdationibus obnoxia, siue sint in mancipiis, siue in pecunia numerata: PRAEDIA vero, domus, agri. Hæc autem omnia vendũtur, si rationi publicæ locator sartorum tectorum non responderit. Ad hoc autem hæc omnia sunt obnoxia, vt pro sua voluntate agat redemptor operis, quidquid suo periculo facit. tu autem Verres cum ego R.P. sim obnoxius, & prædibus id est fideiussoribus, & prædiis appositis: tu mihi non exactor sis operis, sed dominus voluntatis meæ, vt optima conditione sit, ad hoc inquit adstrictus redemptor tenetur R. P. vt optima conditione quod vult de redemptione sua agat. & tu cum excludis quem solum admitti oportuit, vt

Bona prædia.

Budęũ vide in pãd.

ad eius pecuniam, ac sumptum operis, quem illi imputaturus es, alius accedat. POPVLO cautum est.) AErario scilicet & prędibus & prędiis. PRAEDIA sunt res ipsę. Prędia. PRAEDES homines, id est, fideiussores, quorum res, BONA PRAEDIA nunc vno nomine dicuntur. Bona prędes. Bona prędia.

CORRIGVNTVR leges censorię, quid enim?) Ironicôs pronũciandum. SOCIVM ne admittito,) Qui tradere ędem debeat. NEVE partem dato.) Aliud enim SOCIVS, aliud PARTICEPS: qui certam habet partem, non diuise agit vt socius. Socius. Particeps

NEVE redimito.) Ne ipse iterum à se redimat, aut per suppositam personam vt alter ei redimat. Supposita persona.

CVIVS prędia subierant.) Satisdatorem dicit fuisse D. Brutum. SI QVID operis causa rescideris,) Satisdet dãni infecti redẽptor nouus veteri, si quid pro necessitate operis in ęde lęserit. QVI REDEMERIT.) Rabonium significat. QVI à vetere redemptore acceperit.) Pupillum dicit. EVM sibi ipsum iubet satisdare Rabonium.) Hoc est ipsum sibi. nam cum sit tutor pupilli, vbiq; res eius agitur. HOC OPVS bonum suo cuique.) Verbum citires diuersas simul cõprehendens. hoc est bono latere, integris mẽsuris, apta harena, vtili calce, machinis idoneis, proba materie. ET manus preciũ machinę.) MACHINA dicitur, vbi non tam materię ratio, q̃ manus atque operis ducitur. DE POPVLO accedere.) Hucusq; capite quod est. AT enim.) Interrogatiue pronunciatum: & contra responsiue, OMNES reiecti sunt.) Omnia, inquit, facta sunt, ne quis de populo redemptor fieret, qui aut pupillo parceret, aut conscius prędę Prętoris non esset. Responderũt Ciceronem impensam operis prauam putare, nõ moram. sed has, inquit, angustias temporis non timuit Rabonius propter conniuentiã Verris. neq; Cal. neque Nonis, neq; Idibus religiose* in me Nominat vultu diuo nouit Idus Cal. Cicero in nonas addidit. quanuis hoc pronũciatione soluatur, atrũ in visione hoc dici videre possumus. ISTAM diem quomodo assequitur.) Quomodo accurrit ad diem. Machina.

VT VNO minus teste haberet,) Vt de tot,qui cõtra se sunt testibus,vnum Rabonium detraheret.

PVTABAT se aliquid defensionis habiturum,) Vt diceret, adeo nullũ apposui redemptorem, vt post diẽ præstitutum operi,non ab eo susceperim opus,nec in acceptum retuli. CVM DIE cæteros exclusisset, tũ in eius potestatem venire nolebat.) Præstituendo diem angustissimã operi,duas res adsecutus est Verres,inquit:& cæteros exclusit conditione temporis, & ipsum Rabonium in sua potestate habuit:qui videbat sibi prædam eripi à Verre, sed non se commouebat metu operis præfiniti.

QVI SIBI ereptam prædam arbitraretur.) Rabonius scilicet à Verre sibi arbitraretur lucrum redemptionis ereptũ. QVOD IAM iste referre non poterat.) Nimis erat inuidiosum. RABONII tabulæ.) In quibus scriptum est,ad Verrem pecuniam peruenisse,quas Rabonius tutor pupilli nomine dedit Verri,tanquam si ipse à pupillo acciperet. GRACCHI credo aut Saturnini,) Seditiosorum Trib.Pl. SINE BVLLA.) Simul cũ

Bulla aurea & scortea. prætexta etiam BVLLA suspendi in collo infantibus ingenuis solet aurea, Libertinis scortea, quasi bulliẽtis aquæ sinus cõmuniens pectúsq; puerile. DVBITAMVS, quid iste in hostiũ prædã molitus sit?) Scilicet cũ Pyratarũ nauẽ cepit,& prædã omnẽ ad se auertit. EX L.Metelli manubiis.) Ex æde Castoris, quam de manubiis L.Me-

Castoris ædes. Manubiæ. tellus extruxerat:qui Metellus subactis Dalmatis Dalmaticus appellatus est. MANVBIAE autem sunt præda Imperatoris pro portiõe de hostibus capta. A SIGNO Vor-

Vortũnus tumni in Circũ Maximum.) Signum VORTVMNI in vltimo vico Thurario est,sub Basilicæ angulo flectentibus se ad*postremam dextram partem. Vortumnus autẽ deus vertendarum rerum,id est mercaturæ. CIRCVS autem MAXI-

Circus Maximus. MVS est idem in quo nunc Circenses spectantur.

Exigere viam. Thensæ. Pompa. QVAM tu viam Thensarum & põpæ eiusmodi exegisti.) Sic exegisti,vt EXIGERE VIAM dicũtur magistratus,cum viciniã cogunt munire quàm diligentissime sumptu facto. THENSAE autẽ sunt sacra vehicula, POMPA or

dinum & hostiarum. Thensas alii à diuinitate dici putant: alii ꝙ ante ipsas lora tendūtur, quæ gaudēt manu tenere & tãgere qui eas deducunt. * ORBITA autē duas res signifi- Orbita. cat. nam orbita & rota ipsa intelligitur, & vestigium rotæ in molli solo. INTERCESSISSET contra legem Corneliam.) Vt in bonis aliorúmque magistratuum capes sendorum potestatē haberent. Persuasisse dicitur hãc legem Opimius. CONTRA alicuius hominis nobilis po testatem.) Catulum significat, qui tunc princeps fuit Syllanæ factionis. PAVCOS homines, vt leuissime dicā, arrogantes.) Catulum, Hortensium, Curionémque signifi cat. MANVBIAS detrahere conatus sit.) Spolia quæsita de viuo hoste nobili per deditionem MANVBIAS Manubiæ veteres dicebãt. & erat Imperatorū hæc præda, ex qua quod vellēt facerēt. NAM DE subsortitione illa Iuniana Iud. nihil dico.) Sortitus erat Iudices Prætor Verres in iudi cio quo Oppianicus accusatus est à Cluētio. reiectiōe vtrinque facta subsortitus est in eorum locum Verres. At vero da mnato Oppianico cum in inuidia res esset, quòd pecunia reus videretur oppressus, & princeps illorum iudicum dãna tus esset Iunius, quòd diceretur alios supposuisse, qui reū da mnarēt, non eos quos Prætor fuerat subsortitus, etiam Ver res ipse, vt hæc inuidia aduersus Iuniū vera videretur, sustulit quos in suis tabulis habebat, & alios in litura scripsit, & obsignauit annulo non solum suo, sed etiam scribæ sui: quē furtorum participem suorum & diuitem fecerat, & annulo donauerat aureo. EIVSMODI subsortitionē homo amentissimus suorum quoq; Iud. fore putauit.) Obscurus locus, sed vt opinor hic sensus est, Putauit, inquit, Verres eo dem loco supponi potuisse Iudices, qui se corrupti absoluerent, quemadmodum suppositi erant qui Oppianicum cōdemnarant. PER SODALEM suum Q. Curtiū.) Iudex quæstionis subsortiebatur in locum non reiectorum, quos iste redemerat improbos Iudices, quibus ad vænales sententias proferendas vltimo die subiectis vteretur. Facile autem pro veris Iudices improbi supponi poterant volente hoc Iudice quæstionis, & illis patientibus qui Iudices erãt.

quia nisi citati non confidebant: & graue onus erat, & incõ modum iudicare Q. Curtium Iudicem. Quo apparet hunc & pòst hoc factum à Cicerone esse reiectum conuitio populi qui in corona aderat. EX HAC decuria nostra.)

Decuria. Centuria. DECVRIAM modo ordinem, ac per hoc & nobis. quia honestiorum Decuriæ, inferiorum Centuriæ dicebãtur.

CVIVS MIHI potestatem largissimam fieri oportebat.) Quæ scilicet non fieret, si pro vobis alii subiicerentur, quos iste annuerat. quasi dicat, suggerit causa non reiectis scilicet iis in quorum loco alios subsortiebatur. Hoc est vero numero nobis manente, neque reiecto.

Q. ASCONII PAEDIANI IN IIII M. TVLLII CICERONIS CONTRA C. VERREM ORATIONEM DE PRAET. VRBANA, COMMENTATIO.

HAEC SINE dubio ad accusationẽ propositi criminis spectat oratio. Nã superiores ante actis rebus expositæ: quæ quia magis adiuuãt accusationẽ quàm ipsæ principales, in vnum librum coactæ sunt iudicio Ciceronis cursim enumeratis, quæ Verres Quæstor, quæ pro Quæstore, quæ Legatus, denique Prætor vrbanus admiserit: vbi ventum est ad causam ipsam & Siciliẽsia crimina, quatuor libros edidit. Vnum de iurisdictione. Alterum de frumẽto. Tertium de signis. Quartum de suppliciis. In qua distributione non ordo temporis, sed facinorum genera, & momenta seruata sunt. Incipit autẽ à laude Siciliæ, & egreditur ad crimen Dionis. Deinde Sosippi & Philocratis. * Si de iure Siculorum euerso. Frustra quidam Ciceronem reprehendunt quod non inde cœperit, cum superiora crimina non egeant eiusmodi tractatu, qui ad sequentia pertinet, oratoris

Diuisio VII Verrinarum.

consilio à magnis, iisdemque clarioribus sumendum esset exordium. itaque post hoc de merodio expressis honoribus ab inuitis, de Epicrate Bideno, deq; rebus capitalibus, de Sopatro, de Stenio, de iure dicundo. alterum de Senatoribus, de Sacerdotibus, de Censoribus precio à Verre factis, de collatione in statuas, de publicanorũ cũ Verre conuenientia in furtis, de tabulis Carpinatii pecunias verris extraordinarias continẽtibus. GENVS causæ in omnibus Verrinarum libris ADMIRABILE. STATVS principaliter Coniectura.

EA me ad hoc negocium prouincia attraxit.) Hoc vero plus est, quam quod in Diuinatione dixit, Suscepi causam P.R. PRINCEPS Siciliæ.) Tum, cum Messana ciuitas seditione diuisa auxilium contra Hieronem per alios à Pop. Ro. petit, quod initium fuit discordiæ. Messana.

NVNQVAM postea deficerent.) Apparet quia post societates, & amicitiam firmatam nihil tale commiserãt.

IN amicitia perpetuo manerent.) Quæ nunquã defecerat. SIGNIS, monumentisque pulcherrimis.) Præparatio ad librũ de signis. DENIQVE ille ipse M. Marcellus.) Hic Imperator cum esset, vicit, cepitq; Syracusas, & victis pepercit. QVAE cum manu munitissima esset.) Ne quis diceret, non fuit quod timeret. CVM vi, consilioq; cepisset.) Ne quis diceret, non potuit hostium vrbem Syracusas. QVANDO illa frumentũ.) Omne genus pensitationis in hoc capite positũ est, Canonis Oblationis Indictionis. ITALICO bello.) Sociali. QVAE forsitan ne sentiamus quidẽ iud.) Quædã cõmoda ita naturalia consequuntur, vt sanitas, integritas viriũ, vt ne sentiantur. sentimus autem si subtrahant* eiusmodi rem dicitis negent, lucra faciũt, locupletes sunt, de opportunitate Siciliæ. ILLAM veterẽ.) Bonã cõsuetudinẽ. NON hãc quæ nũc increbuit.) Malã. NEQVE publicanus, neq; negociator odio sit.) Hæc sunt Romanorũ hominum per prouincias nomina. ARAM legum.) Tribunal Prætoris, ac subsellia iudicũ. PVBLICO cõsilio.) Quia nõ potest negari fuisse illos accusatores Marci Lepidi, addidit PVBLICO cõsilio.) Quasi illud omnes tũc fecerint.

Syracusæ captæ a Marcello.

Canon Oblatio Indictio.

ET SI ILLVM annū.) M. Lepidi Prætoris. Qui accusari cœperat à duobus Metellis, Celere & Nepote, qui cum legibus interrogassent, victi eius apud populum gratia destiterunt. VT BIS ex ea familia.) Semel, quòd proauus conseruauit victor Syracusas. iterum hic pronepos magistratu suo Siculos recreauit. ET POSTEA M. Antonii.) Hic est M. Antonius, qui gratia Cottæ cōsulis, & Cethegi factione in Senatu Curationem infinitā nactus totius oræ maritimæ, & Siciliam, & prouincias omnes depopulatus est, & ad postremum inferens Cretēsibus bellum morbo interiit. IN NEMINEM ante hunc.) Recte, quia Lepidus legibus tātum interrogatus, necdum etiā cœperat accusari. POSTVLATA Cōsulibus, quæ non postulata.) Ne ipse in Verrem concitasse Siculos videatur, voluntatem contra Verrem in multis aliis rebus esse monstratam, cum de illis superioribus, tū etiam quia petitiones ad Senatum per legatos Siculi tales miserunt, vt nō tam beneficia postulare, quàm huius iniurias describere videantur, vtputa cum petunt, ne rei fiant absentes, quia Stenius apud Verrem hoc passus fuerat, & alia huiusmodi. A QVO mea longissime ratio.) A quo, à qua re, à quo negocio, accusationis scilicet. PVBLICAE ac iniquæ.) Aut Legati aut suas iniurias prosequētis. AT QVEMADMODVM iudices venerint?) Obscurus sensus, & per hyperbaton, cum parenthesi figura, & nouo modo in sententia magis quā in verbis explicatur: est enim sensus hic, At quémadmodum Iud. venerint, id est q̃ animose contra Verrem, ex hoc cognoscite. & docet quoties deterriti, & per quos, & quibus minis accusandi tantam Verris non deposuerint voluntatem. SALVTI ENIM POTIVS illorum consulam, quàm voluptati.) Hoc ideo, quia cōtra Metellum dicturus est Siciliæ tūc Prætorem. QVAESTORES vtriusque prouinciæ.) Duos Quæstores habet Sicilia, Lilybætanum, & Syracusanum. Nam Prætori vna prouincia est, Quæstori duæ. PRAESTO fuerunt.) Vt impedirent scilicet meam inquisitionem. Sequitur enim,

M. Antonius.

NON MINVS ACRES CONTRA ME

FVERVNT.) Apparet cum triennio Siciliam tenuerit vnus Verres, Quæstores tamen per annos singulos huic esse mutatos. PRAETOREM VERO.) Ipsum Metellum successorem Verris. IN LAVDANDO ATQVE REPETENDO.) Accusando repetundarum. VNA OPERA.) Quod Romã venerũt. aut quod processerunt in conspectum Iudicum. QVA ratione isti amica sit.) Ob ad se missa munera, societatemque prædarum. ALIA CIVITAS NVLLA IVD. publico &c.) Scilicet laudãt aliæ, sed nõ publico cõsilio per priuatos testes. supra enim dixit, præter duas ciuitates, Mamertinam scilicet & Syracusanã. VIS ILLA summi imperii.) Metelli Prætoris in Sicilia, & Romæ fratris eius Metelli alterius Consulis cũ Hortensio. INIVSSV POPVLI AC Senatus.) Magnifice quidem Siculum tantum dicit, & populum, & Senatum. TESTIMONIVM PVBLICVM mandataque acceperãt.) A suis ciuitatibus scilicet. VSV VENISSE.) contigisse. STATIM ROMAE, & ad vrbem.) Præturæ ius. Omnis enim magistratus qui intramuranus nõ est, nec vrbanus, etiam si administrator eius Romæ est, AD VRBEM dicitur. Sallustius, Ii vtrique ad vrbẽ imperatores erãt. Ad vrbẽ.
MAXIMAM VNO ANNO pecuniam facere posset.) Cur vno anno? an quia diuinabat Arrium sibi nõ successurum? per triennium se in Sicilia futurum?

CVM videret in foro latrocinia.) Furta in æde Castoris, ac pro Rostris. IN QVARTO actu improbitatis.) Fabula siue tragica siue comica, quinque actus habere debet: ergo & mire transtulit: & significatur administrationes in R.P. Verris infames, tanquam scenicos actus spectaculo omnibus fuisse. NON SOLVM Genera furandi, sed etiam nomina.) Species negociorum hominũ quasi significant. QVAS EGO ISTVM in Italia scripsisse arbitror.) Quasi in naui scribere non potuerit. sed hoc eo dicit, quia constat Verrem negocia Siciliæ extra Siciliam didicisse. SACERDOTE Prætore.) Hic & temporis admonitio est, & argumentum calumniæ Verris

de qua Sacerdos nihil contra hæredem statuerit. QVADRVPLATORES.) Accusatores, siue delatores crimi num publicorum sub pœna quadrupli, siue quod ipsi ex damnatorũ bonis quos accusauerant quartam partem consequebantur. AD VRBEM.) Iam supra diximus quid interfit ad vrbem, & in vrbe. IS QVI Erycum mõtem obtinebat.) Lilybætanus scilicet Quæstor, non Syracusanus. nam hos binos Quæstores annuos habuit Sicilia.

Quadruplatores.

Emissari*

EXCVRSOR EMISSARIVS.) Hi vocãtur cõciliatores furtorum, quæ à magistratibus cõmittũtur, atque internũcii. PAVLO tamẽ cõsideratiorẽ.) Si cõsideratiorẽ, inquit, aliquatenus calũniatorem quæreret, reperire non posset. VENERI absoluit, sibi condemnat.) Sensus hic est, ita Verrem in causa bona tantum prædatũ: quasi minus damni esset, si Dionem Erycinæ Veneri addicere voluisset. QVOD NON debebatur.) Mirè perseuerauit in causa, vt ostenderet calumniam fuisse Prætoris. QVID ipsius Q. Cecilii Dionis.) Ipsius ciuis causa amplius honorifice positum est, quasi alicuius magni hominis.

QVI TVNC in Macedonia fuit.) Consul scilicet. nam vt opinor Curioni accesserat. SED LEGIS exceptio?) Qua non licet, vt testimonium defensori denũciet accusator. E CHELIDONIS sinu.) Alludit ad nomen quod Hirundo quam Chelidona Græci vocant veris, id est temporis verni sit amica. SI cõmissum quid esset.) COMMISSA dicuntur quæ contra testatoris volũtatem facta aut nõ facta, ab hærede mulcta aliqua pœnaque plectuntur. IPSO VIGESIMO anno.) Præscriptio temporis. COGNOSCIT.) Iam primum hoc peccatũ.

Commissum.

A DVOBVS fratribus.) * In partes volũtate videri damno & vnam patris hæreditatem, & duos fratres.

AT ENIM AD Verrem pecunia ista non venit.) Coniecturæ status tentatur ire contra Hortensium, qui improbos sæpe defendit. VERRES calumniatores apponebat) A summo ad imũ, hoc est à primis ad postrema. VOLCATIO sese dicunt dedisse.) Tollit coniecturam. Causam quærit, ECQVIS Volcatio si sua sponte venisset. VENIAT nunc.) A consequentib.

Obserua

SED cũ ob tua decreta.) Collectio. CENTVM cohortes fugitiuorum fuissent,) Propter Athenionẽ dicit, qui dux fugitiuorũ per Siciliã fuit. SED TVA manu numeratũ.) Definitiue. NAM si hãc defensionẽ probabitis.) Admittetis, accipietis. NON accepit ipse.) Sed non accepit ipse licet. TOLLATIS.) Pro eo quod est iam tollite. AD Q. MVTII innocẽtiam referatur.) Q. Mutius Asiam singulariter rexerat, adeo, vt dies festus à Græcis in honorem eius constitueretur, qui diceretur Mutia. MISSOS faciamus.) Dimittamus à prouincia, eorũq; opera nõ vtamur. RATIONEM reddendam nobis arbitremur.) Accusari nos posse credamus. ET EOS in cõcione.)* Et honori & lucro sũt, Vt hastæ, vexilla, phaleræ, coronæ ciuicæ, item annuli aurei ingenuitatis signa & liberationis à cura inuictæ publicarũ. Mutia.

QVI iudicia dant.) Prætores. SI CVM hæc à quopiam vestrũ petita sint, Prætor improbus cui nemo intercedere possit.) In prouincia scilicet. nam Romæ appel lari Tribuni possunt contra omnem potestatem.

L. OCTAVIVS.) Verbi gratia hũc dicit, qui nũc in numero Iudicum sedet: subtiliterq; laudat, vt Prætorem solet in verba litis iure cõposito. L. OCTAVIVS Balbus Iudex homo. &c.) Hæc sunt exẽpla verborũ in quæ verba iudicium dare fingit Prætorẽ improbũ. IVRIS & officii.) IVS ad doctrinam pertinet, OFFICIVM ad virtutem. L. OCTAVIVS Balbus iudex esto.) Iudicio suo fungatur Balbus in Seruiliũ. SI CONSTAT fundum Capenatem P. Seruilii esse, nec restitueretur Catulo.)* Cuius non enim & monumẽto omnem est Iud. præsentes esse, quorum nominibus vtitur ad exemplum. Ius. Officium.

IVDEX esto, si nõ restitueretur fundus.) Hoc significat, Cogere vt restituat, aut condemnare reũ quẽ nõ oporteat. quia de fundo exemplum dederat, subiecit clausulam etiam de condemnatione. SI NON ACCIPIT QVOD TE DEBERE DICIS, ACCVSES: SI PETITVR DVCAS.*) Sẽsus hic est, si nõ acceperit creditor, quod se debere debitor dicit, accusetur: si petitur,

condemnetur idem ſcilicet,qui duci iuſſit, vel reum fieri, & accuſari eum qui petitor eſſet, vel etiam damnari. Melius autem,duci iuſſit,in vincula vel in carcerẽ intelligimus, q̃ duci iuſſit,damnauit. QVI CIVES Rom.erant.) Subauditur,addebantur. SI SICVLI eſſent.) Subauditur,rei. TVM ſi eorũ legibus dari oporteret.) Subauditur,iudicia. QVI SICVLI.) Subauditur,erãt iudices. SI CIVES Rom.eſſent.) Subauditur rei. Sic Terentius,Hic in noxa eſt,hic ad defendendam cauſam adeſt:cum ille abeſt,hic præſto eſt.tradunt operas mutuas.

VERVM VT totum genus complectamini iudiciorum,prius iura Siculorũ.) Explanationẽ ſubiecit obſcuræ rei. DOMI CERTET.) Apud ciues ſuos.

SVIS LEGIBVS.) Siculus etenim apud veteres, non Romano tantum iure,ſed & ſuæ cuiuſque ciuitatis legibus agebat. EX P.RVPILII decreto,)Hic eſt P. Rupilius,qui quondam ex Publicano dictus Conſul, poſtea x Legatorum ſententia leges Siculis conſcripſit.

P.Rupil.

CVM alternæ ciuitates reiectæ ſunt.) Apparet ex hoc dicto primum petitoris ac rei ciuitatem ad iudicandũ proponi. Poſtremo iri ad aliam quamlibet vtriuſque facta reiectione. QVOD ciuis.) Deeſt Romanus:vt ſit,in eo quòd ciuis Romanus. EX CIVIVM Romanorũ conuentu.) Ex iis ciuitatibus ad quas ciues Rom.côuenire ſolent,agendæ ſuæ ac publicæ rei cauſa.

AVT EVM Iudicem quẽ commodũ erat.) Vetuſte poſuit,pro eo quem volebat. Sic Terentius,Amat.dabitur à me argentum,dum erit cõmodum.nam meretrici dare quando eſt commodum?ſed eſt poſitum pro eo,quamdiu libuerit. SI QVID perperam iudicarit Senatus.) Multi ſubdiſtingũt & ſeparatim addũt,Senatus:vt quaſi per interrogationem oſtendat,ne Senatui quidẽ cuiuſquam ciuitatis in poteſtate fuiſſe iudicare quod ſenſerat. NISI CVM.) Nihil intererat iſtius, niſi cum quid iuſſu ederet non habebat. STRAGVLAE veſtis.) Stragula veſtis eſt picta. ET INSANIAM.)Noue,ſed propter.*

Cõmodũ.

Q. ASCONII PAEDIANI COMMENTATIO IN M. TVLLII CICERONIS ORATIONEM CONTRA L. PISONEM.

HAEC ORATIO DICTA EST Cn. Pōpeio Magno II, M. Crasso II coss. ante paucos dies quàm Cn. Pōpeius ludos faceret, quibus Theatrum à se factum dedicauit. Hoc intelligi ex ipsius Ciceronis verbis potest, quæ in hac oratione ponit. dixit enim sic, Instant post hominum memoriam apparatissimi magnificētissimique ludi. Fenestella quidem posuit hanc inter eas orationes, quas dixit Cicero L. Domitio, App. Claudio coss. vltimam. Sed vt ego ab eo dissentiam, facit primum, ꝙ Piso reuersus est ex prouincia Pompeio & Crasso coss. Gabinius, Domitio & Appio. Hanc autem orationem dictā ante Gabinii reditum, ex ipsa manifestum est. Deinde quod magis naturale est, vt in ipso recenti reditu inuectus sit in Ciceronem, responderitque insectationi eius qua reuocatus erat ex prouincia, quàm post anni interuallum. Apparet autem Ciceronem respondisse Pisoni. In summa cū dicat ipsa oratione Cicero, instare magnificentissimos apparatissimósq; ludos, non video quomodo hoc magis Domitio & Appio coss. dictum sit, quibus coss. nulli notabiliores ludi fuerunt, q̃ Pompeio & Crasso: quo anno Pōpeius exquisitissimis magnificētissimisq; omnis generis ludis Theatrū dedicauit. Theatrū Pompeij.

ARGVMENTVM.

Argumentum huius orationis breue admodū est. nam cum reuocati essent ex prouinciis Piso & Gabinius sententia Ciceronis, quam dixerat de Prouinciis Cōsularibus, Lētulo & Philippo coss. reuersus in ciuitatē Piso, de inse-

ctatione Ciceronis in Senatu cōqueſtus eſt,& in eum inuectus,fiducia maxime Cæſaris generi,qui tum Gallias obtinebat,Piſoni Cicero reſpondit hac oratione.

EXPOSITIONIS INITIVM.

QVOD MINIMVM SPECIMEN in te ingenii,ingenii autem, immo ingenui hominis ac liberi, qui colore, ore ipſo patriam aſpernaris,oratione genus,moribus nomen.) Tametſi hæc oratio inſcribitur in L.Piſonem,tamen non puto vos ignorare hunc Piſonem ex ea familia eſſe, quæ FRVGI appellata ſit:& ideo dicit,aſpernari eum moribus nomen.

Piſonum famil. Frugi.

HOC NON AD CONTEMNENDAM Placentiam pertinet,vnde ſe is ortum gloriari ſolet. Neque enim hæc mea natura fert,nec municipii præſertim de me optime meriti dignitas patitur.) Magnopere me hæſitare confiteor,quid ſit quare Cicero Placentiam municipiū eſſe dicat. Video enim in annalibus eorum, qui Punicum bellū ſecundum ſcripſerunt,tradi PLACENTIAM COLONIAM deductam pridie Calend.Ian.primo anno eius belli,Cornelio Scipione patre Africani prioris,T.Sēpronio lōgo COSS. Neque illud dici poteſt, ſic eam Coloniam eſſe deductam, quemadmodum poſt plures ætates Cn.Pōpeius Strabo pater Cn.Pompeii Magni Trāſpadanas Colonias deduxerat. Pompeius enim non nouis colonis eas conſtituit,ſed veteribus incolis manentibus IVS dedit LATII,vt poſſent habere ius quod cæteræ Latinæ Coloniæ,id eſt, vt petendi Magiſtratus gratia ciuitatem Romanā adipiſcerētur. Placentiam autē ſex millia hominum noui coloni deducti ſunt.in quibus equites deducendi fuit cauſa,vt opponerētur Gallis, qui eam partem Italiæ tenebant.Deduxerunt Triumuiri P. Cornelius Aſina,P.Papirius Maſo,Cn.Pompeius,ſiue Cn. Cornelius Scipio:eámq; coloniam LIII deductam eſſe inuenimus.Deducta eſt autē Latina. DVO porro GENERA earum COLONIARVM quæ à P.R.deductæ ſunt,fuerunt: Italicæ,aliæ Latinorū etiam.De ſe autē optime meritos Placentinos ait,quoniam illi quoque honoratiſſima decreta er

Placentia Colonia.

Ius Latij.

Coloniarū duo genera.

ga Ciceronem fecerunt, certauerantque in ea re cum tota Italia, cum de reditu eius actum est.

De auo Pisonis materno. HIC CVM ADHVC Placentiæ foret, cõsedit,* & pauci in eam ciuitatem, tum vt erat ascendit. Prius enim Gallus, dein Gallicus, extremus Placẽtinus haberi cœptus est.) Hoc quoque dicit ciuitatem fuisse, ab eadem persuasione ponit Placẽtiam municipium fuisse. Auum autem Pisonis primo Gallum fuisse ideo ait, quòd venisse eum in Italiam dicit: trãs Alpes quidem, ꝙ in Italia consederit: Placentiæ, postquam accitus sit, à Placentinis auus multo post ea tempora fuit, quibus Placentia Colonia deducta est.

LAVTIOREM pater tuus socerum quam C. Piso, in illo luctu non ei filiã meã collocaui, quem ego potestas cum omnium fuisset, vnũ potissimũ delegissem.) Quis fuerit Pisonis pater, ipse supra dixit his verbis, Insuber quidam fuit, id est mercator & præco. is cum Romã cũ filio venisset, adolescentẽ nobilẽ Cæsoniũ hominis furacissimi filiũ ausus est appellare, filiã collocauit, Caluẽtiũ aiunt eũ appellatũ sæpius Pisonis, cõtra quẽ hæc oratio est, socerũ Rutiliũ Attiliũ dictum, Fenestella tradit. Cicero filiã post mortẽ Pisonis generi, P. Lentulo collocauit, apud quẽ illa ex partu decessit.

EGO IN C. Rabirio perduellionis reo XL annis ante me Cos. interpositam Senatus authoritatem sustinui cõtra inuidiam, atque defendi.) Posset aliquis credere Ciceronem quidem dicere, vt XL anni à S. C. aduersus L. Apuleiũ Saturninũ Tribunum plebis numerẽtur. C. enim Mario, L. Valerio Coss. factum est. Sed hic non subtillis computatio annorum facta est, verum summatim tempus comprehensum est: vt perinde acceperit, ac si dixerit, propẽ XL annis. Hæc enim consuetudo ipsius. Itaque idem Cicero in ea quoque quam habuit in Catilinam in Senatu, cũ octauusdecimus dies esset posteaquam factum S. C. vt viderent Coss. ne quid Respub. detrimenti caperet dixit, Vigesimum iam diem patimur hebescere aciẽ horũ authoritatis. Habemus enim huiusmodi S. C. verumtamen inclusum in tabulis, tanquam gladium in vagina reconditum.

EGO cũ in concione abiens magistratu a TR. PL. dicere prohiberer ea quæ constitueram, cũque is mihi tantum modo iurare permitteret: sine vlla dubitatione iuraui, Rem pub. atque hanc vrbem mea vnius opera esse saluam.) Diximus iam antea à Q. Metello Nepote TR. PL. Ciceronem Consulatu abeuntem, prohibitum esse concionari de rebus quas in eo magistratu gessit.

Dicit de ludis Compitalitiis. AVDE NVNC O Furia de tuo dicere. Cuius initium fuit, ludi Compitalitii: quos Q. Metellus (FACIO iniuriam fortissimo viro mortuo, qui illum, cuius paucos pares hæc ciuitas tulit, cũ hac importuna bellua conferam, sed ille designatus Consul cum quidam Trib. Pleb. suo auxilio magnos ludos contra S. C. facere iussisset,) priuatus fieri vetuit. Tu cum CALENDIAN. Compitalitiorũ dies incidisset, Sex. Clodium, qui nũquam antea prætextatus fuisset, ludos facere, & prætextatũ volitare passus es.) L. Iulio, C. Martio COSS. quos & ipse Cicero supra memorauit, S. C. COLLEGIA sublata sunt, quæ aduersus remp. videbantur esse. Solebant autẽ magistri Collegiorum ludos facere, sicut magistri vicorũ faciebant Cõpitalitios Prætextati: qui ludi sublatis Collegiis discussi sunt. Post nouem deinde annos quàm sublata erant, P. Clodius Trib. Pleb. lege lata restituit Collegia. Inuidiam ergo & crimen restitutorum cõfert in Pisonem, quòd cum Cos. esset, passus sit antequã lex ferretur, facere Prætextatũ ludos Sex. Clodium. Is fuit familiarissimus Clodii, & operarum Clodianarũ dux, quo authore postea illato ab his corpore Clodii, Curia cum eo incensa est. quos ludos tũc quoq; fieri prohibere tentauit L. Munius Tribunus Plebis. Ante bienniũ autem antequam restituerentur Collegia, Q. Metellus Celer Cos. designatus, magister ludorum, ludos Compitalitios facere prohibuerat, vt Cicero tradit, quamuis authore Trib. Pleb. fierent ludi, cuius Tribuni nomen adhuc non inueni.

Collegia sublata. *Ludi compitalitii.* *Sex Clodius.* *Curia in funere Clodij incensa.*

ERGO HIS FVNDAMENTIS positis Cõsulatus tui triduo post inspectante te & tacente, à fatali portento prodigioq; Reip. lex AElia & Fusia euersa est, propugnacula murique tranquilitatis atque ocii. Collegia non ea

solum quæ Senatus sustulerat restituta, sed innumerabilia quædam noua ex omni fece vrbis, ac seruitiis constituta. ab eodẽ homine in stupris inauditis nephariisq; versato, vetus illa magistra pudoris & modestiæ Censoria seueritas sublata est.) Diximus L. Pisone & Gabinio COS. P. Clodiũ TR. PL. quatuor leges perniciosas P. R. tulisse, ANNONIAM, de qua Cicero mẽtionẽ hoc loco nõ facit: fuit enim summe popularis, Vt frumẽtum populo, quod antea senis æris ac trientibus ĩ singulos modios dabatur, gratis daretur. Alteram, Ne quis per eos dies quibus cũ populo agi liceret, de cœlo seruaret. propter quam Rogationem ait legem Fusiam & AEliam propugnacula & muros trãquilitatis atque ocii euersa esse. OBNVNCIATIO enĩ, qua perniciosis legib. resistebatur, quã AElia lex confirmauerat, erat sublata. Tertiã, De Collegiis restituendis, nouisque instituendis, quam ait ex seruitiorum fece constitutam. Quartam, Ne quem Censores in Senatu legẽdo præterirent, neue qua ignominia afficerent: nisi qui apud eos accusatus, & vtriusque Cẽsoris sententia damnatus esset. Hac ergo eius lege Censuram, quæ magistra pudoris & modestiæ est, sublatam addit. Clodianæ leges. Obnũciatio.

PERSEQVERE CONTINENTES HIS funeribus dies pro Aurelio Tribunali ne conniuente quidẽ te, quod ipsum esset scelus: sed etiam hilarioribus oculis quã solitus eras intuente, delectus seruorum habebatur ab eo, qui nihil sibi vnquã, nec facere, nec pati turpe duxit.) Profecto intelligitur P. Clodium significari.

Dicit de Castoris templo. ID AVTEM TEMPLVM, sublato aditu, reuulsis gradibus à cõiuratorum reliquiis, atque à Catilinæ præuaricatore quondam, tum vltore, armis teneretur.) Catilinam lege repetundarum absolutum esse, accusante P. Clodio, iam dictum est. Catilina repetũdarum accusatus.

CVM EQVITES R O. relegarentur, viri boni lapidibus è foro pellerentur.) L. Lamiã à Gabinio COS. edicto relegatum esse iam diximus.

SEPLAIA ME HERCVLE, VT dici audiebam, te vt primum aspexit Campanũ Cos. repudiauit.) Dictum est in Dissuasione legis agrariæ ad populum, plateam Seplasia.

esse Capuæ, quæ SEPLASIA appellatur, in qua vnguentarii negociari sint soliti. Ergo eos quoque qui in ea platea negociarentur, dicit inuitos Pisonem vidisse, cum Capuam cos. venit, quòd eos à quibus ille expulsus erat, adiuuissent.

Aliter Cicero legit.

EC QVOD IN hac vrbe maius vnquam incendiū fuit, cui nō cos. subuenerit? at tu illo ipso tempore apud socrum tuam, cui domum meam exhauriendam patefeceras, sedebas.) Post profectionem ex vrbe Ciceronis, bona eius P. Clodius publicauit. postea direpta sunt omnia quæ aut in domo, aut in villis fuerunt, & ex eis ad Coss. collata cōplura. domus direpta primum, deinde inflammata, ac diruta est. Socrus Pisonis quæ fuerit, inuenire non potui, videlicet quòd authores rerum, non perinde in domibus ac familiis fœminarum, nisi illustrium, ac virorū nomina tradiderūt.

Bona Ciceronis publicata.

AT NE TVM quidem emersisti lutulente Cæsoni ē miserrimis naturæ sordibus, cū experrecta tandē virtus clarissimi viri celeriter, & verum amicum, & optime meritum ciuem, & suum pristinum morem requisiuit.) Profecto Cn. Pompeium significari intelligitis.

DE ME CVM OMNIS MAGISTRATVS promulgassent, præter vnum Prætorem, a quo nō fuit postulandum, fratrem inimici mei, præterque duos de lapide emptos. Trib. legem comitiis centuriatis tulit P. Lentulus Cos.) Fratrē inimici mei, P. Clodii Ap. Claudius, sicut iā sæpe significabitur fuit frater, Duos Tribunos, de quibus ipsis sæpe iā diximus, quos de lapide emptos ait, quia mercede id faciebāt, Sex. Statiliū Serranū, & Q. Nūeriū significat.

Empt⁹ de lapide.

APPELLATVS EST HIC VETERIS ILLIVS PROVINCIAE, SI DIIS PLACET, IMP. NE tū quidem Paule noster tabellas cum laurea Romam mittere audebas.) Confido vos intelligere L. Paulum hunc significari, qui fuit pater naturalis Africani posterioris, quiq; de Macedonia atque vltimū de rege eius triūphauit. Macedoniam autem Piso, in quem hæc oratio est, obtinuit: propter quod Paulum eum appellat, irridens eum quòd ibi non se prospere gessit.

Vulturius Cicero.

Paulus.

M. MARCELLVS QVI TER Cos. fuit sum-

ma virtute, pietate, gloria militari, periit in mari: qui tamen ob virtutem gloria & laude viuit.) Fortasse quæratis quem dicat Marcellũ. Fuit autem nepos M. Marcelli eius qui bello Punico secundo Syracusas vicit, & v Consulatus adeptus est. Hic autem Marcellus, de quo Cicero dicit, naufragio ad ipsam Africam periit, paulo ante cœptum bellum Punicũ tertium. Idem cum statuas sibi ac patri, itemque auo poneret, in monumentis aui sui ad honoris & virtutis decorem subscripsit, HI MARCELLI NOVIES COSS. auus quinquies, pater semel. Itaque neque mentitus est, & apud imperitiores patris sui splendorem auxit.

ME CONSEQVENTIBVS in ea ipsa domo qua tu me expuleras, quam expilaras, quam incenderas, Põtifices, COSS. Præt. collocarunt: mihique quod ante me nemini, pecunia publica ædificandam domum censuerunt.) Hæc Cicero oratorio more, non historico videtur posuisse: nam multis ætatibus ante Ciceronẽ nulli id contigisse verum est: nemini vero vnquam antea, videamus ne parũ caute dicamus. antiquis enim temporibus, pluribus idem contigit. Nam Valerio Maximo (vt Antias tradidit) inter alios honores, domus quoque publice ædificata est in Palatio: cuius exitus, quô magis insignis esset, in publicum versus declinaretur, hoc est extra priuatum aperiretur. Varronem autem tradere, M. Valerio, quia sæpius vicerat, ædes in Palatio tributas. L. Higinius dicit in libro priore de Viris claris, P. Valerio Valesii filio Publicolæ ædes publicas, vbi nũc ædes Victoriæ est, populum ex lege quam ipse tulerat, concessisse. Tradũt & Antiochi regis filio obsidi domũ publice ædificatã: inter quos Atticus in Annalibus: quæ postea dicitur Lucii poetæ fuisse. Varro quoq; in lib. III. de vita P.R. quo loco refert q̃ gratus fuerit erga benemeritos, dicit Murrheinæ quod in Sicilia cum equitatu suo transierat ad nos, ciuitatem Romæ datam, ædesque, & pecuniam ex AErario. Videamus tamen, num ideo Cicero dicat sibi, quod antea nulli, domum pecunia publica ex AErario ædificatam: quia illis aut locus publice datus sit, aut domus quæ non fuerat eorum, propter illos publico sumptu ædificata.

Dom' honoris causa publice ædificatæ.

Murrheina.

Ciceronis domus quæ fuerat ipsius, & diruta, atque incensa & consecrata, publico sumptu ædificata sit: quod nouum, & huic primo, aut adhuc etiam soli contigit.

O STVLTOS CAMILLOS, Curios, Fabricios, Calatinos, Scipiones, Marcellos, Maximos. O amentem Paulum, rusticum Marium, nullius cõsilii patrem horum amborum Consulum, qui triumpharunt.) Diximus hanc orationem esse dictam Cn. Põpeio Magno II, Marco Crasso II coss. Põpeii pater bello Italico de Picentibus: Marci Crassi pater Publius Crassus ante bellũ Italicũ de Hispanis triumphauit.

EADEM CVPIDITATE vir summo ingenio præditus Cotta, nullo certo hoste flagrauit, eorum neuter triumphauit, quòd alteri illum honore Collega, alteri mors

C.Cotta. ademit.) Credo vos quærere, & quis hic Cotta, & quis ille collega Crassi fuerit. Fuit autem C. COTTA orator ille cõpar P. Sulpitii, qui est in dialogis Ciceronis de Oratore scriptis, cum decretus illi esset triumphus, mortuus est ante diẽ triumphi, cum cicatrix vulneris eius, quod ante plures annos in prælio acceperat, rescissa esset. Repente autem

Scæuolæ & Crassi cõtẽtio. Crasso collega fuit Quintius Scæuola Pontifex, qui cum animaduerteret Crasso propter summam eius in Rep. potẽtiam ac dignitatem, Senatum in decernendo triumpho gratificari, non dubitauit R.P. magis quàm collegæ habere rationem: ac ne fieret S.C. intercessit. Sed idem prouinciã, cuius cupiditate plerique etiam boni viri delinquebant, deposuerat, ne sumptui esset * oratio.

IRRISA EST à te paulo ante M. Pisonis cupiditas triumphandi, à qua te longe dixisti abhorrere: qui etiam si minus magnum bellum gesserat, vt abs te dictũ est, tamen istum honorem contemnẽdum non putauit. Tu eruditior q̃ Piso?) Quis hic M. Piso fuerit, credo vos ignorare. Fuit

M.Piso. autem (vt puto iam nos dixisse) M. PISO eisdẽ temporibus, quibus Cicero, sed tanto ætate maior, vt adolescentulum Ciceronem pater ad eum deduceret, quod in eo etiam quædã vitæ similitudo, & multæ erant literæ. Orator quoque melior q̃ frequentior habitus est. biennio tamen serius q̃ Cice-

ro cos. fuit: triumphauit PROCOS. de Hispania, Q. Hortensio, Q. Metello Cretico coss. ante Ciceronis Cõsulatũ.

INSTANT post hominum memoriam apparatissimi, magnificentissimique ludi, quales non modo vnq̃ fuerunt, sed ne quomodo quidem fieri posthac possint, possum vllo pacto suspicari.) Cn. Pompeii Ludos significat, quibus Theatrum à se factum dedicauit: quibus ludis Elephantorũ pugnam primus omnium dedit in Circo. Ludi & Theatrum Pompeij.

EST QVIDEM GRAECVS, qui cum isto vixit, homo, vere vt dicam, sic enim cognoui, humanus, sed tamdiu, quamdiu cum aliis est, aut ipse secum.) PHILODEMVM significat, qui fuit Epicureus illa ætate nobilissimus, cuius & poemata sunt lasciua. Philodemus.

QVANQVAM quod ad me attinet, NVNQVAM ISTAM IMMINVAM CVRAM INFICIANDO TIBI.) Prope notius est, quã vt indicãdum sit, hunc versum esse L. Accii Poetæ, & dici a Thieste in Atreo.

QVOD POPVLARI illi sacerdoti sexcẽtos ad bestias socios stipendiariósque misisti.) Manifestum est P. Clodium significari.

ECQVID VIDES, ecquid sentis, lege Iudiciaria lata quos posthac sumus habituri?) Legem IVDICIARIAM ante aliquot annos, quibus temporibus accusatus est Verres à Cicerone, tulit Aurelius Cotta Prætor, qua cõmunicata sunt iudicia Senatui, & Equitibus Romanis, & Tribunis AErariis. Rursus deinde Pompeius in Consulatu secundo, quo hæc oratio dicta est, promulgauit, vt amplissimo ex censu, ex Centuriis aliter quàm antea lecti iudices, æque tamen ex illis tribus ordinibus, res iudicarent. Lex iudiciaria quæ & a quib⁹ lata.

L. OPIMIVS eiectus patria est, qui & post Præturam & COS. maximis periculis Rempub. liberarat, non in eo cui facta iniuria est, sed in eis qui fecerũt, sceleris & cõscientiæ pœna remansit.) Notum est OPIMIVM in Prætura Fregellas cepisse, quo pacto visus est cæteros quoq; nominis Latini socios male animatos repressisse, eundemq; in L.Opimi⁹

Consulatu & Fuluium Flaccum Consularē, & C. Gracchū Tribunitiū oppressisse:ob quam inuidiā postea iudicio circunuentus est, & in exilium actus.

Q. ASCONII PAED. IN M. TVLLII CICERONIS ORATIONEM PRO M. SCAVRO COMMENTATIO.

HANC QVOQVE ORAtionem eisdem coss. dixit, quibus pro Vatinio, L. Domitio AEnobarbo, & Appio Claudio Pulchro coss. Summus iudicii dies fuit, ad IIII Non. Septemb.

ARGVMENTVM.

Scaurus. Marcus enim Scaurus Marci Scauri filius, qui princeps Senatus fuit, vitricum habuit Syllam, quo victore & munifico in socios victoriæ, ita abstinens fuit, vt nihil neq; donari sibi voluerit, neque ab hasta emerit. AEdilitatem summa magnificentia gessit, adeo, vt in eius impēsas, opes suas absumpserit, magnūmque æs alienum contraxerit. Ex Prætura prouinciam Sardiniam obtinuit, in qua neque satis abstinenter se gessisse existimatus est, & valde arroganter: quod genus morum in eo paternum videbatur, cum cætera industria nequaquam esset par: orauerat tamen aliquando inter patronos causarum: sed postquam ex prouincia redierat, dixerat pro C. Catone, isque erat absolutus ad III Non. Quintil. Ipse cum ad Consulatus petitionem ad III Calend. Quintil. Romam redisset, queren-

Scauri ædilitas.

C. Cato.

tibus de eo Sardis, a Valerio Triario adolescente parato ad dicendum, & notæ industriæ, filio eius qui in Sardinia contra M. Lepidum arma tulerat, & post in Asia Pontóque Legatus L. Luculli fuerat, cum is bellum contra Mithridatem gereret, postulatus apud M.Catonē Prætorē repetūdarū, vt in actis scriptū, est Prid. Non. Quintil. post diē tertiū q̄ Cato erat absolutus. Subscripserūt Triario in M.Scaurum L. Marius L. F. & Q. Pacuuii fratres cognomine Claudii, qui inquisitionem in Sardiniam, itémque in Corsicam insulas dies tricenos acceperunt, neque profecti sunt ad inquirendum: cuius rei hanc causam reddebant, quòd interea comitia consularia futura erant. timere ergo se, ne Scaurus ea pecunia quam ab sociis abstulisset, emeret Cōsulatum, & sicut pater eius fecisset antequam de eo iudicari posset, Magistratum iniret: ac rursus ante alias prouincias spoliaret, quàm rationem prioris administrationis redderet. Scaurus summam fiduciam in paterni nominis dignitate, magnam in Cn. Pompeii Magni reponebat: habebat enim filium liberorum Cn. Pompeii fratrem: nam tertiam Sceuolæ filiam dimissam à Pompeio in matrimoniū duxerat. M. Catonē autem, qui id iudiciū (vt diximus) exercebat, metuebat admodum propter amicitiam, quæ erat illi cum Triario: nam Flaminia Triarii mater, & ipse Triarius sororem Catonis Seruiliam, quæ mater Marci Bruti fuit, familiariter diligebat. Ea porro apud Catonem maternā obtinebat authoritatem. Sed in eo iudicio neque Pōpeius propensum adiutorium præbuit. Videbatur enim apud animū eius non minus offensionis cōtraxisse, quod iudicium eius in Mutiam crimine impudicitiæ ab eo dimissam (cuius fecisse existimaretur, cū eam ipse probasset, quàm gratiæ acquisisse necessitudinis iure, quod ex eadem vterque liberos haberet. Neque Cato ab æquitate ea, quæ & vitam eius & Magistratum illum decebat, quoquam deflexit. Post diem autē quartū quàm postulatus erat Scaurus, Faustus Sylla tū quæstor, filius Syllæ Felicis, frater ex eadē matre Scauri, seruus

Triarius. M.Cato Prætor. Scauri accusatores Seruilia Faustus Sylla

cius vulneratus prosiluit ex lecticis,& questus est prope interemptum esse se à competitoribus Scauri, & ambulare cũ trecentis armatis, seque si necesse esset vim vi repulsurum. Defenderũt Scaurũ sex Patroni, cum ad id tẽpus raro quisquam pluribus quàm quatuor vteretur.ac post bella ciuilia, ante legem Iuliam ad duodenos patronos est peruentũ. Fuerunt autem hi sex, Publius Clodius Pulcher, Marcus Marcellus, Marcus Calidius, Marcus Cicero, Marcus Messala Niger, Q. Hortensius. Ipse quoque Scaurus dixit pro se, ac magnopere iudices mouit,& squalore & lachrymis & AEdilitatis effusa memoria, ac fauore populari, ac præcipue paternæ authoritatis recordatione.

Patronorũ numerus.

EXPOSITIONIS INITIVM.

CVM ENVMERARET iudicia, quæ pater Scauri expertus est,subit etiam populi iudiciũ, inquirente Cn. Domitio Trib. Pleb.) Cn. Domitius qui Cos. fuit cum Cassio, cum esset Tribunus plebis iratus Scauro,quòd eum in Augurum collegium non cooptauerat,diem ei dixit ad populum: & mulctam irrogauit, quòd eius opera sacra multa Po. Ro. diminuta esse diceret. Crimini dabat sacra publica Po. Ro. Deũm Penatium,quæ Lauinii fuerunt,opera eius minus rectè,casteque fieri. quo crimine absolutus est Scaurus quidem: sed ita, vt à tribus tribubus damnaretur, à XXXII absolueretur: & in eis pauca pũcta inter damnationem & absolutionem interessent. Ibidem reus est factus à Q. Seruilio Cepione lege Seruilia,cum iudicia penes Equestrem ordinẽ essent:& P. Rutilio damnato,nemo tam innocens videretur,vt non timeret illa. Q. Seruilius Cepio Scaurum ob Legationis Asiaticæ inuidiam,& aduersus leges pecuniarum captarum,reum fecit repetundarum, lege quam tulit C. Seruilius Glaucia. Scaurus tãta fuit continentia animi & magnitudine, vt Cepionem contrarium detulerit, & breuiore die inquisitionis accepta effece-

Scauri crimina.

Penatium sacra.

Puncta Iudicum.

Lex Seruilia.

rit, vt ille prior causam diceret. M. quoque Drusum TR. PL. cohortatus sit, vt iudicia commutaret. Ibidem ab eodē lege VARIA custos ille Reip. proditionis est in crimen vocatus. vexatus à Q. Vario TR. PL. est non multo ante Italico bello exorto, cum ob sociis negatam ciuitatem nobilitas in inuidia esset. Q. Varius. Trib Pleb. legē tulit, Vt quæretur de his quorum ope consilioue socii contra Populū Romanum arma sumpsissent. Tum Quintus Cepio vetus inimicus Marci Scauri, sperans se inuenisse quæstionem opprimendi eius, egit vt Quintus Varius TR. PL. belli concitati crimine adesse apud se Scaurum iuberet anno septuagesimo secundo. Ille per viatorem accersitus, cū iam ex morbo male solueretur, dissuadentibus amicis, ne se in illa valetudine & ætate inuidiæ populi obiiceret, innixus nobilissimis iuuenibus processit in forum. deinde accepto respondendi loco dixit, Quintus Varius Hispanus Marcum Scaurū Principem Senatus Socios in arma ait conuocasse. Marcus Scaurus Princeps Senatus negat: testis nemo est, vtri vos Quirites conuenit credere? Qua voce ita omnium cōmutauit animos, vt ab ipso etiam Tribuno dimitteretur.

Varia lex. Italicū bellum.

Val. Max. lib. iij. tit. vij.

Dicit iterum de patre M. Scauri. NON ENIM TANTVM ADMIRATVS SVM EGO ILLVM VIRVM SICVT OMNES, SED ETIAM PRAECIPVE DILEXI. PRIMVS ENIM ME FLAGRANTEM STVDIO LAVDIS in spē impulit posse virtute sine præsidio fortunæ, quo contendissem, laboreque & constātia peruenire.) Possit aliquis quærere, cur hoc dixerit Cicero, cum Scaurus Patritius fuerit, quæ generis claritas etiam inertes homines ad summos honores prouexit. Verum Marcus Scaurus ita fuit Patritius, vt tribus supra eum ætatibus iacuerit domus eius fortuna. nam neque Pater, neque Auus, neque etiā Proauus (vt puto) propter tenues opes, & nullam vitæ industriam, honores adepti sunt. Itaque Marco Scauro æque ac nouo homini laborandum fuit.

SI ME HERCVLE, IVDICES, PRO LVCIO TVBVLO DICEREM, QVEM VNVM EX OMNI MEMORIA SCELERATISSIMVM ET AVDACISSIMVM FVISSE ACCEPIMVS, TAMEN NON TIMEREM VENENVM HOSPITI, AVT CONVIVAE SI DICERETVR cœnâti ab illo datũ, cui neque hæres, neque iratus fuisset.) Lucius hic Tubulus Prætorius fuit ætate patrum Ciceronis. is propter multa flagitia cum de exilio accersitus esset, ne in carcere necaretur, venenum bibit.

L.Tubul'

AVDIMVS, HOC VERO MEMINIMVS AC PENE VIDIMVS. EIVSDEM STIRPIS ET NOMINIS, P. CRASSVM NE IN MANVS INCIDERET INIMICORVM SEIPSVM interemisse.) Hic Crassus fuit pater Crassi eius, qui æmulus potentiæ Cn. Pompeii fuit. Periit autem in dominatione L. Cinnæ, cum ille & alios principes optimatum, & collegam suum Cn. Octauium occidit.

P.Crassus

AC NEQVE ILLIVS CRASSI FACTVM SVPERIORIS, EISDEM HONORIBVS VSVS QVI FORTISSIMVS IN BELLIS FVISSET M. AQVILIVS POTVIT imitari.) Hæc Verba quibus Cicero nunc vtitur, AC NEQVE, eam videntur habere naturam, vt semel poni non soleant, quia est coniunctio disiunctiua, sed semper postulat, vt rursus inferatur neq;: vt cũ dicimus, neq; hoc neq; illud. Quo autẽ casu acciderit, qua ve ratione, vt hoc loco Cicero hoc verbo ita vsus sit, præsertim cum adiecerit illam appositionem, vt nomen intulerit postea alterum: neque perspicere potui, & attendendum esse valde puto. Moueor enim merita viri authoritate, neque ignoro aliquando hoc verbum neque vel semel poni, vt in eadem hac oratione ante ipse Cicero posuit, Sic inquam se Iud. res habet, neq; hoc a me nouum disputatur, sed quæsitum ab aliis est. Sed hoc

Ac neque.

loco sine præpositione vllius verbi videamus esse positum: & tamen posuit secundum aliquid inferri. nam cum dixerit, neque hoc à me nouum disputatur, infert, sed quæsitum ab aliis est.

QVID VERO ALTERVM CRASSVM TEMPORIBVS EISDEM, NVM AVT CLARISSIMI VIRI IVLII, AVT SVMMO INGENIO PRAEDITVS MARCVS ANTONIVS POTVIT IMITARI?) Hic alter Crassus est idem de quo supra diximus. Alterum autem eum appellat, quia ante mentionem fecit P. Crassi, qui fuit Pontifex Maximus, & bello Aristonici in Asia dedit operam vt occideretur. Iulios autem cum dicit, duos Cæsares fratres C. & L. significat, ex quibus L. & Cos. & Prætor fuit. C. AEdilitius quidem occisus est: sed tantum in ciuitate potuit, vt causa belli ciuilis contentio eius cum Sulpitio Tribuno fuerit. nam & sperabat, & id agebat Cæsar, vt omissa Prætura cos. fieret. Cui cum primis temporibus iure Sulpitius resisteret, postea nimia contentione ad ferrum & ad arma processit. Idem inter primos temporis sui oratores, & tragicus Poeta bonus admodum habitus est. huius sunt enim tragœdiæ, quæ inscribuntur Iulii. Hi autem Iulii & Antonius ab satellitibus Marii sunt occisi, cũ Crassus (vt supra diximus) eundem casum sua manu præuenisset.

C. & L. Iulij Cæsares.

NEQVE VERO HAEC IPSA QVOTIDIANA RES APPIVM CLAVDIVM ILLA HVMANITATE ET SAPIENTIA PRAEDITVM PER SE IPSA MOVISSET, NISI HVNC CLAVDII FRATRIS SVI COMPETITOREM FORE PVTASSET, QVI SIVE patricius siue Plebeius esset, nondũ enim certum constitutum erat, cum illo sibi contentionem fore putabat.) Fuerunt enim duæ familiæ Claudiæ: earum quæ Marcellorũ appellata est, Plebeia: & Pulchrorũ, quæ Pa

tritia. Sed hoc loco vrbanè Cicero lusit in Claudium, cum quo in gratiam non redierat. nam quia is P. Clodii erat frater, qui ex Patritia in Plebeiam familiam trāsierat, per summam infamiam se quoq; dubitare adhuc dixit.

Dixit dein de Scauro quē defendit. NAM CVM ex multis vnus ei restaret Dolobella paternus inimicus, qui cum Q. Cepione propinquo suo contra Scaurum patrē suū obsignauerat* stateras eas sibi inimicitias non susceptas, sed relatas, & cætera.) Ne forte erretis, & eundem hūc Cn. Dolobellam putetis esse, in quem C. Cæsaris orationes legitis: scire vos oportet duos eodem tempore fuisse, & prænomine, & nomine, & cognomine Dolobellas. Horū igitur alterum Dolobellam Cæsar accusauit nec damnauit, alterū M. Scaurus & accusauit & damnauit.

Cn. Dolobellæ duo.

Quo loco defendit, quod tam magnificam domū Scaurus habet. PRAESERTIM CVM propinquitas & celebritas loci suspitionē desidiæ tollat, aut cupiditatis.) Demonstrasse vobis memini me, hanc domum in ea parte Palatii esse, quæ cum ab sacra via descenderis, & per proximum vicū, qui est ab sinistra parte prodieris, posita est. Possidet eam nūc Lōgus Cecinna qui COS. fuit cum Claudio. In huius domus atrio fuerunt quatuor columnæ marmoreæ, insigni magnitudine, quæ nunc esse in regia Theatri Marcelli dicuntur. vsus erat iis AEdilis, vt ipse quoq; significat, in ornatu Theatri, quod ad tempus perquā ampla magnitudine magnum fecerat.

Scauri domus.

HAEC CVM TV effugere non potuisses, contendes tamen, & postulabis, vt M. AEmilius cum sua dignitate omni, cum patris memoria, cum aui gloria sordidissimæ, leuissimæ, vanissimæ genti, ac prope dicam, pellitis testibus condonetūr?) Auum nunc Scauri maternum significat L. Metellum Pontificem Maximum, quem postea quoque nominat. nam paternus auus, proauúsque Scauri humiles, atque obscuri fuerunt.

L. Metell⁹

VNDIQVE SVPPEDITAT MIHI, quod

pro Marco Scauro dicam,quocunque non modo mens,verumetiam oculi inciderint,curia illa de grauissimo principatu patris fortissimóq; testatur. L.ipse Metellus auus huius sanctissimos deos illo constituisse in templo videtur in vestro conspectu Iud.vt salutem à vobis nepotis sui deprecaretur. Castoris & Pollucis templum Metellus quē nominat, refecerat: laudauerunt Scaurum Consulares IX L.Piso, M. Vol. Q. Metellus Nepos, M. Perpenna, L. Philippus, M.Cicero, Q. Hortensius, P. Seruilius Isauricus PR. Cn. Pōpeius Magnus. Horum magna pars per tabellas laudauerunt, qui aberant, inter quos Pompeius quoque. nam quod erat Procos. extra vrbem morabatur. Vnus præterea adolescens laudauit, frater eius Faustus Cornelius Syllæ filius. is in laudationem multa humiliter, & cum lachrymis loquutus, non minus audientes permouit, quàm Scaurus ipse permouerat ad genua Iudicum, cum sententiæ ferrentur. Bifariam se diuiserunt, qui pro eo rogabant, ab vno latere SCAVRVS ipse, & M. Glabrio sororis filius, & Paulus, & P. Lentulus Lentuli Nigri flaminis filius, & L. AEmilius Buca filius, & C. Memius Fausta natus, supplicauerūt. Ex altera parte Sylla Faustus frater Scauri, & C. Aronius Limo, cui Fausta ante paucos menses nupserat, dimissa à Memio, & T. Peduceus, & C. Cato, & M. Olena Scortianus. Sententias tulerunt Senatores II, & XX, Equites III & XX, Tribuni AErarii XXV. ex quibus damnauerūt Senatores IIII, Equites II, Tribuni II. Cato præterea cum vellet de accusatoribus in consilium mittere, multique è populo manus in accusatores intenderent, cessit imperitæ multitudini, ac postero die in cōsilium de calumnia accusatorum misit. C. Triarius nullam grauem sententiam habuit, subscriptores eius M. & Q. Pacuuii fratres denas, & L. Marius tres graues habuerunt, Cato Prætor iudicium, quia æstate agebatur, sine tunica exercuit campestri sub toga cinctus. in forum quoq; sic descenderat, iusq; dicebat, idque reppererat ex vetere consuetudine: secundum quam, & Romuli ætatis statuæ in Capitolio, & in Rostris Camilli fuerunt togatæ sine tunicis.

Templum Castoris & Pollucis

M

Q. ASCONII PAEDIANI COMMENTATIO IN M. TVL. CICERONIS ORATIONEM PRO T. ANNIO MILONE.

HANC DIXIT CN. POMpeio III cos. ad VI Idus April. Quod iudicium cum ageretur, exercitum in foro, & omnibus in templis quæ circum forum sunt collocatum à Cn. Pompeio fuisse, non tantum ex hac oratione, & annalibus, sed etiam ex libro apparet, qui Ciceronis nomine inscribitur De optimo genere oratorum.

ARGVMENTVM.

Milonis & Clodij inimicitiæ.

Annius Milo, & P. Plautius Hipseus, & Q. Metellus Scipio Consulatum petierunt: non solum largitione palam profusa, sed etiam factionib. armatorum succincti. Miloni & Clodio summæ erant inimicitiæ, quòd & Milo Ciceronis erat amicissimus, in reducendóque eo enixe operã Reipublicæ dederat: & P. Clodius restituto Ciceroni erat infestissimus, ideoque summe studebat Hipseo & Scipioni contra Milonẽ. ac sæpe inter se Milo, & Clodius cũ suis factionibus Romæ depugnauerant. & erat vterq; audacia par, sed Milo pro melioribus partibus stabat. Præterea in eundẽ annum Consulatum Milo, Clodius Præturam petebat: quam debilem futuram cos. Milone intelligebat. Deinde cum diu tracta essent comitia Consularia, perficique ob eas ipsas perditas candidatorum contentiones non possent, & ob id mẽse Ianuario nullidum neque Consules, neq; Prætores essent: trahereturq; dies eodem, quo antea modo, dũ Milo q̃ primũ comitia cõfici vellet, cõficeretq; cũ bonorũ studiis, quòd obsistebat Clodio, tum etiam populo propter effusas largitiones, impensas quoque ludorum Scenicorum, ac gladiatorii muneris maximas, in quas tria patrimonia effudisse cũ Cicero significat: Cõpetitores eius trahere vellẽt, ideoq;

Pompeius gener Scipionis, & Lucius Numatius Trib. Pleb. referri ad Senatum de patriciis conuocandis, qui Interregé prodèrent, non essent passi, cum Interregem prodere moris esset ad III. Cal. Febr. (acta etenim magis sequẽda, & ipsam orationem, quæ actis congruit puto, quam Fenestellam, qui ad IIII Calend. Februar. tradit.) Milo Lanuuium, ex quo erat municipio, & ibi tum Dictator, profectus est ad Flaminem prodendum. Postera die occurrit ei, circa horam nonã Clodius, paulo vltra Bouillas, rediens ab Aricia, prope eum locum in quo Bonæ Deæ sacellum est. Erat autem allocutus Decuriones Aricinorum. Vehebatur Clodius equo, serui XXX fere expediti (vt illo tempore mos erat iter faciẽtibus) gladiis cincti, sequebantur: erant cum Clodio præterea tres comites eius, ex quibus Eques Ro. vnus C. Cassinius Schola: duo de plebe noui homines. Milo reda vehebatur cũ vxore Fausta filia L. Syllæ Dictatoris, & M. Fusio familiari suo. Sequebatur eos magnum seruorum agmen, inter quos gladiatores quoque erant: ex quibus duo noti, Eudamus & Birria: hi in vltimo agmine tardius euntes, cum seruis P. Clodii rixam commiserũt: ad quem tumultum cum respexisset Clodius minitabundus, humerum eius Birria romphea traiecit: inde cum orta esset pugna, plures Miloniani adcurrerunt. Clodius vulneratus in tabernam proximam Bouillano delatus est. Milo vt cognouit vulneratum Clodium, cũ sibi periculosius illud etiam viuo eo futurum intelligeret, occiso autem magnum solatium esset habiturus, etiã si subeunda esset pœna, exturbari tabernam iussit. Fuit antesignanus seruorum eius M. Saupheus atq; ita Clodius latens extractus est, multisque vulneribus confectus: cadauer eius in via relictum (quia serui Clodii aut occisi erant, aut grauiter saucii latebant). Sex. Tedius Senator, qui forte ex rure in vrbem reuertebatur, sustulit, & lectica sua Romam ferri iussit: ipse rursus eodem vnde iam venerat, recepit sese. Perlatum est corpus Clodii ante primam noctis horam, infimæque plebis, & seruorum maxima multitudo, magno luctu corpus in atrio domus positum circunstetit. Augebat autem facti inuidiam vxor Clodii FVLVIA, quæ cum

Interrẽgẽ prodere.

Sacellum Bonæ deæ

Clodij cædes.

Antesignanus.

Fuluia.

effusa lamentatione vulnera eius ostendebat. maior postera die luce prima, multitudo eiusdē generis confluxit, complu-

C. Vibienus in turba elisus.

resque noti homines elisi sunt, inter quos C. Vibienus Senator erat. Domum Clodii ante paucos menses emptam de M. Scauro in Palatio, eodem Munatius Plancus frater L. Plāci oratoris, & Q. Pompeius Rufus Syllæ Dictatoris ex filia nepos Trib. Pleb. accurrerunt, eisque obstantibus vulgus imperitum corpus nudum caldatum, sicut in lecto erat positum, vt vulnera videri possent, in forum detulit, & in Rostris posuit. Ibi pro concione Plancus, & Pompeius, qui competitoribus Milonis studebant, inuidiam Miloni fece-

Sex. Clodius Scriba.

Curia in funere P. Clodij incēsa.

Lepid' Interrex.

runt, populus duce Sex. Clodio Scriba corpus P. Clodii in Curiam intulit, cremauitque subselliis, & tribunalibus, & mensis, & codicibus librariorum: quo igne & ipsa quoq; Curia flagrauit: & item Portia Basilica, quæ erat ei iuncta, ambusta est. Domum quoq; M. Lepidi Interregis (is enim Magistratus Curulis erat creatus) & absentis Milonis ædem illa Clodiana multitudo oppugnauit. Deinde sagittis repulsa est. tū fasces ex lecto Libitinæ æratos attulit ad domū Scipionis, & Hipsei. Deinde ad hortos Cn. Pompeii clamitans eū modo Cos. modo Dictatorem. Incēdiū Curiæ maiorem aliquanto indignationem ciuitatis mouerat quàm interfectio Clodii. Itaque Milo quem opinio fuerat iuisse in voluntarium exilium, inuidia aduersariorum recreatus nocte ea redierat Romā qua incensa erat Curia: petebatque nihilo deterius Consulatum. aperte quoque tributim in singulos millia assium dederat cœnationē, & post aliquot dies dedit M. Celius Trib. Pleb. Accitus ipse etiam causam, etiam ad populum dicebat vterque Miloni à Clodio factas esse insidias. Fiebant interea alii ex aliis Interreges, quia comitia cōsularia propter eorum candidatorum tumultus, & easdē manus armatas haberi non poterant. itaque primo factū erat S.C. Vt Interrex, & Tr. Pl. & Cn. Pompeius, qui Procos. ad vrbem erat, viderent, ne quid detrimenti resp. caperet: delectus autem Pompeius tota Italia haberet. Qui cum summa celeritate præsidium comparasset, postulauerunt apud eum familiam Milonis, Faustæque vxoris eius exhibendam duo

adoleſcétuli,qui Appii Clodii ambo appellabãtur, qui erãt C. Clodii filii, qui frater fuerat Clodii,& ob id illi patrui ſui mortẽ velut authore fratre perſequebãtur. Eaſdem Fauſtæ, & Milonis familias poſtulauerunt duo Valerii Nepotes,& Leo.& L.Herennius Balbus P.Clodii quoque familiam & comitum eius poſtulauit. eodem tempore Cecilius familiam Hipſei,& Q.Pompeii poſtulauit. Affuerũt Miloni Q.Hortenſius M.Cicero,M.Marcellus, M. Callidius, M.Cato,Fauſtus Sylla. Verba pauca Q.Hortéſius dixit, Liberos eſſe eos, qui pro ſeruis poſtularentur.nam poſt recentem cædem manumiſerat eos Milo ſub hoc titulo,quod caput ſuum vlti eſſent. Hæc agebantur menſe intercalari poſt diem trigeſimum fere quàm erat Clodius occiſus. Q.Metellus Scipio in Senatu contra M.Cepionem cõqueſtus eſt hac de cæde P.Clodii. falſum eſſe dixit, quod Milo ſe ſic defenderet,& Clodium vicinos Decuriones alloquendi gratia ab iiſſe,profectum cum ſex ac x x ſeruis. Milonem ſubito poſt horam quartã Senatu dimiſſo, cũ ſeruis amplius c c c armatis,obuiam ei contendiſſe,& ſupra Bouillas inopinanté itinere aggreſſum: ibi P. Clodium tribus vulneribus acceptis Bouillas perlatum, tabernam in quam profugerat expugnatam à Milone,ſemianimem Clodium extractum,in via Appia occiſum eſſe, annulumque eius ei morienti extractum. Deinde Milonem cum ſciret in Albano paruulum filium Clodii veniſſe ad villam, & cum puer ante ſubtractus eſſet, ex ſeruo Halicore quæſtionem ita habuiſſe,vt eum articulatim conſecarent. villicum,& præterea duos ſeruos iugulaſſe: ex ſeruis Clodii,qui dominũ defenderint, vndecim eſſe interfectos. Miloni duos ſolos ſaucios factos eſſe, ob quæ Milonẽ poſtero die x i i ſeruos,qui maxime operã nauaſſent, manumiſiſſe, populoq; tributim ſingula millia æris ad defendendos de ſe rumores dediſſe. Milo miſiſſe ad Cn. Pompeium dicebatur,quod Hipſeo ſumme ſtudebat, quod fuerat eius Quæſtor, deſiſtere ſe petitione Conſulatus, ſi ita ei videretur. Pompeium reſpondiſſe, Nemini ſe neque petendi,neq; deſiſtédi authorẽ eſſe,neq; P.R. poteſtatem, aut cõſiliũ,aut ſententiã interpellaturũ. Deinde C.Luciliũ, qui pro-

Poſtulaue runt fami liam Milo nis.

Aduocati Milonis.

pter M. Ciceronis familiaritatem amicus erat Miloni, egisse quoque dicebatur, ne se de hac re consulendo inuidia oneraret. Inter hæc cum crebresceret rumor Cn. Pompeium creari Dictatoré, neq; oportune aliter mala ciuitatis sedari posse, visum est optimatibus tutius esse, eum Consulem sine collega creari. Et cum tractata ea res esset in Senatu, facto in M. Bibuli sententiam S.C. Pompeius ab Interrege Seruio Sulpitio V Cal. Mart. mense Intercalario COS. creatus est, statimque Consulatum iniit. Deinde post diem tertiam de legibus nouis ferendis retulit: duas ex S.C. promulgauit: Alteram, de vi, qua nominatim cædé in Appia via factam, & incédium Curiæ, & domum M. Lepidi Interregis oppugnatam comprehédit: Alterã, de ambitu, quã pœnã grauiorem, & formam iudiciorum breuiorem. Vtraque enim lex prius testes dare, deinde vno die, atque eodé, & ab accusatore, & ab reo perorari iubebat: ita vt duæ horæ accusatori, tres reo daréntur. His Legibus obsistere M. Celius Trib. Pleb. studiosissimus Milonis conatus est, quod & priuilegiũ diceret in Milonem ferri, & iudicia præcipitari. & cum pertinacius legem Celius vituperaret, eo processit iræ Pompeius, vt diceret, si coactus esset armis se R.P. defensurum. Timebat autem Pópeius Milonem, seu timere se simulabat: plerunque enim non domi suæ, sed in hortis manebat: idque ipsum in superioribus, circa quos etiam manus militum excubabat. Senatũ * quoque semel repetundus erat Pompeius, quod diceret timere se aduétum Milonis. Dein proximo Senatu P. Cornificius ferrum Milonem intra tunicam habere ad femur alligatum dixerat. Postulauerat, vt femur videret, & ille sine mora tunicam leuarat. Tum M. Cicero exclamauerat omnia illi similia crimina esse, quæ in Milonem dicerentur. Alia die Numatius Plancus Tribunus Plebis produxerat in contionem M. Aemilium Philemonem notũ hominé, libertum M. Lepidi qui se dicebat, pariterq; secũ quatuor liberos homines iter facientes insuper venisse, cum Clodius occideretur. & ob id cum proclamassent, abreptos & perductos per duos menses in villam Milonis, & præclusos fuisse. eaque res, seu vera, seu falsa, magnam inuidiam Mi

Pompeianæ leges.

Numati* Plancus.

loni contraxerat. Idemque Numatius,& Pompeius Trib. Pleb. in Rostra produxerant Triumuirũ Capitalem,cúmq; interrogauerant,an Cascam Milonis seruum cædes facientem deprehendisset,ille dormientem in taberna pro fugitiuo deprehensum,& ad se perductum esse responderat.denũciauerant tantũ Triũuiro,ne seruum remitteret.Sed postera die Celius Trib.Pleb. & Manilius Camanus collega eius ereptum è domo Triumuiri seruũ Miloni reddiderũt.Hæc, etsi nullã de his criminibus mẽtionem fecit Cicero, tamẽ quia ita compereram,putaui exponẽda.Inter primos & Q. Pompeius,& C.Sallustius,& T.Numatius Plancus Trib. Pl.inimicissimas cõtiones de Milone habebãt: inuidiam etiam de Cicerone, quód Milonem tanto studio defenderet:atque maxima pars multitudinis Populi infensa, non solum Miloni, sed etiam Ciceroni propter inuisum patrocinium. Postea Pompeius, & Sallustius in suspitione fuerunt, in gratiam rediisse cum Milone, ac Cicerone. Plancus autem infestissime perstitit, atque in Ciceronem quoque multitudinem instigauit. Pompeio autem suspectum faciebat Milonem * ad perniciem eius comparauit eum vociferatus. Pompeiusque ob ea sæpius querebatur fieri sibi quoque insidias, & ideo palam ac maiore manu se armabat. Dicturum quoque diem Ciceroni Plancus ostendebat. Postea autem Q. Pompeius idem meditatus erat. Tanta tamen constantia, ac fides fuit Ciceronis, vt non populi à se alienatione, non Cn. Pompeii suspitionibus, non periculo futuro, ei si dies ad populum diceretur, non armis, quæ palam in Milonem sumpta erant, deterreri potuerit à defensione eius: cũm posset omne periculum suum, & offensionem inimicæ multitudinis declinare, redimere etiam Cn. Pompeii animum si paulum ex studio defensionis remisisset. Ciceronis fides. Perlata deinde lege Pompeii, in qua id quoque scriptũ erat, Vt Quæsitor suffragio populi ex iis qui Consules fuerant crearetur, statim comitia habuit, creatúsque erat Cn. Domitius AEnobarbus Quæsitor. Domitius AEnobarbus. Aliorum quoque iudicum qui de ea re iudicarent, Pompeius tales proposuit, vt nun-

quam neque clariores viros,neque sanctiores propositos es se constaret. Post quod statim noua lege Milo postulatus à duobus Appiis Clodiis adolescentibus iisdem, à quibus antea familia eius fuerat postulata. Itaque de ambitu ab iisdē Appiis, & prӕterea C.Ceteio, & L.Cornificio, de Sodalitiis, & à P.Fuluio Nerato. Postulatus autē erat, & de sodalitiis, & de ambitu. Ea spe primum iudicium de vi futurum appa rebat, quod eum damnatum iri confidebant, nec postea responsurum. Diuiuatio de ambitu accusatorū facta est, Quӕsitore A.Torquato. atque ambo Quӕsitores, Torquatus, & Domitius pridie Non. April. reum adesse iusserunt. quo die Milo ad Domitii tribunal venit, ad Torquati amicos misit. ibi postulāte pro eo Marco Marcello obtinuit, ne prius causam de ambitu diceret, quàm de vi iudicium esset perfectū. Apud Domitium autem Quӕsitorē maior Appius postulauit à Milone seruos exhiberi numero IIII & L. & cum ille negaret eos, qui nominabantur, in sua potestate esse, Domitius ex sententia Iudicum pronunciauit, Vt ex seruorū eorū numero accusator quot vellet ederet. Citati deinde testes secundum legem, quӕ (vt supra diximus) iubebat, vt priusquā causa ageretur, testes per triduum audirentur, dicta eorū iudices confirmarent, quarta die adesse omnes in diem posterum iuberentur, ac coram accusatore, ac reo PILAE in quibus nomina Iudicum inscripta essent ӕquarētur. Dein rursus postera die sortitio Iudicū fieret vnius & LXXX, qui numerus cum sorte cōtigisset, ipsi protinus sessum irent. tum ad dicendum accusator duas horas, reus tres haberet, reúsq; eodem die illo iudicaretur. Prius autem quam sententiӕ ferrētur, quinos ex singulis ordinibus accusator, totidem reus reiiceret, ita vt numerus iudicum relinqueretur, qui sententias ferrent, quinquagesimus & vnus. Primo die datus erat in Milonem testis Cassinius Schola, qui se cum P. Clodio fuisse, cum is occisus esset, dixit: atrocitatémque rei factӕ, quammaxime potuit auxit. quem cum interrogare M. Marcellus cœpisset, tanto tumultu Clodianӕ multitudinis circunstantis exterritus est, vt vim vltimam timens, in tribunal à Domitio reciperetur. Quam ob causam M.Marcellus

Pilӕ.

& ipse Milo à Domitio præsidium implorauerunt. Sedebat eo tempore Cn. Pompeius ad AErarium, perturbatúsque erat eodem illo clamore: itaque Domitio promisit se postero die cum præsidio descensurum, idque fecit. Quare territi Clodiani, silẽtio verba testiũ per biduũ audiri passi sunt. Interrogauerũt eos M. Cicero, M. Marcellus & Milo ipse. Multi ex iis q̃ Bouillis habitabãt, testimoniũ dixerũt de iis quæ ibi facta erant, Cauponem occisum, tabernam expugnatam, corpus Clodii in publicum extractum esse. Virgines quoq; aliæ dixerunt, mulierem ignotam venisse ad se, quæ Milonis mandato votum solueret, quod Clodius occisus esset. Vltimæ testimonium dixerunt, Sempronia Tuditani filia socrus P. Clodii, & vxor Fuluia, & fletu suo magnopere eos qui adstabant commouerunt. Dimisso circa horam decimã iudicio, T. Numatius pro concione populũ adhortatus est, vt postero die frequens adesset, & elabi Milonem non pateretur, iudiciũmque, & dolorem suum ostenderet. Euntibus ad tabellam ferendam postero die Iudicib. qui fuit ad III Id. April. clausæ fuerunt tota vrbe tabernæ, præsidia in foro, & circa omnes fori aditus Pompeius disposuit: ipse pro AErario, vt pridie consedit, septus delecta manu militum. Sortitio deinde iudicum à primo die facta est: post tantum silentium toto foro fuit, quãtum esse in aliquo foro posset. tum intra horam secundã accusatores cœperunt dicere, Appius maior, & M. Antonius, & P. Valerius Nepos. vsi sunt ex lege horis duabus. Respondit his vnus M. Cicero. & cũ quibusdam placuisset ita defendi crimen, interfici Clodium pro R. P. fuisse, quam formam M. Brutus secutus est in ea oratione, quam pro Milone composuit & edidit, quãuis nõ egisset: Ciceroni id non placuit, quòd quis bono publico damnari, idem etiam occidi indemnatus posset. Itaque cũ insidias Milonem Clodio fecisse posuissent accusatores, quia falsum id erat, nam forte illa rixa cõmissa fuerat, Cicero apprehendit, & contrà Clodium Miloni fecisse insidias disputauit. eóque tota oratio eius spectauit: sed ita constitit (vt diximus) neutrius consilio pugnatum esse eo die, verũ eos forte occurrisse, & ex ea rixa seruorum ad eam cædem peruen-

tum. Notum tantum erat, vtrũque mortem alteri sæpe minatum esse: & sicut suspectum Milonem maior quàm Clodii familia faciebat: ita expeditior, & paratior ad pugnam Clodianorum, quam Milonis fuerat. Cicero cum inciperet dicere exceptus est acclamatione Clodianorum, qui se conti-

Ciceronis oratio pro Milone prima.

nere ne metu quidem circunstantium militum potuerunt. Itaque non ea qua solitus erat constantia dixit. Manet autẽ illa quoque excepta eius oratio. Scripsit vero hanc quam legimus ita perfecte, vt iure prima haberi possit.

EXPOSITIONIS INITIVM.

VNVM GENVS est aduersum, infestumq; nobis &c.) Ita vt in expositione diximus, Numatius Plãcus pridie pro cõtione populũ adhortatus erat, ne pateretur elabi Milonem.

DECLARANT huius ambusti Tr. pl. illæ intermortuæ conciones, quibus cotidie meam potentiam inuidiose criminabatur.) T. Numatius Plancus, & Q. Põpeius Rufus Tr. Pl. de quibus in argumento huius orationis diximus, cum contra Milonem Scipioni & Hipseo studerẽt, contionati sunt eo ipso tẽpore, plebemq; in Milonem accẽderunt, quòd propter Clodii corpus Curia incensa esset: nec prius destiterunt, quàm flamma eius incendii fugati sunt ẽ cõtione. erant enim tunc Rostra non eo loco quo nũc sunt,

Rostrorũ locus.

sed ad Comitium prope iuncta curiæ. ob hoc T. Numatiũ Ambustum Tr. appellat. fuit autem paratus ad dicendum.

CVR IGITVR incendium Curiæ, oppugnationem ædium M. Lepidi, cædem hanc ipsam contra R. P. Senatus factam esse decreuit?) Post biduum mediũ, quàm Clodius occisus erat, Interrex primus proditus est M. AE-

Interrex AEmilius Lepidus.

milius Lepidus. non fuit autẽ moris, ab eo, qui primus Interrex proditus erat, Comitia haberi: sed Scipiõis, & Hipsei factiones, quia recens inuidia Milonis erat cum contra ius postularent, vt Interrex ad comitia Consulum creãdorum descenderet, idque ipse non faceret, domum eius per omnes Interregni dies (fuerant autem ex more quinq;) obsederunt. deinde omni vi ianua expugnata, & imagines maiorum deiecerunt, & lectulum aduersum vxoris eius Cor-

neliæ, cuius castitas pro exemplo habita est, fregerunt. vterque telas, quæ ex vetere more in atrio texebantur, diruerũt. Postque superuenit Milonis manus, & ipsa postulans comitia: cuius aduentus fuit saluti Lepido. in se enim ipsæ cõuersæ sunt factiones inimicæ, atque ita oppugnatio domus Interregis omissa est.

QVOD SI PER furiosum illum TR. PL. Senatui, quod sentiebat perficere licuisset, nouam quæstionem nunc nullam haberemus. decernebat enim, vt veteribus legibus, tantummodo extra ordinem quæreretur. Diuisa sententia est postulante nescio quo, (nihil enim necesse est omniũ flagitia proferre) Sic reliqua authoritas Senatus empta intercessione sublata est.) Quid sit DIVIDERE SENTENTIAM, vt enarrãdũ sit vestra ætas filii facit. Cũ aliquis in dicẽda sentẽtia duas pluresue cõplectitur, & si nõ omnes eæ probãtur, postulat vt diuidãtur, id est de rebus singulis referatur. Forsitã nũc hoc quoq; velitis scire, qs fuerit qui hoc postulauerit, *quod nõ ferat adiutor nõ eme. qui hoc postulat oratione lõga vtẽdũ, ac ne cõsulẽdũ quidẽ vtiq; est: multi enim sedẽtes hoc vnũ verbũ pronũciãt. deniq; quod cũ auditũ est liberũ ei, qui facit orationẽ diuidere: sed ego, vt curiosius ætati vestræ satisfaciã, acta etiã totius illius temporis prosecutus sum, in qbus cognoui Pridie Cal. Mar. sic esse factã P. Clodii cædẽ, & incẽdiũ curiæ, & oppugnationẽ ædiũ M. Lepidi cõtra Rep. factã, vltra relatũ in actis illo die, nihil postero die, id est Cal. Mar. Numatiũ i cõtione exposuisse populo, quæ pridie acta erãt in Senatu, in qua contione hæc dixit ad verbũ, quæ Q. Hortẽsius dixisset, vt extra ordinẽ quæreretur, vt apud Quæstorẽ æstimare futurum, vt cũ pusillũ dedisset dulcedinis, largiter acerbitatis deuoraret. Aduersus hoĩem ingeniosum nõ ingenio vsi sumus. Inuenimus Fusiũ, q diceret diuideret reliquæ partis sentẽtiã, ego & Sallustius intercessimus. Hæc cõtio, vt puto explicat, & quid Senatus decernere voluerit, & quis diuisionẽ postulauerit, & quis intercesserit, & cur illud, vos meminisse non dubito, per Q. Fusium illo quoq; tempore quo de incestu P. Clodii actum est, factum ne à Senatu asperius decerneretur.

Diuidere sententiã.

Cædes Clodij quando.

DEDERAS ENIM quàm contemneres populares insanias iam ab adolescentia documēta maxima.) Cōstantiam Cn. Domitii quam in Prætura præstitit significat: nam eo tempore cum Cn. Manlius Trib. Pleb. subnixus libertinorum, & seruorum manu perditissimam legem ferret, vt Libertinis in omnibus tribubus suffragium esset, idque per tumultum ageret, & cliuum Capitolinum obsideret, discusserat, perruperatq; cœtum Domitius, ita vt multi Mālianorum interficerentur. quo facto, & plebem infimā offenderat, & Senatus magnam gratiam inierat.

Lex Manliana de suffrag.

ITAQVE ILLVD Cassianum iudicium in his personis valeat.) L. CASSIVS fuit, sicut iam sæpe diximus, summæ vir seueritatis. quoties Quæsitor iudicii alicuius esset, in quo quæreretur de homine occiso, suadebat, atque etiam præibat iudicibus, hoc quod Cicero nūc admonet, vt quæreretur CVI BONO fuisset perire eū, de cuius morte quæritur. Ob quā seueritatem quo tēpore Sex. Peduceus Trib. Pleb. criminatus est L. Metellum Pōtif. Max. totumq; collegium Pontificum male iudicasse de incestu virginū Vestalium, quòd vnam modo AEmiliā damnauerat, absoluerat autem duas Martiam & Liciniam: populus hunc Cassium creauit, qui de eisdem virginibus quæreret: isque & vtrasque eas, & præterea complures alias nimia etiam (vt existimatio est) asperitate vsus damnauit.

Cassius Quæsitor

ET ASPEXIT ME illis quidē oculis, quibus tūc solebat, cū oīb. oīa minabatur. mouet me qppe lumē Curiæ.) Hic est Sex. Clodius, quem in argumēto huius orationis diximus corpus Clodii i Curiam attulisse, & ibi cremasse, eoque incenso Curiam conflagrasse: ideo lumen Curiæ dicit.

QVANDO ILLIVS postea sica illa, quā a Catilina acceperat, cōquieuit. Hæc intētata nobis est, huic ego obiici vos pro me passus nō sum, hæc insidiata Pōpeio est.) Manifestum est pertinere ad id tempus, quo post rogationem Clodii in eum promulgatam vrbe cessit. Quare dicat insidiata Pōpeio est, fortassis quæratis. Pisone & Gabinio Coss. pulso Cicerone in exilium cum III Id. Sextiles Pompeius in Senatum venit, dicitur seruo P. Clodii sica excidisse, eaq;

ad Gabinium Consulem delata. Dictum est, seruo imperatũ à Publio Clodio, vt Pompeius occideretur. Pōpeius statim domum rediit. ex eodē tēpore obsessus est etiā à liberto Clodii Damione, vt ex actis eius cognoui: in quibus XV Cal. Septēb. L. Nouius Trib. Pleb. collega Clodii, cum Damio aduersum Flauium PR. appellaret Tribunos, & Tribuni de appellatione cognoscerent, ita sententiam dixit, Et hoc apparitore P. Clodii vulneratus sum, & hominibus armatis, præsidiis dispositis à Repub. remotus sum. Cn. Pōpeius obsessus est. cum appeller non vtar eius exemplo, quem vitupero, & iudicium tollam, & reliqua de intercessione.

HAEC VIAM Appiam monumētum nominis sui nece Papyrii cruentauit.) Pompeius post triumphum Mithridaticum Tigranis filiũ in catenis deposuerat apud Flauium Senatorem: qui postea cum esset Prætor, eodem anno quo Trib. Pleb. Clodius, petit ab eo Clodius super cœnam, vt Tigranem adduci iuberet, vt eum videret. adductum collocauit in conuiuium, dein Flauio non reddit. Tigranē dimisit, & habuit extra catenas, nec repetēti Pompeio reddidit. postea in nauem deposuit, & cum profugeret ille, tempestate delatus est, * tātũ ille, vt deduceretur ad se Clodius Sex. Clodium (de quo supra diximus) qui eum reduceret. Flauius quoque re cognita ad diripiēdum Tigranem profectus est. ad quartum lapidem ab vrbe pugna facta est, in qua multi ex vtraque parte ceciderunt, plures tamē ex Flauianis, inter quos & M. Papyrius Eques Rom. publicanus, familiaris Pompeio. Flauius sine comite Romam vix perfugit. *Tigranis filius.* *M. Papyrius.*

HAEC EADEM LONGO interuallo cõuersa rursus est ĩ me. nuper quidē (vt scitis) me ad Regiā pene cōfecit.) Quo die periculum hoc adierit, vt Clodius eum ad Regiam pene confecerit, nusquam pene inueni: nō tamen adducor vt putem Ciceronem mentitum, præsertim cum adiiciat, vt scitis: sed videtur mihi loqui de eo die quo Coss. Domitio, & Messala, qui præcesserāt eum annum cum hæc oratio dicta est, inter candidatorum Hipsei, & Milonis manus in via Sacra pugnatum est: multique ex Milonianis ex improuiso ceciderũt. de cuius cæde, & periculo suo, vt putē

loqui eū, facit & locus pugnæ: nam in Sacra via traditur cō-
Sacra via missa, in qua est Regia: & quód ad id timuerunt cum can-
Regia via didatis suffragatores, Milonis Cicero, Hipsei Clodius.

POTVIT NE L. Cecilii iustissimi fortissimique PR. oppugnata domo.) L. Cecilius Rufus de quo dicitur, PR. fuit Lentulo Spinthere, Q. Metello Nepote Coss. quo an-
Apollinares ludi no Cicero restitutus est. Is cū faceret Ludos Apollinares ita infima coacta multitudo annonæ caritate tumultuata est, vt omnes qui in Theatro spectādi causa cōsederāt, pellerētur. De oppugnata domo nusquā adhuc legi. Pōpeius tamē, cū defenderet Milonē apud populum, de vi accusante Clodio obstitit. & legimus apud Tyronem libertum Ciceronis, in lib. IIII de vita eius oppressum á Clodio L. Ceciliū Prætorē.

AT QVO DIE? quo (vt ante dixi) fuit insanissima contio ab ipsius mercenario TR. Pleb. concitata.) Hoc significat eo die quo Clodius occisus est, concionatū esse mercenarium eius TR. PL. Sunt autem concionati eo die, vt ex actis apparet, C. Sallustius & Q. Pōpeius, vtrique & inimici Milonis, & satis inquieti. Sed videtur mihi. Q. Pompeiū significare. nam eius seditiosior fuit contio.

DIXIT C. Cassinius Interamnis familiarissimus & idem comes Clodii, P. Clodiū illo die Albæ māsurū.) Fuit hic Cassinius apud quem Clodius mansisse Interānæ videri volebat, qua nocte deprehensus est in Cæsaris domo, cum ibi in operto virgines pro P. R. sacra facerent.

SCITIS IVD. fuisse, qui in hac rogatione suadēda dicerēt, Milonis manu cædem esse factam, cōsilio vero maioris alicuius. Me videlicet latronem & sicarium abiecti homines, & perditi describebant.) Q. Pōpeius Rufus, & C. Sallustius Trib. fuerunt, quos significat. hi enim primi de ea lege ferenda populum hortati sunt, & dixerunt manu Milonis occisum esse Clodium.

ATQVI VT ILLI NOCTVRNVS ADVENTVS VITANDVS FVIT, SIC MILONI CVM INSIDIATOR ESSET, SI ILLŪ ad vrbem noctu accessurum sciebat, subsistendum. &c.)
Basilij monumētum Via Appia est prope vrbem monumētum Basilii, qui locus

latrociniis fuit perquam infestus, id quod ex aliis quoque multis intelligi potest.

COMITES Græculi quocunque ibat, etiam cum in castra Etrusca properabat.) Sæpe obiecit Clodio Cicero socium eum coniurationis Catilinæ fuisse: quam rem nunc quoque reticens ostēdit. fuerat enim opinio, vt Catilina ex vrbe profugerat in castra Manlii Centurionis, qui tum in Etruria ad Fesulas exercitū ei comparabat: Clodium subsequi eū voluisse, & cœpisse: tum dein mutato consilio in vrbem redisse.

NON TAM hoc quotidianum crimen timemus, sed tuas Cn. Pompei (te enim appello, & ea voce, vt me exaudire possis) tuas inquam suspitiones perhorrescimus.) Diximus in argumento orationis huius Cn. Pompeiū simulasse timere, seu plane timuisse Milonē, & ideo ne domi quidem suæ, sed in hortis superioribus ante iudicium māsisse, ita vt villā quoq; præsidio militū circūdaret. Q. Pompeius fuit Tr. Pl. qui fuerat familiariss. omnium P. Clodio, & sectā suā sequi se palā profitebatur. Dixerat in contione pòst paucis diebus quàm Clodius erat occisus, Milo dedit quē in Curia cremaretis, dabo quem in Capitolio sepeliatis. In eadem contione idē dixerat, habuit enim eā ad VIII Cal. Feb. cum Milo pridie, id est VII Cal. Febr. venire ad Pompeium in hortis eius voluisset, Pōpeiū ei per hominē propinquū misisse nūciū, ne ad se veniret. Prius etiā q̄ Pōpeius ter COS. crearetur, tres Tribuni Q. Pōpeius Rufus, C. Sallustius Crispus, L. Numatius Plancus, cum quotidianis cōtionibus suis magnam inuidiā Miloni propter Clodiū excitarent, produxerant ad populum Cn. Pompeium, & ab eo quæsierant, num ad eum delatum esset illud quoq; indiciū, suæ vitæ insidiati Milonem. Responderat Pompeius, Licinium quendam de plebe sacrificorum, qui solitus esset familias purgare, ad se detulisse seruos quosdā Milonis, itémque liberos cōparatos esse ad cædē suam, nomina quoq; seruorū edidisse, ad Milonē misisse, vt eos in potestate sua haberet: a Milone responsum esse, ex his seruis quos nominasset, partim neminem se vnquā habuisse, partim manumisisse. dein

Pōpeius timuit Milonem.

cum Licinium apud se haberet, Lucium quendam de plebe ad corrumpendum indicē venisse, qua re cognita in vincula eum publica esse coniectum. decreuit enim Senatus, vt cum Interrege, & Trib. Pl. Pompeius daret operā, ne quid Respub. detrimenti caperet. Ob has suspitiones Pompeius in superioribus hortis se continuerat. deinde ex Sen. Cons. delectu per Italiam habito cum redisset, venientē ad se Milonem vnum omnium non admiserat. Item cum Senatus in porticu Pompeii haberetur, vt Pompeius posset interesse, vnum tātū excuti priusquam in Senatu intraret, iusserāt. Hæ sunt suspitiones quas dicit se Cicero pertimescere.

QVID enim minus illo dignū, q̄ cogere vt vos eum condemnetis, in quem animaduertere ipse & more maiorū & suo iure posset, & præsidio esse &c.) Idē Titus Numa tius Plācus (vt sæpe diximus) post audita & obsignata testiū verba, dimissósque interim iudices, vocata contione cohortatus erat populum, vt clausis tabernis postero die ad iudicium adesset, nec pateretur elabi Milonem.

INCIDEBANTVR iam domi nouæ leges, quæ nos iam seruis nostris addicerēt.) Significasse iā puto nos, fuisse inter leges P. Clodii quas ferre proposuerat, eam quoque qua Libertini, qui non plus quàm in tribus suffragium ferebant, possent in Rusticis quoque tribubus, quæ proprie ingenuorum sunt, ferre.

SENATVS, credo, Prætorē cū circūscripsisse, ne cū solebat id facere in priuato, eodem hoc aliquid profecerat.) Significat id tempus quo P. Clodius adhuc Quæstor designatus esset, ac cum intrasset eò vbi sacrificium pro P. R. fiebat, quod factum notatum erat S. C. decretúmque ex ordine iudicium fieret.

PLEBEM ET infimam multitudinem, quæ P. Clodio duce fortunis vestris imminebat, eā quo tutior esset vestra vita &c.) Puto iam supra esse dictum, Milonem ex familia fuisse Papia, deinde adoptatū fuisse ab C. Annio auo suo materno: tertium patrimonium videtur significare matris. aliud enim quod fuerit non inuenio. Peracta vtrinq; causa singuli quinos accusator & reus senatores, totidem

Milonis familia Papia.

Equites Tribunos AErarios reiecerunt : ita vt vnus & quinquaginta sententias tulerint. Senatores condemnauerunt XII, absoluerunt VI. Equites condemnauerunt XIII, absoluerunt IIII. Tribuni AErarii condemnauerunt XIII, absoluerunt III. Videbantur non ignoraße iudices inscio Milone initio vulneratum eße Clodium, sed compererāt postq̄ vulneratus eßet, iußu Milonis occisum. Fuerunt qui crederent M. Catonis sententia eum eße absolutum. nam & bene cum R. P. actum eße morte P. Clodii non dißimulauerat, & studebat in petitione Cōsulatus Miloni, & reo adfuerat, nominauerat quoque eum Cicero præsentem, & testatus erat audiße eum à M. Fauonio ante diē tertium quàm cædes facta erat, Clodium dixiße, periturum eße eo triduo Milonem. sed Milonis quoque notam audaciā vindicare R. P. vtile visum est. Vnde sciri ne vnq̄ potuit vtram sententiā tulißet. Damnatū autē opera maxima Appii Claudii pronunciatum est. Milo postero die factus reus ambitus apud Manlium Torquatū absens damnatus est. Illa quoq; lege accusator fuit eius Appius Claudius, & cum ei præmiū lege daretur, negauit. reo ita subscripserūt, & ambitus iudicia P. Valerius Leo, & Cn. Domitius, C. F. Post paucos dies quoq; Milo apud Fauoniū Quæstorē de Sodalitiis damnatus est, accusante P. Clodio Nerato reo, cui lege præmium datū est. Deinde apud L. Fabium Quæstorē iterum absens damnatus est de vi. Accusauit L. Cornificius, & Q. Patulcius. Milo in exiliū Maßiliā intra paucißimos dies profectus est. Bona eius propter alieni æris magnitudinem semuncia vænierunt. Post Milonē eadē lege Pompeii, a primis est accusatus M. Saupheus M. F. qui dux fuerat in expugnanda taberna Bouillis, & Clodio occidendo. Accusauerunt eū L. Caßius, L. Fulcinius C. F. C. Valerius: defenderūt M. Cicero, M. Cecilius, obtinueruntq; vt vna sententia absolueretur. condemnauerunt Senatores X, absoluerūt VIII: condemnauerunt Equites Romani IX, absoluerūt VIII: sed ex Tribunis AErariis decem absoluerunt, VI condemnauerūt. Manifestumq; odiū Clodii saluti Saupheo fuit, cum eius vel peior causa quàm Milonis fuißet, quòd aperte dux

Milo quibus criminibus damnatus.

Milo exul Maßiliæ.

M. Saupheus.

fuerat expugnandæ tabernæ repertus. Deinde post paucos dies apud Considium Quæstorem è lege Plautia de vi, subscriptione ea quòd loca occupasset, & cum telo fuisset. nã * operarum Milonis accusauerunt C. Fidius, Cn. Apponius Cn. F. M. Seius. sex defenderunt, M. Cicero, M. Terentius Varro Gibba. absolutus est sententiis plenius quàm prius. graues habuit XIX, absolutorias II & XXX. sed ecõtrario hoc à priore iudicio accidit. Equites enim ac Senatores eum absoluerunt, Tribuni Ærarii damnauerunt. Sex. autẽ Clodius, quo authore corpus Clodii in Curiam illatũ fuit, accusantibus; C. Ciessenio Filone, M. Alsidio Flacconio. defenderunt magno consensu, damnatúsq; est sententiis VI & XL, absolutorias V omnino habuit, duas Senatorum tres Equitum. Multi præterea & præsentes & cũ citati nõ respõdissent, damnati sunt, ex quibus maxima pars Clodianorũ.

Lex Plautia. Var. Gibba. Sex. Clodius.

Q. ASCONII PAEDIANI IN M. TVL. CICERONIS ORATIONEM PRO CORNELIO, DE MAIESTATE, COMMENTATIO.

HANC ORATIONEM DIXIT L. Cotta, L. Torquato COSS. post annum quàm superiores. CORNELIVS homo non improbus vita habitus est: fuerat Quæstor Cn. Pompeii, dein TR. Pl. C. Pisone COS. biẽnio antequam hæc dicta sunt. In eo magistratu ita se gessit, vt iustior pertinaciórque videretur: alienatus autem à Senatu ex hac causa. Retulerat ad Senatũ, vt quoniam exterarum nationum Legatis pecunia magna daretur vsura, turpiaque & famosa ex eo lucra fierent, Ne quis Legatis exterarum nationum pecuniam expẽsam ferat. Cuius relationem repudiauit Senatus, & decreuit satis factũ videri eo S. C. quod ante annos aliquot Cn. Domitio, C. Ce-

Cornelius. Corneliæ leges.

lio coss. factum erat, cum Senatus ante pauculos annos illo S.C. decreuisset, Ne quis Cretensibus pecuniam mutuã daret. Cornelius ea re offensus Senatui, questus est eã ex re exhauriri prouincias vsuris, prouidendum vt haberet Legati, vnde præsentia darent. promulgauitque legem, qua authoritatem Senatus minuebat, Ne quis nisi per populum legibus solueretur, quod antiquo quoque iure erat cautum. Itaq; in omnibus S.C. quibus aliquem legibus solui placebat, adiicierat solitum, vt de ea re ad populum ferretur. sed paulatim ferri erat desitum, resque iam in eam cõsuetudinem venerat, vt postremò ne adiiceretur quidem in S. Consulto de rogatione ad populum ferenda, eaque ipsa S. C. per paucu-los admodum fiebant. Indigne eam Cornelii rogationẽ tulerant potentissimi quique, quorum ex S. C. gratia magnopere minuebatur. Itaque P. Seruilius Globulus Trib. Pleb. inuentus erat, qui C. Cornelio obsisteret. Is vbi legis ferundæ dies venit, & præco subiiciente scriba verba legis recitare populo cœpit, & scribam subiicere, & præconem pronunciare passus nõ est. Tum Cornelius ipse codicem recitauit. Quod cũ improbe fieri C. Piso Cos. vehemẽter quereretur, tribuni tiãq; intercessionẽ sublatã esse diceret, graui conuicio à pòpulo exceptus est. Et cum illos Cos. qui sibi intentabant manus prehẽdi à lictore iussisset, fracti eius fasces cuncti, lapidesq; etiã ex vltima cõtione in Cos. iacti. quo tumultu Cornelius perturbatus, conciliũ dimisit. Actum deinde eadẽ de re in Senatu est magnis cõtentionibus. Tũ Cornelius ita ferre rursus cœpit, Ne quis in Senatu legibus solueretur, nisi CC adfuissent: Neue quis cũ solutus esset, intercederet, cũ ea de re ad populũ ferretur. Hæc sine tumultu res acta est. nemo enim negare poterat pro authoritate Senatus esse eam legem, sed tamen eam tulit inuitis optimatibus, qui vel paucis gratificari solebant. ALIAM deinde legem Cornelius, etsi nemo repugnare ausus est, multis tamen inuitis tulit, Vt Prætores ex edictis suis perpetuis ius dicerent, quæ res gratiam ambitiosis Prætoribus, qui varie ius dicere solebant, sustulit. Alias quoque complures leges Cornelius promulgauit, quibus plerique collegæ inter-

Alia lex.

Mos promulgãdæ legis.

Alia lex.

cesserunt, per quas contentiones totus Tribunatus eius peractus est. Sequenti deinde anno M. Lepido, L. Volcatio

Cicero prætor.

coss. quo anno Prætor Cicero fuit, reum Corneliū duo fratres Cominii lege Cornelia de maiestate fecerūt. Detulit nomen P. subscripsit C. & quum Publius Cassius Prætor decimo die, vt mos est, adesse iussisset, eoque die ipse non adfuisset, seu auocatus propter publici frumenti curam, seu gratificans reo, circumuenti sunt ante tribunal eius accusatores à notis operarū ducibus, ita vt mors intentaretur, si mox nō desisterent: quam perniciem vix effugerunt interuentu Consulum, qui aduocati reo descenderāt: & cum in scalas quasdam Cominii fugissent, clausi in nocte ibi se occultauerunt: deinde per tecta vicinarum ædium profugerunt ex vrbe. Postero die eum P. Cassius adsedisset, & citati accusatores non

Eximere de reis.

adessent, exemptū nomen est de reis Cornelii. Cominii autem magna infamia flagrauerunt vendidisse silentium magna pecunia. Sequente deinde anno L. Cotta, L. Torquato coss. quo hæc oratio à Cicerone Prætore dicta est, cū * prima pars M. Manlius qui iudiciū per operarum duces turbauerat, deinde quod ex S.C. annonæ etiā coss. præsidebāt, & iudicio non respondisset, atq; esse damnatus recusasset, *iam accepta pecunia tollere ait Cornelium lege maiestatis. Res acta est magna expectatione, * paucos ante me, ergo Cornelius perterritus Manlii exitu in iudicium adhibuit, vt ne clamor quidem illius ab aduocatis eius oriretur. Dixerūt in eum infesti testimonia principes ciuitatis, qui plurimum in Senatu poterant Q. Hortensius, Q. Catulus, Q. Metellus Pius, L. Lucullus, M. Lepidus. Dixerunt autem hoc vidisse se, cum Cornelius in Tribunatu codicem pro rostris ipse recitaret, quod ante Cornelium nemo fecisse existimaretur. volebant videri se iudicare eam rem magnopere ad crimen imminutæ maiestatis tribunitiæ pertinere, & quod prope

Tribunitiæ potestatis imminutio.

tollebatur intercessio si id Tribunis permitteretur. Non poterat negare id factum esse. Is eò confugit, vt diceret, non ideo quod lectus sit codex à Tribuno, imminutam esse Tribunitiam potestatem. Qua vero arte & sciētia orationis, ita vt & dignitatem clarissimorum ciuium, contra quos dice-

bat,non violaret,& tamen authoritate eorum lædi reũ non pateretur,quantaque moderatione rem tam difficilem aliis tractauerit,lectio ipsa declarabit. Adiumentum autem habuit,quod sicut diximus Cornelius præter destrictum propositum aduersus principum voluntatem, cætera vita nihil fecerat,quod magnopere improbaretur. Præterea quod & ipse Globulus qui aderat Cornelio,quod ipsum quoque diximus,quod Cornelius Põpeii Magni Quæstor fuerat,apud duas præfecturas Equitum.& Tribunus,& ex tertia quoque parte apud plerosque exceptis iis familiaris principum ciuitatis. Res acta est magno conuentu, magnaque expectatione,qui euetus iudicii futurus esset. *A summis viris dicit æstimo,& id quod ei dicerent, confiteri animaduertebant. Extat oratio hominis accusatoris, quam sumere in manus est aliquod opreræprecium, nõ solũ propter Ciceronis orationes, quas pro Cornelio habemus,sed etiã propter semetipsam. Cicero ipse significat quatriduo Corneliũ defendisse: quas actiones contulisse eum in duas orationes apparet. Iudicium id exercuit Q.Gallus Prætor.

EXPOSITIO.

POSTVLATVR A ME Prætore, primum de pecuniis repetũdis. Prospectãt videlicet Cominius quid agatur, videlicet homines fœneos in medium ad tẽtandũ periculum proiectos,simulacra.) EFFIGIES hominum ex fœno fieri solebant,quibus obiectis ad spectaculum præbendũ, tauri irritarentur. QVID Metellus summa nobilitate ac virtute,cũ bis iurasset,semel priuatim,priuatus patria, publicæ legis deiectus est ratione,an vi,an veri * suspitionẽ animi tollit,virtus ac dignitas,& Q.Metelli adolescẽtia,ad summam laudem omnibus rebus ornatam.) Hoc exẽplũ affert hoc loco, quo vult probare desistere eum debere ab accusatione,quãquam neque accusauerit, neque fecerit actionem. nam Metellus & postulauerat Curionem,& destiterat. Confugit autem orator ad Metelli nobilitatem, & ad C. Curionis industriam,vt legeret id quod illi vtilius, quàm honestius fecerant. Res autem tota se sic habet:in qua quidem illud primum explicandum est, de quo Metello hoc dicit.

Effigies fœneæ.

Fuerunt enim tunc plures Quinti Metelli, ex quibus duo Consulares Pius & Creticus, de quibus apparet cum nō dicere. duo autem adolescētes Nepos & Celer, ex quibus nunc Nepotem significat. Eius enim patrem Q. Metellum Nepotem Balearici filium, Macedonici Nepotem, qui Cos. fuit cum T. Didio Curio, is de quo loquitur accusauit: is q; Metellus moriens petiit ab hoc filio suo Metello, vt Curionem accusatorem suum accusaret, & id facturum esse iureiurando adegit. Metellus fecit reum Curionem, cūque interim quendam ciuem idem Metellus seruum esse contendens vi arripuisset, ac verberibus adfecisset, Curio assertorem ei comparauit. Dein cum appareret eum exitum iudicii illius futurū, vt liber is iudicaretur, quem Metellus verberibus adfectum esse negare non poterat, inter Metellum, & Curionem facta pactione arbitrium de libertate peregere, sed tamen ille in libertatem. De quo * vt neq; Metellus perstaret in accusatione Curionis, eaque pactio ab vtroque firmata est. Huc ergo illud pertinet cum iurasse dixit semel priuatim, & iterū Legatum scilicet, cum in Curionem per calumniam iurauit. Cum hoc autem Metello postea Cicero simultates gessit: euasit enim Metellus malus atque improbus ciuis.

Metelli qui & quot.

Assertor.

LEGEM INQVIT de Libertinorum suffragiis Cornelius cum Manlio dedit. quid est hoc, dedit? an tulit, an rogauit, an hortatus est? quasi legem aliquam, aut ad scribendum difficilem, aut ad excogitandum reconditam, quæ lex paucis his annis nō modo scripta sed etiam lata esset.) P. Sulpitium in Tribunatu hanc eandem legem tulisse significauimus. Tulit autem L. Sylla qui postea Fœlix appellatus Q. Metello Cos. ante XVI annos quam hæc dicta sunt, cū per vim Rempub. possedisset, & ab initiis bonarū actionū ad perditas progressus esset, quod & initium bellorum ciuilium fuit, & propter quod ipse Sulpitius Cos. armis iræ oppressus esse visus est.

IN QVO CVM MVLTA REPREHENSA SINT, TVM IN PRIMIS CELERITAS actionis.) Celeritatem actionis significat, quod Manlius, sicut iam ostendimus, post pauculos statim dies, quam

inierat Tribunatum, legem eandem Cōpitalibus pertulit.

PETIVIT tamen à me Prætor maxima contestatione, vt causam Manlii defenderem.) Cattium Celsum significat, sicut iam antę dictum est. Cattius Celsus.

NAM CVM IS TR.Pl. duas leges tulisset in eo magistratu, vnam perniciosam, alterā egregiam, quod summa Rep. non hæsit, sed ab illo ipso Trib. abiectum est, bonū autem quod summa Republica manet, in vestri ordinis manu fuit.) Dictum est etiam supradictis legibus quas nūc de Libertinorū suffragiis, quæ cum S.C. damnata esset, ab ipso quoque Manlio, altera defensio est: altera de bello Mithridatico Cn. Pompeio extra ordinem mandando, ex qua lege tum Magnus Pompeius bellum gerebat.

Dicit de disturbato iudicio Manliano.

ALIIS ILLE in illum furorem magnis hominibus authoribus impulsus est, qui aliquod instituit exemplū disturbādorum iudiciorum perniciosissimum, temporibus suis accommodatissimum, eis alienissimum rationibus cupierūt.) L. Catilinā & Cn. Pisonem videtur significare. Fuit autem Catilina Patritius, & eodem illo tempore erat reus repetūdarum, cūm prouinciam Africam obtinuisset, & Cōsulatus candidatum se ostēdisset. Accusator erat eius P. Clodius adolescens ipse quoque perditus, qui postea cum Cicerone inimicitias gessit. Cn. quoque Piso adolescens potens, & turbulentus, familiaris erat Catilinæ, omniūmq; cōsiliorum eius particeps, & turbarum author. Catilina reus.

POSSVM dicere hominem summa prudētia præditum C. Cottam de suis legibus abrogādis ipsum ad Senatum retulisse.) Hic est Cotta, de quo iam sæpe diximus, magnus orator habitus, & cōpar in ea gloria P. Sulpitio, & C. Cæsari. Videtur autē in rebus paruis fuisse leges illæ, quas cū tulisset, retulit de iis abrogādis ad Senatū. nā neq; apud Sallustiū, neq; apud Liuiū, neq; apud Fenestellā vllius alterius latæ ab eo legis mētio, præter eā quā in cōtione tulit nobilissima magno populi studio, vt his fuisset. Alios quoq; magistratus aliter, & quod lex dictatore L. Sylla paucis lata perhibebant, neq; eā Cottæ legē abrogatam esse significat.

Lex iudiciaria Cottæ. POSSVM & eius Cottæ legem de iudiciis priuatis anno postq̄ lata sit à fratre eius &c.) Cottā significat.fuerunt autem tres,duo hi,& tertius L.Cotta,qui lege sua iudicia inter tres ordines communicauit,Senatum,Equites,Tribunos ærarios:adeptique sunt omnes Consulatum.

Cottæ tres.

LEGEM Liciniam & Mutiam de ciuibus regundis video constare inter omnes,quam duo coss. omniū quos vidimus sapientissimi,tulissent non modo inutilē, sed perniciosam R.P.fuisse.) P.Licinium Crassum oratorē,& Q. Mutium Scæuolam Pont.Max.eundémq; & Oratorem & Iurisconsultum significat:hi enim legem eam de qua loquitur,de regendis in sua ciuitate sociis in suo Consulatu tulerunt,cum summa cupiditate ciuitatis Romanæ Italici populi tenerentur. & ob id magna pars eorum pro ciuib.Romanis se gereret,necessaria lex visa est,vt in suæ quisq; ciuitatis ius redigeretur. Verum ea lege ita alienati animi sunt principum Italicorum populorum,vt ea vel maxima causa belli Italici,quod post triennium exortum est,fuerit.

Lex Licinia & Mutia.

Italicum sociale bellum.

QVATVOR omnino genera sunt iudices,in quibus per Senatum more maiorum statuatur aliquid de legibus. Vnum est eiusmodi,placere legem abrogari, vt Q.Cecilio,M.Iunio coss. quæ leges rem militarē impedirent, abrogarentur.) Q.Cecilius Metellus Numidicus M.Iuniūs Syllanus, de quibus facit mentionem, coss. fuerunt bello Cimbrico,quod diu praue simul & infeliciter gestum est,atq; ipse quoq; hic Iunius male rem aduersus Cimbros gessit:ac plures leges,quæ per eos annos quibus hæc gerebātur populo latæ erant,quibus militiæ stipēdia minuebātur, abrogauit. QVANTVMQVE lex lata esse dicatur,ea non videri populum teneri, vt L.Martio, Sex.Iulio coss.) De legibus Iuniis puto vos reminisci has esse leges Iunias,quas illis coss. M.Lubilius Drusus Tr. Pl.tulerit: qui cū Senatus partes tuendas suscepisset,& leges pro optimatibus tulisset,postea eò licentiæ est progressus,vt nullum in his morem seruaret. Itaq; Philippus cos. qui ei inimicus erat,obtinuit à Senatu,vt leges eius omnes vno S.C.tollerentur.Decretum est enim,Contra auspicia esse latas, neq;

Leges Iuniæ.

Lubilius Drusus.

Philippus Cos.

his teneri populum. TERTIVM est de legum abrogationibus, quo de genere persæpe S. consulta fiunt, vt nuper de ipsa lege Calpurnia, quæ derogaretur.) Lex hæc Calpurnia de ambitu erat, tulerat eã ante biennium C. Calpurnius Piso cos. in qua præter alias pœnas pecuniaria quoq; pœna erat adiecta. P. AFRICANVS ille superior vt dicitur, non solum à sapientissimis hominibus qui tum erant, verum etiam à se ipso sæpe accusatus est, quod cũ Consul esset cum T. Longo, passus esset tũ plurima populari consessu senatoria subsellia separari.) Hoc factum est secũdo cõsulatu Scipionis, post septimum annum quàm Carthaginẽsibus bello secundo dicta est pax. factum id esse autem Antias tradidit ludis Romanis, quos fecerunt AEdiles curules Attilius Serranus, T. Scribonius Libo. Id eos fecisse iussu Cẽsorũ Sex. AElii Læti, C. Cornelii Cethegi. Et videtur in hac oratione hũc quidem authorem secutus Cicero dixisse, passum esse Scipionem secerni à cætero consessu spectacula Senatorum: in ea autem quam post aliquot annos habuit de Aruspicum responso, nõ passum esse Scipionem, sed ipsum authorem fuisse dandi eum locum Senatoribus videtur significare. Verba eius hæc sunt, Nam quid ego de illis ludis loquar, quos in Palatio nostri maiores ante templum Matris Magnæ in ipso conspectu Megalensibus fieri celebrariq; voluerunt? quibus primum ludis ante populi consessum, Senatui locum P. Africanus II cos. ille maior dedit, & collega eius Sempronius Longus. Hoc tributũ esse Senatui scribit, sed sine mentione Megalensium. AEdiles enim eos ludos facere soliti erant. Votiuis ludis factum tradit, quos Scipio, & Longus coss. fecerint. Nõ præterire autẽ vos volo esse oratoriæ calliditatis ius, vt cum opus sit eisdẽ rebus ab vtraq; parte, vel contrariis vtatur. Nam cum secundũ Ciceronis opinionem authore Scipione cos. AEdiles secretũ ante omnes locũ spectãdi Senatoribus dederint, eodem illo facto Scipionis in hac quidẽ oratione, quia causa popularis erat, premebatúrque Senatus authoritate, atque ob id dignitatem eius ordinis quàm possit maxime eleuari causæ expediebat, pœnituisse ait Scipionem, quod passus esset id fieri.

Lex Calpurnia de ambitu.

In ea oratione de Aruspicum responso, quia in Senatu habebatur, cuius auribus erat blandiēdum, & magnopere illum laudat, & non authorem fuisse dādi, nam id erat leuius, sed ipsum etiam dedisse dicit.

EST VTIQVE ius vetandi cum ea feratur quādiu.* ferundi transferuntur id est lex. dum priuati dicunt, dū sitella defertur, dum æquantur sortes, dum sortitio fit, & siqua sunt alia huius generis.) Alia populus confusus, vt semper alias, ita & in contione, iis peractis cum id solum superest, vt populus sententiam ferat. Iubet enim is qui fert legem dicere, quod verbum non hoc significat, quod in communi consuetudine erat de eo loco vbi lex fertur, sed vt in suam quisque tribum descendat in qua est suffragiū laturus.

Suffragia per tribus

VNVM tamen, quod ipso Tr. Pl. factū est prætermittendum non videtur. neq; enim maius est legere codicē cū intercedatur, quàm sitellā ipsam cum ipso intercessore deferre: nec grauius incipere ferre, quam perferre: nec vehemētius ostendere se laturum inuito collega, q̄ ipsi collegæ magistratum abrogare: nec criminosius tribus ad legem accipiendam, quàm ad collegam reddēdum priuatum introuocare, quæ vir fortis huius collega A. Gabinius in re optima fecit omnia: neq; cum salutem P. R. atq; omnibus gentibus finē diuturnæ cupiditatis, turpitudinis, & seruitutis adferret, passus est plus vnius collegæ sui q̄ vniuersæ ciuitatis vocem valere, & voluntatem.) Manifestum est de ea lege Ciceronem nunc dicere, qua Cn. Pompeio bellum aduersus Piratas datum est. L. autem Trebellius Tr. Pl. quē nominat, quo perseuerante intercedere (nam Senatus promiserat moriturum se, antequā illa lex perferretur) introuocare tribus Gabinius cœpit, vt Trebellio magistratum abrogaret: sicut quōdam C. Gracchus Tribunus M. Octauio collegæ suo magistratū abrogauit. Et aliquādiu Trebellius ea re perterritus non aderat, perstabatq; in intercessione, quòd damnari magis q̄ perseueraturum esse Gabiniū arbitrabatur. Sed postq̄ x & vii tribus rogationem acceperunt, & vna mens esset, vt populi iussum conficeret, remisit intercessionem Trebellius, atque ita legem Gabinius de Piratis persequendis pertulit.

Lex Gabinia.

ATENIM de corrigendâ lege retulerūt.) Diximus iam in principio Cornelium primo legem promulgasse, Ne quis per Senatum lege solueretur. Tulisse, Vt cum deniq; de ea re S.C. fieret, cum adesset populus, in Senatu non minus C C. & hæc est illa quam appellat correctionem.

IDEM NISI hæc ipsa lex quam C. Cornelius tulit obstitisset: decreuissem id quod palam iam isti defensores iudiciorum pugnauerunt, senatui non placere id iudicium de Syllæ bonis fieri: quam ego causam longe aliter Prætor in concione defendi, cum id dicerem, quod idem iudices postea statuerunt, iudicium æquiore tempore fieri oportere.) Quia defuerat superioribus temporibus in ærario pecunia publica, multa, & sæpe eius rei remedia erant quæsita. in quibus hoc quoque, vt pecuniæ publicæ quæ residuæ apud quéque essent exigerētur. Id autem maxime pertinebat ad Cornelium Faustum Dictatoris filiū, quia Sylla per multos annos quibus exercitibus præfuerat, & R.P. tenuerat, sumpserat pecunias ex vectigalibus, & ex ærario P.R. eaque res sæpe erat agitata, sæpe omissa, partim propter Syllanarum partium metum, partim quòd iniquum videbatur post tot annos, quàm quis pecuniam acceperat, reddere rationem.

Remediū vbi in ærario pecunia publicā deerat.

ANTEA VERO quā multarum rerū iudicia sublata sint. & quia scitis, præterea vt ne quem in iudicium oratio mea reuocare videatur.) Bello Italico, quod fuit adolescentibus illis, qui tum in Repub. vigebant, cum multi Varia lege inique damnarentur, quasi id bellum illis authoribus cōflatum esset, crebræq; defectiones Italicorum nūciarentur, tūc ob eius tristitiæ occasionem Senatus decreuit, Ne iudicia dū tumultus Italicus esset exercerentur, quod decretum eorum in concionibus populi sæpe agitatum erat. supererāt autem ex iis qui illa iudicia metuerunt vigentes maxime C. Curionis adolescentis eius pater, qui bello ciuili Cæsaris fuit partium.

NON CN. DOLOBELLA C. VOLCATIVM honestissimum virum communi & quotidiano iure priuasset.) Duo fuerūt eo tempore Dolobellæ, quorum alterum C. Cæsar accusauit, alterum M. Scaurus.

Duo Dolobellæ.

NON DENIQVE homo illorum,& vita,& prudentia longe dissimilis,sed tamen nimis in gratificando iure liber.L.Sisenna bonorum C.Cornelii possessionē ex edicto suo P.Scipioni adolescenti summa nobilitate,eximia virtute prædito non dedisset.) Hoc solum hic adnotādum est, hunc esse L.Sisennam qui res Romanas scripsit.Quare cum hunc populus Ro.videret,& cum à Trib.Pleb.doceretur,nisi pœna accessisset in Diuisores,extingui nullo modo posse, legem hanc Cornelii flagitabat:illam,quæ ex S.C.ferebatur, repudiabat: idque vir doctissimus duorum Consulum designatorum calamitate.

L.Sisenna

VT SPECTACVLVM illud duorum designatorum coss. calamitate,re & tempore salubre ac necessariū genere,exemplo miserum ac funestum videremus.) P.Syllā & Antronium significat,quorum alterum L. Cotta, alterū L. Torquatus,qui cum hæc Cicero dicebat Coss.erant,ambitus damnarant,& in eorum locum creati erant.

P.Sylla. Antronius

QVID EGO NVNC tibi argumentis respondeam? posse fieri, vt alius aliquis Cornelius sit, qui habeat Philerotem. vulgare nomen esse Philerotis.Cornelios vero ita multos,vt iam etiam collegium constitutū sit.) Frequenter tum etiam cœtus factiosorum hominū sine publica authoritate malo publico fiebant. Propter quod postea collegia S.C.& pluribus legibus sunt sublata,præter pauca atque certa,quæ vtilitas ciuitatis desiderasset, vt fabrorū lictorūq;.

Collegia Senatus consulto sublata.

AT ENIM extremi,ac difficilimi temporis vocem illam C.Cornelio Cos. mittere coegisti, qui rem saluam esse vellent,vt ad legem accipiēdam adessent.) Piso qui Cos. eodem anno fuit quo Cornelius Trib. Pleb. erat, cum legem de ambitu ex S.C.grauiorem quàm fuerat antea ferret, & propter multitudinē Diuisorū, qui per vim aduersabātur è foro eiectus esset,edixerat id quod Cicero significat, & maiore manu stipatus ad legem perferendā descenderat.

Lex Pisonis de ambitu.

PLEBEM EX Manliana offensione victam, & domitam esse dicit ante vestros annos propter illius TR. PL. temeritatē posse adduci, ne omnino illius potestate abalienemur,qui restituerunt eā potestatē.alterū, nihil vnū posse

cõtra multos, alterũ longe abesse.) Manifestũ puto esse vobis M. Crassum, & Cn. Pompeiũ significari, è quibus Crassus iudex tum sedebat in Cornelium: Pompeius in Asia bellũ Mithridaticum gerebat.

TANTA igitur in illis virtus fuit, vt anno XVI post reges exactos propter nimiã dominationem potentium secederent, Leges sacratas ipsis sibi restituerẽt, duos TR. crearent, montẽ illum trans Anienẽ, qui hodie MONS SACER nominatur, in quo armati cõsederãt, æternæ memoriæ causa cõsecrarent. Itaq; auspicato postero anno x Trib. Pleb. comitiis curiatis creati sunt.) Inducor magis librariorũ hoc loco esse mendam, quàm vt Ciceronem parum proprio verbo vsum esse credã. Illo enim tẽpore de quo loquitur, quod fuit post XVI annos quàm reges exacti sunt, plebs sibi leges sacratas non restituit, nunquam enim Trib. Pleb. habuerat, sed tum primum eos cõstituit. Numerum quidem annorũ post reges exactos, quàm id factum est diligẽter posuit, is qui fuit A. Virginio Tricosto, L. Veturio Ceturino Coss. Cæterũ quidã non duos Trib. Pleb. vt Cicero dicit, sed quinq; tradunt creatos tum esse, singulos ex singulis classibus. Sunt tamen qui eundẽ illum duorum numerum, quem Cicero, ponãt, inter quos Tudianus & Pomponius Atticus, Liviusq; noster. idem hic & Tudianus adiiciũt, tris præterea ab illis duobus collegas creatos esse. Nomina duorũ qui primi creati sunt, hæc traduntur, L. Siccinius, L. F. Velutus Lauinius, C. F. Paterculus. Reliqua pars huius loci quæ pertinet ad secundam constitutionem Tribunorũ, & Deceuirorum finitum imperium, & breuiter & aperte ab ipso dicitur, nomina sola non adiicit, quis ille ex x viris fuerit qui cõtra libertatem vindicias dederit. & quis ille pater contra cuius filiã id decreuit. scilicet quod notissimũ est, Deceuirum illũ Appium Claudium fuisse, patrem autem virginis, L. Virginiũ. Vnum hoc tantũmodo explicandũ, quo loco primum de secunda secessione plebis dehinc concordia facta sic dicit,

Mõs sacer

Liuius & Dionysius hos aliter vocant.

Liuius aliter lib. ij. ab vrb.

Appius Claudius deceuir.

TVM INTERPOSITA fide per tres Legatos amplissimos viros Romã armati reuertuntur, in Auentino consederunt, inde armati in Capitolium venerunt.) Decem

TR.Pleb.Pontif. quod magistratus nullus erat,creauerunt. legati tres,quorum nomina non ponit,hi fuerunt,Pub.Tarpeius,C.Iulius,P.Sulpitius,omnes consulares: Pontifex Maximus fuit M.Papyrius.

ETIAM HAEC recentiora præterea ponam principium iustissimæ libertatis.Cassiam qua lege suffragiorum vis,potestasq; conualuit. Alteram Cassiam,quæ populi iudicia firmauit.) Quæ est ista lex CASSIA, qua suffragiorũ potestas conualuit? manifestum est. nam ipse quoq; paulo ante dixit, Legem Cassiũ tulisse, Vt populus per tabellam suffragium ferret. Altera Cassia lex quæ populi iudicia firmauit, quæ sit potest quæri. Est autem hæc, C. Cassius L.F. Longinus, Trib.Pleb.C.Mario,C.Flacco Coss.plures leges ad minuendam nobilitatis potentiam tulit,in quibus hãc etiam, Vt quem populus dãnasset, cuive imperium abrogasset,in Senatu nõ esset.Tulerat autem eam maxime propter simultates cum Q.Cecilio,qui ante biennium Cos.fuerat, & cui populus,quia male aduersus Cimbros rẽ gesserat, imperiũ abrogauit.

Lex Cassia.

QVI NON MODO cũ Sylla,verũetiã illo mortuo semper hoc per se summis opibus retinendum putauerunt,amicissimi C.Cottæ fuerunt,quod is Cos. Paulum Trib.Pleb.nõ potestatis,sed dignitatis addit.) Hic Cotta vt puto legem tulit,vt Trib.Pleb.liceret postea alios magistratus capere,quod lege Syllæ iis erat ademptum.

Lex Cottæ.

QVANDIV QVIDEM hoc animo erga vos illa plebs erit,quo se ostendit esse,cum legẽ Aureliam,cũ Rosciam non modo accepit,sed etiam efflagitauit.) Aurelia lege cõmunicata esse iudicia inter Senatores & Equestrem ordinem,& Tribunos ærarios. Quã L.Roscius Otho biẽnio ante Cos.firmauit in Theatro,vt Equitibus Ro.XIIII ordines spectandi gratia darentur.

Lex Aurelia.

Lex Roscia.

MEMORIA teneo cum primum Senatores cum Equitibus Ro.lege Plotia iudicarẽt,hominem Diis ac nobilitati perinuisum Cn.Pompeium causam lege Varia de maiestate dixisse.) M.Plautius Syllanus Trib. Pl. Cn. Põpeio Strab.L.Portio Catone Coss.II anno belli Italici,cũ Equester ordo in iudiciis dominaretur,legem tulit adiuuantibus

nobilibus: quæ lex vim eam habuit, quam Cicero significat. nam ex ea lege tribus singulæ ex eo numero quinos denos suffragio creabát, qui eo anno iudicarét, ex eo factum est, vt Senatores quoque in eo numero essent, & quidam etiam ex ipsa plebe.

NVM IN eo qui sint hi testes hæsitatis? ego vobis edam duos, reliqui sunt de Consularibus inimici Tribunitiæ potestatis, pauci præterea assentatores eorũ atq; adsclæ subsequuntur.) M. Lucullum & M. Lepidũ significat. quinque enim Consulares (vt iam diximus) in Cornelium testimonium dixerunt Q. Catulus, Q. Hortensius, Q. Metellus Pius Pont. Max. quos hac secunda oratione tractat: & duo qui non dixerunt, quos nunc significat, Lucullus & Lepidus. QVID AVVNCVLVS tuus clarissimus vir, clarissimo patre, auo, maioribus, credo silentio fauente nobilitate, nullo intercessore comparato prodierit, & potentissimorum hominum collegiis eripuit cooptandorum Sacerdotum potestatem.) Hoc eget enarratione, quia hoc loco non ponit quis fecerit, ei demum videri potest qui oblitus sit minus ante xx versus hæc de eo ipso Ciceronem dixisse, Sed si familiariter ex Q. Catulo sapientissimo viro, atque humanissimo velim quærere, vtrius tandem tibi Tribunatus minus probari potest, C. Cornelii an non dicam P. Sulpitii, non L. Saturnini, non C. Gracchi, non Tiberii, neminem quem isti seditiosum existimát nominabo, sed auũculi tui Q. Catuli clarissimi atque amátissimi viri, quid mihi tandem responsurum putatis?

QVID, IDEM DOMITIVS M. SYLLANVM CONSVLAREM HOMINEM QVEMADMODVM TR. PL. VEXAVIT?) M. Syllanus quinquennio ante cos. fuerat, quam Domitius TR. PL. atque ipse quoque aduersus Cimbros rem male gesserat: quam ob causam Domitius eum apud populum accusabat, criminabaturq; eum cum Cimbris iniussu populi bellum gessisse, idque principium fuisse calamitatum, quas eo bello populus accepisset: ac de eo tabellam quoque edidit. sed plenissime Syllanus absolutus est. nam M. Syllanus.

duæ ſolæ tribus eum Sergia & Quirina damnauerunt.

HAEC eſt cōtrouerſia eiuſmodi, vt mihi TR.Pl.Cn. Domitius Catul. M.Terpolius cōtemptiſſimū nomen eiectum eſſe ex his, qui TR.Pl.fuerunt.) Poſt infractam Tribunitiam poteſtatem Syllæ ante reſtitutam à Cn.Pompeio apparet. fuit autē is Trib.Pl. ante duodecim annos, D.Bruto, & M.Lepido coss. Cn.Domitius Tribunus fuerat ante II & XL annos C.Mario II, C.Fimbria coss. Magno numero ſententiaru m Cornelius abſolutus eſt.

Q. ASCONII PAEDIANI IN M. TVLLII CICERONIS ORATIONEM, IN TOGA CANDIDA, CONTRA C. ANTONIVM, ET L. CATILINAM COMPETITORES, IN SENATV, COMMENTATIO.

ARGVMENTVM.

HAEC ORATIO DICTA EST L.Cæſare, C.Figulo coss. poſt annum, quām pro Cornelio dixerat. Sex competitores in Conſulatus petitione Cicero habuit: duos patritios, P.Sulpitium Galbā, L.Sergium Catilinam: quatuor Plebeos, ex quibus duos nobiles, C. Antonium, M.Antonii oratoris filium, L.Caſſiū Longinum: duos, qui tamen non primi ex familiis ſuis magiſtratum adepti erant, Q.Cornificium, & C.Licinium Sa-

cerdotem. Solus Cicero ex competitoribus Equestri erat loco natus, atque in petitione patrem amisit: cæteri eius competitores modeste se gessere, visique sunt Q. Cornificius, & Galba sobrii ac sancti viri: Sacerdos nulla improbitate notus: Cassius, qui iners ac stolidus tum magis quàm improbus videretur, post paucos menses in coniuratione Catilinæ eum esse apparuit, ac cruentissimarum sententiarum fuisse authorem. itaque hi IIII pro re iacebant. Catilina autem & Antonius, quanquam omnibus maxime infamis eorum vita esset, tamen multum poterant: coierant enim ambo, vt Ciceronem Consulatu deiicerent, adiutoribus vsi firmissimis, M. Crasso, & C. Cæsare. Itaque hæc oratio contra solos Catilinam & Antoniũ est. CAVSA orationis huiusmodi in Senatu habendæ Ciceroni fuit, quod cũ in dies licentia ambitus augeretur propter præcipuam Catilinæ & Antonii audaciam, censuerat Senatus, vt lex ambitus aucta etiam cum pœna ferretur. Ei quoque rei Q. Mutius Orestinus TR. Pl. intercesserat. Tũ Cicero grauiter Senatu intercessionem ferente surrexit, atque in contionem Catilinæ, & Antonium inuectus est ante dies comitiorum paucos.

Patris Ciceronis obitus

EXPOSITIONIS INITIVM.

DICO P. C. SVPERIORE NOCTE, CVIVSDAM hominis nobilis, & valde in hoc largitionis quæstu noti & cogniti, domum Catilinam & Antonium cum sequestribus suis conuenisse.) Aut C. Cæsaris, aut M. Crassi domũ significat. etenim acerrimi ac potentissimi fuerunt Ciceronis refragatores cum petiit Consulatum, quod eius in dies ciuilem crescere dignitatẽ animaduertebant. Et hoc ipse Cicero in expositione suorum consiliorum significat. Eius quoque cõiurationis, quæ Cotta & Torquato COSS. ante annum quàm hæc dicerentur facta est à Catilina & Pisone, arguit M. Crassum authorem fuisse.

QVEM ENIM aut amicum habere potest is qui tot ciues trucidauit, aut qui in sua ciuitate cũ peregrino ne-

gauit se iudicio æquo certare posse?) Catilina cum in Syllanis partibus fuisset, crudeliter fecisse, nominatim etiã postea Cicero dicit, quos occiderit, Q. Cecilium, M. Volumniũ, L. Tantasium, M. etiam Marii Gratidiani summe popularis hominis, qui ob id bis Prætor fuit, caput abscissum per vrbem sua manu Catilina tulerat, quod crimen sæpius ei tota oratione obiicit. Fuerat vero hic Gratidianus arcta necessitudine Ciceroni coniunctus.

CLIENTEM autem negabat habere posse C. Antonium. nã is multos in Achaia spoliauerat, nactus de exercitu Syllano Equitum turmas.) Deinde Græci quos spoliauerat, eduxerunt Antonium in ius ad M. Lucullum Prætorem, qui ius inter peregrinos dicebat. egit pro Græcis etiã tum adolescentulus, de quo pauloante mẽtionem fecimus. & cum Lucullus id quod Græci postulabant, decreuisset, appellauit Tribunos Antonius, iurauitque se ideo iurare, quòd æquo iure vti non posset. Hunc Antonium Gellius & Lentulus Censores sexennio quo hæc dicerentur, Senatu mouerunt, causasque subscripserunt, ꝙ socios diripuerit, quòd iudicium recusauit, quòd propter æris alieni magnitudinem prædia mancipauit, bonaque sua in potestate non haberet.

Prætor peregrin⁹

Antonius Senatu motus.

NE SCIAM tum respexit cum grauissimis vestris decretis absens notatus est.) Catilina ex Prætura Africam prouinciam obtinuit: quam cum grauiter vexasset, Legati Afri in Senatu iam tum absente illo questi sunt, multæque graues sententiæ in Senatu de eo dictæ sunt.

IN IVDICIIS quanta vis esset, didicit cũ est absolutus, si aut illud iudicium, aut illa absolutio nominanda est.) Ante annum quàm hæc dicerentur, Catilina cum rediisset ex Africa Torquato & Cotta coss. accusatus est repetundarum à P. Clodio adolescente, qui postea inimicus Ciceroni fuit. Defensus est Catilina, vt Fenestella tradit, à M. Cicerone, quod ego vt addubitem hæc ipsa Ciceronis oratio facit, maxime quòd is nullam mentionem rei habet, cum potuerit inuidiam facere competitori tam turpiter aduersus se coeunti: præsertim cum alterum competitorem suum Antonium, in eadem hac oratione sua admoneat

Catilina reus an a Cic. defensus.

suo beneficio eum ex vltimo loco Præturæ candidatum ad tertium peruenisse.

NESCIS ME PRAETOREM primum esse factum tecum cessione competitorum & collatione centuriarum,& meo maxime beneficio:te è postremo in tertium locum esse subuectum?) Qui igitur Antonio suffragationem suam imputádam putat,is si defendisset Catilinã,caput eius protectum à se nóne imputaret quod ita esset? Manifestum est ex eo quod statim dicit, Q.enim Mutius TR. Pleb. intercedebat,ne lex ambitus ferretur: quod facere pro Catilina videbatur. Hunc Mutium in hac oratione appellans Cicero sic ait,

TE TAMEN Q. MVTI TAM MALE de Repub.existimare moleste fero, qui hesterno die me esse dignum Consulatu negabas. Quid? P.Ro. minus diligenter si bi cõstituere defensorem, quam tu tibi cum te furti L.Calenus ageret,me potissimum fortunarum tuarum patronum esse voluisti: cuius tu & consilium in tua turpissima causa delegisti,hunc honestissimarum rerum defensorem Po.Ro. authore te repudiare potest? nisi forte hoc dicturus est, quo tempore cum L.Caleno furti delectus sit,eo tempore in me tibi parum auxilii esse vidisse.) Verum vt ageret Mutii causam Cicero, sicut Catilinæ egisse eum videri vult Fenestella, cur iam quanuis male existimet de causa Mutii tamen ei exprobret patrocinium suum, non idem in Catilina faciat, si modo pro eo dixit? Et cur ipsum illud iudicium sæpius in infamiam vocat,quod protinus videretur fuisse facturus, si in eo iudicio fuisset patronus? Atque vt alia omittam hoc certe vix videtur dicturus fuisse, si illo patrono Catilina repetundarum absolutus est.

STVPRIS SE OMNIBVS ac flagitiis contaminauit, cæde nefaria cruentauit, diripuit socios, leges, quæstiones, iudicia violauit. Et postea,

QVID EGO VT VIOLAVERIS Prouinciam prædicem? nã vt te illic gesseris, non audeo dicere, quoniã absolutus es. mẽtitos esse equites Ro. falsas fuisse tabellas honestissimæ ciuitatis existimo, mentitũ Q. Metellum

Pium, mentitam Africam fuisse nescio quid apud illos iudices qui te innocentem iudicauerunt. O miser qui non sentias illo iudicio te non absolutum, verum ad aliquod seuerius iudicium, ac maius supplicium reseruatum.) Veri ne ergo simile est hæc eum Catilinæ obiicere, si illo defendente absolutus est? Præterea mouet me quod cum sint Commẽtarii Ciceronis earum etiam defensionum, Commentarii autem principium ita, Quod iudicio absolutus est Catilina, vt Clodius infamis fuerit, præuaricatus est. Nam & reiectio iudicum, ad arbitrium rei videbatur esse facta. Populum vero, cum inspectante populo collum secuit hominis maxime popularis, quanti faceret ostendit. Diximus & paulo ante Marii caput Catilinam per vrbem tulisse.

Cõmenta rii Cic.

ME QVA AMENTIA INDVCTVS est vt contemneret constituere non possum, vtrum æquo laturũ putauit? an in suo familiarissimo non viderat me ne aliorum quidem iniurias mediocriter posse ferre?) Manifestũ est C. Verrem significari.

ALTER PECORE OMNI vendito, & saltibus prope addictis, pastores retinet, ex quibus ait se cum velit subito fugitiuorum bellum excitaturum.) C. Antonium significat.

ALTER INDVXIT eum quem potuit, vt repente gladiatores populo nõ debitos polliceretur, quos ipse Consularis candidatus perspexit, & legit, & emit præsente P.R. factum est.) Q. Gallium, quem postea reũ ambitus defendit, significare videtur. hic enim cum esset Præturæ cãdidatus, quod in AEdilitate quã ante annum gesserat * vertias nõ habuerat, dedit gladiatorium, sub titulo patris se id dare.

QVAMOBREM AVGERE ETIAM mercedes si vultis, Q. Mutium peruerti, legem impedire vt cœpit senten *Cos. Sed ego ea, lege cõtẽtus sumqua duos Coss. designatos vno tẽpore dãnari vidimus.) Legẽ Calpurniã significat, quam C. Calpurnius Piso antẽ triennium de ambitu tulerat. quod autem dicit dãnatos esse designatos Coss. P. Syllam, & P. Antroniũ, de quibus iã diximus, vult intelligi. Cognomen autem Q. Mutio Trib. quem nominat, fuit

Lex Calphurnia de ãbitu.

Oreſtinus.

ATQVE VT ISTVM omittam in exercitu Syllano prædonem,in introitu gladiatorem,in victoria qua drigarium.) De Antonio dici manifeſtum eſt,ſed dicit eum in exercitu Syllæ prædonem propter equitum turmas, quibus Achaiam ab eo vexatã eſſe ſignificamus.In introitu gladiatorem, pertinet ad inuidiam proſcriptionis,quæ tum facta eſt.In victoria quadrigarium,quod cum Sylla poſt victoriam Circenſes faceret,ita vt honeſti homines quadrigas agitarent,fuit inter eos C.Antonius. Quadrigarius Antonius.

TE VERO CATILINA Conſulatum ſperare aut cogitare,nõ prodigium atque portentum eſt? ex quibus enim petis?à principibus ciuitatis, qui tibi cum L. Volcatius Cos. in conſilio fuiſſet,ne petendi quidem poteſtatem eſſe voluerunt.)Paulo ante diximus Catilinam cum de prouincia Africa decederet,petiturus Conſulatũ, & Legati Afri queſturi de eo in Senatu grauiter Romam perueniſſent, profeſſus deinde eſt Catilina petere ſe Cõſulatum.L. Volcatius Tullus Cos. conſilium publicum habuit,an rationem Catilinæ habere deberet ſi peteret Conſulatum. nam quærebatur repetũdarũ Catilina, ob quã cauſam deſtitit a petitione.

A SENATORIBVS QVI TE authoritate ſua ſpoliatum ornamentis omnibus, vinctum pene Africanis oratoribus tradiderunt?)Diximus modo de hoc,nam iudicium quoque ſecutum repetundarum à quo ipſe per infamiam liberatus eſt Catilina: ſed ita vt Senatorum vrna damnaret,Equitum & Tribunorum abſolueret.

AB EQVESTRI ORDINE quẽ trucidaſti.) Equeſter ordo pro Cinnanis partibus contra Syllam ſteterat, multaſque pecunias abſtulerat, ex quo SACCVLARII erant appellati:atque ob eius rei inuidiam poſt Syllanã victoriam erant interfecti à plebe. Saccularij.

CVI SPECTCAVLVM eiuſmodi tua crudelitas præbuit,vt nemo ſine gemitu ac recordatione luctus aſpicere poſſet.) Eiuſdẽ illius Marii Gratidiani, quod caput geſtarat obiicit,quo loco dicit Catilinam caput M. Marii geſtaſſe,quod caput etiam tum plenum animæ & ſpiritus ad Syl-

lam vsque ab Ianiculo ad ædem Apollinis manibus ipse suis detulit. Omnia sunt manifesta: ne tamen erretis, quod his temporibus AEDES APOLLINIS in palatio fuit nobilissima, admonendi estis non hanc à Cicerone significari, vt pu to, quam post mortem etiam Ciceronis multis annis Imp. Cæsar, quem nunc diuum Augustum dicimus, post Actiacã victoriam fecerit: Sed illam demonstrari, quæ est extra portam Carmentalem, inter forum Olitorium & Circum Flaminium: ea enim sola tum demum Romæ Apollinis ædes.

AEdes Apollinis

QVID TV POTES IN defensione tua dicere, quod illi ne dixerunt? quæ tibi dicere non licebit? Et paulo post, DENIQVE illi negare potuerũt, & negauerũt: tu tibi ne inficiãdi quidẽ impudentiæ locũ reliquisti. Quare præclara dicuntur iudicia tulisse, si qui inficiantem Luscium condemnarint, Catilinam absoluerint cõfitentem.) Hic quẽ nominat L. LVSCIVS notus Centurio Syllanus, diuesque è victoria factus, nam amplius centies possederat, damnatus erat non multo antequã Cicero dixit. Obiectæ sunt ei tres cædes proscriptorum circa eosdem dies. L. quoque BELLIENVS damnatus est, quem Cicero ait auunculum esse Catilinæ. Hic autem Lucretium Asellam Consulatum contra voluntatem Syllæ ad turbandum statum ciuitatis petentẽ occiderat iussu Syllæ tunc Dictatoris.

L. Luscius

L. Bellienus.

IS ERGO NEGAT ignarum esse, cum etiam imperitos se homines esse: & si quem etiam interfecissent, Imperatori ac Dictatori paruisse dicerent, ac negare quoque, Catilinam vero inficiari non posse.) Huius autem criminis periculum quod obiicit Cicero, paucos post menses Catilina subiit. post effecta enim comitia Consularia, & Catilinæ repulsam, fecit eũ reum inter Sicarios L. Lucullus peritus eruditusque, qui postea Consulatum quoque petiit.

Catil. reus inter Sicarios.

HANC TV HABES DIGNITATEM, QVA FRETVS ME CONTEMNIS & despicis, an eã qua reliquum vitæ consecutus, cum ita vixisti, vt non esset locus tam sanctus quò non aduentus tuus, etiam cũ culpa nulla subesset, crimẽ adferret.) FABIA virgo Vestalis causam incæsti dixerat, cũ ei Catilina obiiceretur: eratque

Fabia Vestalis.

absoluta hæ Fabia, quia soror erat Terẽtiæ Ciceronis. Ideo sic dixit, etiam si culpa nulla subesset. Ita & suis pepercit, & nihilo leuius inimico summi opprobrii turpitudinẽ obiecit. Terentia Ciceronis

CVM DEPREHENDEBARE IN ADVLTERIIS, CVM DEPREHENDEBAS adulteros ipse, cum ex eodem stupro tibi & vxorem & filiam inuenisti.) Dicitur Catilina adulterium commisisse cum ea quæ ei postea socrus fuit, & ex eo stupro duxisse vxorem, cum filia eius esset. Hæc Luceius quoque Catilinæ obiicit in orationibus, quas in eum scripsit. Nomina harum mulierum nondum inueni.

QVID ERGO VT VIOLAVERIS PROVINCIAM PRAEDICEM CVNCTO P. R. clamante ac resistente: nam vt te illic gesseris non audeo dicere, quoniam absolutus es.) Dictum est iam sæpius Catilinam ex Prætura Africam obtinuisse, & accusante eũ repetundarum P. Clodio absolutum esse.

PRAETEREO illũ nefariũ conatum tuum, & pene acerbum, & luctuosum P. Rom. diem cum Cn. Pisone socio, neque alio nemine cædem optimatum facere voluisti.) Quos nominat intelligitis. Fuit enim opinio Catilinam, & Cn. Pisonem adolescentem perditum coniurasse ad cædem Senatus faciendam ante annum, quàm hæc dicta sunt, Cotta & Torquato coss. eámque cædem ideo non esse factam, quod priusquam parati essent, coniuratis signum dedisset Catilina. Piso autem cum hæc dicerentur, perierat in Hispania, missus à Senatu per honorẽ Legationis vt auus suus ablegaretur. vbique dum iniurias prouincialibus facit occisus erat, vt quidam credebant à Cn. Pompeii clientibus, Pompeio non inuito. Pisonis mors.

AN oblitus es te ex me cũ Præturã peteremus petisse, vt tibi primum locum concederem: quod cum sæpius ageres, & impudentius à me contenderes, meministi me tibi respondere impudenter te facere, qui id à me peteres, quod auunculus nunquam impetrasset?) Diximus iam supra Syllæ Ludis, quos hic propter victoriam fecerit, quadrigas C. Antonium & alios quosdam nobiles homines agi-

casse. Præterea Antonius redemptas habebat ab ærario vectigales quadrigas, quam redemptionem Senatori habere licet per legem. Fuit autem notissimus in Circo quadrigarũ agitator Boculus.

QVI POSTEAQVAM ILLO vt conati erãt Hispaniensi pugiunculo neruos incidere ciuium Romanorum non potuerunt, duas vno tempore conantur in Rep. sicas distringere.) Hispaniensem pugiunculum Cn. Pisonẽ appellat, quem in Hispania occisum esse dicit. Duas Sicas, Catilinam, & Antonium appellari manifestum est.

Cn. Piso, Pugiũculus Hispaniensis.

HVNC VOS scitote, Licinium gladiatorem iã immisisse cupidum Catilinæ Iudic.* quã, Q. ve Curium hominem quæstorium.) CVRIVS hic notissimus fuit aleator, damnatúsque postea est. in hunc est Hendecasyllabus Calui elegans, Et talis Curius pereruditus.

Curius.

Huic orationi Ciceronis & Catilina & Antonius cõtumeliose respõderant, quod solũ poterãt inuecti in nouitatẽ eius. Feruntur quoq; orationes nomine illorũ editæ, nõ ab ipsis scriptæ, sed à Ciceronis obtrectatorib. quas nescio an satius sit ignorare. Cæterum Cicero COS. omnium cõsensu factus est, Antonius pauculis Centuriis Catilinam superauit, cum ei propter patris nomen paulo speciosior manus suffragata esset quàm Catilinæ.

Q. ASCONII PAEDIANI PATAVINI IN M. TVL. CICERONIS ORATIONES COMMENTATIONVM diligentissime repositarum FINIS.

ANTONII LVSCHI VINCENTINI ORATORIS CLARISSIMI INQVISITIO SVPER XI ORATIONES CICERONIS, AD FRATREM ASTOLFINVM.

PRAEFATIO.

MAGNA RES EST eloquentia, frater insignis atque optime, maiórque profecto quàm illorũ capere ingenia possint, qui secus existimant. Qui facilem quandã dicendi copiam à natura profectã, vel exercitatione comparatã, nulla arte contineri putant, nec desiderare aliquam singularem ingenii facultatem, elegãtiámq; doctrinæ. In qua opinione fuisse nonnullos, & antiquos legimus: & sunt hodie fortasse multi. quorũ hoc maxime loco refutandus est error, ne cum ii nullam esse artem in dicẽdo contendant, nostra hæc artis inquisitio, vel vana prorsus vel inutilis videatur. Atque in primis, quãtum ab antiquis oratoribus teneo, & assequi coniectura possum, vnde error iste manauerit explicandum est. Etenim cum fuerint homines excellẽtes ingenio, naturæ vi quadam sine vllo artificio consecuti vt ornate & copiose quæ vellẽt eloquerẽtur, quod eloquentiæ proprium est, qualem dicebat huius defensorem sententiæ Menedemus Antonium, quẽ inter principes Romanæ eloquentiæ floruisse constat: & cum artis scriptores ii, quos Rhetoricos vocant, cognoscerentur parum in dicendo valuisse, facile à multis est iudicatum, nullã eam prorsus esse artem, cuius expertes magni quidã oratores exstiterint, abundãtes vero, & præceptores nec mediocriter quidem diserti esse potuerint. hincq; ducti sunt Menedemus & Lysias, vt putarent eloquentiã naturæ esse, non artis: quod videlicet

omnibus hominibus etiam imperitis, ac barbaris à natura id insitum intelligerent, quod in se habere composita, atque artificiosa diceretur oratio. Conciliare in primis, & blandiẽdo allicere eorum animos à quibus aliquid impetrandũ foret. Narrare. Postea argumentis instare, & refutare cõtraria. Postremo concludere & deprecari, quod in Epilogis maxime facit orator. Traxit in hanc quoque sentẽtiam Menedemum, Cleanthem, atq; alios ipsius artis descripta vis, & ius vocabuli limitatum: cum dicerent artem esse ab opinione, & varietate seiunctam, non discrepantem à certitudine rationum, ex multis rebus diffinitis & cognitis ad opus aliquod constitutã. In dicendo vero omnia esse incerta & dubia, neque, quod in cæteris artibus conspiciatur, in potestate consistere artificis certũ finẽ. Cum sæpe orator falsis adsentiat, sæpe quod promiserit ipse non impleat. Addunt enim cuiuslibet artificis proprium esse cum suum attigerit finem, id vero eloquentiam ignorare. Nonnulli autem cum huic dicẽdi studio nullam certam putarẽt subiacere materiã, quæ singulis sit artibus attributa, iudicauerunt nulla arte eloquẽtiam contineri, præsertim vero cũ Tisiam, & Coracẽ, & Gorgiam Siculos, primos (vt dicunt) artis authores pleriq; perhibeant sine vllis præceptis in dicendo ingenia exercuisse, vt oratio omnis nequaq̃ videatur ab arte esse profecta quæ ante artes inuẽta cõstiterit. Nec satis est huic pulcherrimæ atque amplissimæ facultati titulum scientiæ eripere, quẽ magni quoque Philosophi, & in primis Aristoteles libris quos de ratione dicẽdi ediderat, inscripserunt, librósq; appellauerunt de arte Rhetorica. Non satis est inquam titulũ hunc, quem Philosophi dant, auferre, nisi insuper eloquentiam cõuicio prosequantur, & dicant eam abundare mendaciis, oppugnare seipsam, & plerunq; opus quod fecit euertere. Ideoque artis eam vacuam, quæ solum vera recipiat, sibi ipsa consentiat, quodq; semel effecerit, perpetua ratione tueatur. Fuere qui nomen artis ab eloquentia subtrahentes honestius eã in virtutum numero collocarent: quod Mnesarchum fecisse apud Ciceronem in Oratore testatur Antonius. Sũt præterea multa in hanc sententiam vana atque puerilia, neque di-

gna quæ magnopere refellãtur. Quibus omissis, his, quæ suprà pro cõtraria opiniõe collecta sunt, suo ordine respõdẽdũ est. fuisse siquidẽ concedo nonnullos, quibus ingenii tanta vis adfuit, & ad orandum tam prõpta ac pene diuinitus infusa natura, vt magnã gloriã in dicendo nulla arte, sed sola freti exercitatione, & ingenio cõsequi potuerint. Cõtra non nego multos in arte præstãtes quos naturæ vis illa destituit nõnullã dicẽdi elegãtiã cõsecutos. Sed velim aliqs hac mihi parte respõdeat, an nõ verisimile sit eos illos incõparabiliter futuros fuisse maiores, si artẽ ad naturã adiũgere voluissent: si illos motus ingenii à natura natos duce arte, ac magistra dirigere studuissent: si deniq; copiã eã dicẽdi ex vsu quotidia no redundantẽ cõformassent, excoluissentq; doctrina. Nam eos qui sola arte laborarũt, nullum elegans genus orationis attigisse non miror. Non propterea tamẽ artem omnino ab oratione segregandã puto, quoniã ita valet ars plurimũ, si ad dicendum apte fuerit adiuncta naturæ. Alioqui sese habenti Rhetoris famã dabit, oratoris dare non poterit. Natura vero ita demũ parit atq; efficit illã ornatã, atque vberẽ illam ve req; magnificã atq; mirabilẽ in dicẽdo facultatẽ, quã nos eloquentiam appellamus, cũ fuerit præsidio artis adiuncta, sine qua in multã laudẽ forte perueniet, & speciem oratoris exhibebit, sed profecto eã quæ in vero oratore quæritur excellẽtiã nõ attinget. Deniq; sic habeto, eloquẽtiã maximã sine arte esse nõ posse, sine natura nullã prorsus existere: verissimũq; illud esse, quod ab eloquẽtissimis viris est traditũ, tria reddere oratorẽ consummatũ, atq; perfectum, Ingenium, exercitiũ, & doctrinam. Quod vero de cõmuni hominum locutionis instinctu argumentãtur Menedemus & Lysias, facile concedendum putarem, si quotidiani sermonis consuetudinem nihil differre ab eloquẽtia iudicarent. Neq; enim nego quod Aristoteles confitetur, omnes quodãmodo participare Rhetorica, & omnes vsq; ad aliquid exquirere, & sustinere sermonẽ, & defendere & accusare conari. Sed altior res est eloquẽtia, & a vulgari sermone remotior: quæ licet plerũq; in ambiguis cõmunibusq; versetur, ea tamẽ proprio quodam ac certo instituto cõtinetur, suis tẽperatur legibus, suo

fine dirigitur,quē ſemper attinget,cū voluerit orator. Nā bene ad perſuadēdū dicere ſemper poteſt,qui finis eſt eius. Nō ignorabit ſe bene dixiſſe cum dixerit: neq; ita falſa recipiet vt ea pro veris amplectatur.Sed vt veriſimilia faciat audienti,quæ omnia artis eſſe etiam mediocriter doctus intelliget. His vero qui nullam eloquētiæ attributā materiā opinantur tātū abeſt vt adſentiar,vt eā præ cæteris artibus vberiore,atq; ampliore vti poſſe materia nō negādū putē. Nam etiam ſi quis eā generibus ſolum his addixerit,quæ ei nemo vnquam eſt conatus eripere,& laudandis vituperandisq; rebus,dicendæ ſententiæ,& forenſibus cauſis adſtrinxerit,& in Senatu forove cōduxerit,materiæ concedat ſatis. At multo plus largietur is qui profeſſum eloquentiā æſtimabit quacūq; de re poſſe ornate,& copioſe dicere,idq; ad oratoris infinitū quaſi officiū pertinere.Et profecto nihil eſt, vel à Philoſophia inuentū,vel ab aliqua alia arte tractatū,deniq; tam alicui proprium diſciplinæ,in quo non poſſit orator ſuo quodā iure verſari. Nam quid tā humile,tā obſcurum,tā à natura reconditum, quod ornatu grauis erigere, & in lucē trahere,atq; illuſtrare non poſſit orator? Quare nullo modo dici poteſt non eſſe peculiarē materiam oratori, qui etiā cæterarum quæcūq; ſit artium facere poſſit ſuam. Eos vero,qui ante prima illa præcepta doctrinæ, vel in populo, vel in foro dixerint,vt nō negauerim aliquid potuiſſe propter ingenii vim fortaſſis, ita nequaquā conceſſerim munus oratorium impleuiſſe.Et ſi aliquando vti mēdacio videatur eloquentia, non eſt, vt Quintilianus ait, turpe: tamē ſi ex bona ratione proficiſcitur,ideoque nec vitium.Nam & mendacium dicere,etiam ſapienti aliquando cōceſſum eſt. Bonarum autem rationū plena ſit eloquentia oportet, quæ ſolius oratoris eſt propria. Nō eſt autē orator,niſi ſit idē bonus: nec ipſa ſe oppugnat, ſed pugnantes inter ſe cauſas ſecū ipſa cōpoſita tuetur,& protegit.Sic ars ſuprema militiæ duobus plerūq; contrariis ducibus vna eſt. ſic aduerſariis gladiatoribus eadē eſt gladiatoria diſciplina. ſic gubernatoribus nauali pugna certantibus vna erit ars nautica. Nec quod fecit eloquentia opus euertit. Eſt enim hoc tertium, quod cum contumelia


obiectũ erat. Nã(vt ait Quintilianus) positum a se argumentum non soluit orator. soluit forte contrarius non est tamẽ, quod ea quæ vtrunq; instruit doctrina dicendũ suum opus tollere videatur. Nam vtrũq; suum est, aut confirmet, aut diluat. Restat nũc, vt Mnesarcho respondeã, a quo virtus quædã non ars eloquẽtia est appellata. atq; vt omnis ipsius quæ est apud Ciceronẽ ab Antonio ĩ Oratore relata, spinosa quidẽ, & exilis oratio relinquatur, qua probare voluit oratorẽ esse sapientẽ, cũ eo teneamus eloquentiam esse virtutẽ: sed sic tamẽ, vt ars esse non desinat. nam & si pleræq; artes sint quæ stare cũ virtute nõ possint, multæ sunt tamen quas virtus amplectitur, atque ex illis multo resultat ornatior: inter quas meo iudicio primũ eloquentia locum tenet. etenim cũ in his rebus potissimũ virtus sit, in quibus homines cæteris animalibus antecellunt, vnde fit vt ponamus in ratione virtutẽ, cur nõ hæc eadẽ erit in oratione, per quam etiã multa animalia superamus? Et si ad omnes virtutes quasi semina quædã, atq; principia dedit natura nascẽtibus, quæ nulla potest extinguere, ac penitus extirpare malitia (Nam & in barbaris, & in omni prauitate corruptis hominibus apparent aliquando quædã quasi simulacra virtutũ, vt in pugnãte sicario fortitudinis similitudo: & in turba latronũ ac piratarũ qui quod vnquã rapuerũt inter se æqualiter partiũtur, imago iustitiæ.) Si inquam ad virtutes omnes à natura mortalibus initia data sunt, & nobis nonnullã facultatẽ, ac stimulos ad orandum pro bonis contra improbos quidã naturales animi motus præstãt, quos vt perfecte id possimus ars perficit, profecto virtus erit eloquentia: ex qua excellens atque perfecta manat oratio. Denique si sunt iidẽ orator, & eloquẽs, Orator autem est vir bonus cum ratione dicendi, cõsequens fit, vt sit eloquens etiam bonus. Erit ergo quæ talem eum facit eloquentia cum virtute. Nam in homine improbo esse poterit diserta loquacitas, & sæpe perniciosa Reipub. Eloquẽtia esse nõ poterit. Quare dubitandũ est nemini, eam vel virtutẽ esse, vel sine virtute esse non posse. Ea itaque, quod dicebã incipiens, magna res est. eius siquidem magnitudinis argumẽtum capit hinc Cicero, quod omnibus eã seculis ra-

ri,Seneca vero,quod integram cōsecuti sunt nulli.Magnum vtrunq;,magnæ cuiusdā ac pene diuinæ facultatis indicium à duobus illis non magnis modo,sed maximis hominibus obseruatū.Et profecto sic est,vt ait Seneca,magna & varia res est eloquentia,neq; adhuc vlli se sic indulsit,vt tota contingeret.satis felix est,qui in aliqua eius parte receptus est. nec minus quod ait Cicero verū est, qui tantæ optimorū oratorū in omnibus ætatibus ac gētibus raritatis, cum in cæteris artibus multi magni excellētesq; fuissent, verissimā causam conatus elicere,Maius est inquit hoc quiddā, q̄ quod homines opinātur,& pluribus ex artibus studiisq; collectū. Quid enim quis aliud in maxima discentiū multitudine,amplissimis eloquētiæ propositis præmiis esse putet, nisi rei quandā incredibilē magnitudinem ac difficultatē? At mea sententia & (vt opinor) omnium si quis vlla ætate,vlla in gente fuit vnquā,qui hoc,quò rarissimi conscenderūt, oratoriū culmē attigerint,Cicero ille fuit,cuius splēdore eloquii cū in omnibus grauis philosophiæ locis emineat, de diis, de fato, de diuinatione,de mūdo, de legibus,de R. P. de senectute, de morte,de dolore corporis,de ægritudine mētis,de perturbationibus animi,de beata vita,de finibus bonorū & malorū, de probationibus stoicorū more sentiētis,de amicitia,de cōsolatione,de laudanda Philosophia,de omni genere officiorum,de ratione dicendi:cum inquam eloquentiæ suæ splendor his locis effulgeat, in orationibus mirum in modum irradiat prorsus ac fulgurat. Nam in illis satis duxit ostendere quàm vir grauis esset ornatusq; philosophus. Qua in re tā exundanti non fuit opus eloquio.In his vero cæterisq; in locis simili ratiōe tractatis, vt Inuectiuis,Verrinis,atq; Philippicis patefecit quantusquāq; mirabilis esset orator. In quo genere cū fuerint sibi hominū animi ad iram, ad misericordiam commouendi, quod eloquentiæ munus est maximū, totis neruis ingenii,omnibus artis vsus est viribus.Ita nihil est his oratoriis operibus elegantius,nihil vberius,nihil ornatius,& præsertim illis orationibus,quas in variis causis, atq; tēporibus egit,vt rerum causarūq; ipsa varietas nō nihil ornamenti videatur adferre.De quibus optime Frater cum

sæpius incidisset vt loqueremur(vt solemus plerũq; de doctissimorũ hominũ studiis,deque omni genere literarũ loqui) legẽtésq; nónunq̃,& artẽ,quæ in eis est acutissima,& copiã, & elegãtiã miraremur,pluries egisse te memini,vt quod occultius esset artis in ipsis inquirerẽ,planeq; detegerem. Nec enim dignũ esse dicebas in re tam artificiosa locũ aliquẽ artis incognitũ præterire.Eos autẽ sæpe altius latere,quàm vt ab homine licet docto,inter legendũ notari possent atq; deprehendi. & certe sic est. Nam id maxime est artis, etiã artẽ non ostentare dicẽdo,sed tegere.Itaq; (vt dici solet) laboriosam mihi prouinciã commisisti. Est enim eas res inuestigare difficile,quas qui inuenit laborauit abscondere. Sed gerẽdus fuit mos voluntati tuæ,fuit & tuis suasionibus obsequẽdum,tibi denique nihil negandum, cum quo amicitiæ iure,quam summa ambo cum auiditate contraximus,omnia mea debent esse communia,vel si ingenii sint beneficia,vel fortunæ. Sed ne procemio tantum quantum operi concedamus,inque eo peccemus,dum de oratoria arte perquirimus,quod ab oratoria arte scimus esse damnatũ,finem faciam si seriẽ prius operis sequentis ostendero. Primo siquidem loco argumentũ singulæ orationis est positum,in quo breuiter tota causa cõprehenditur.Secundo causæ genus inquiro,quod vniuersalius est q̃ status.Tertio naturam ipsius status seu constitutionis causæ discutio. Et ita prius cognito generali,quod particularius est habetur.Est enim ista præstãtior,& naturæ magis accõmodata cognitio.Quarto orationis dispositio inuestigatur,ex qua partiũ orationis ordo, & numerus cognoscũtur.Quinto singulares orationis partes, vt ex arte cõfectæ sunt,quæq; suo loco aperiũtur,& argumẽta,& loci in confirmationibus, & cõfutationibus ostẽduntur.Sexto de elocutione tractatur,quæ est vna pars artis:quo loco exornationes quæcunq; se mihi legẽti semel obtulerũt, assignãtur. Neque enim dicere ausim omnes collegisse.sunt enim pene infinitæ: vixque locus aliquis vacat exornatione:& relegens aliquãdo cognoui aliquas esse præteritas. Etenim fieri vix potest aliter. Nam in re non valde vtili diligentia opus est maxima,quam intenti maioribus præstare

non possunt. Ex omni siquidem arte hoc vnum est inuestigatu fastidiosum, nec multū cognitu fructuosum. ibi enim potissimum acuendæ sunt curæ, vbi conflictatio fit locorū. Tantum tamen exornationum indagini impensum est, vt meo iudicio, pauca frustrasse oculos videantur. Verum quia exornationibus oratorum schemata tropique conueniunt, aliæque figuræ quas grammatici descripserūt: cui exornationi, quod schema, qui tropus, quæ figura conueniat, nō omittendum duxi: sed semel ostendisse contentus, nō quoties de simili exornatione fit mentio. fuisset enim hoc opus inutile, & vanus labor.

ARGVMENTVM ORATIONIS POMPEIANAE, QVAE EST PRO LEGE MANILIA.



CICERO CREATVS PRAEtor Romanus duo persuadere nititur populo Romano, seu Quiritibus, apud quos nūc primum videtur oradi locum, atque aditum habuisse, vt ipse testatur, cum reliquum anteactum tempus vitæ consumpserit in priuatis causis, & amicis defendendis. Sed modo in hac populi, & totius Reip. causa intendit duo. Primum, vt suscipiat bellum contra Mithridatem & Tigranē reges: cum Mithridates hostis Populi Rom. legatum Romanum excruciatū interfecerit, & per totam Asiam mercatores & ciues Romanos interfici iusserit: qui Mithridates cum fuit à L. Lucullo imperatore Romano pulsus è regno, sese contulit ad Tigranem regem, & ipsius fauoribus nationúmq; aliarum recuperauit regnum, & exercitum L. Luculli ad vltimū trucidauit. vt exinde videantur hi reges totam Asiam velle P.R. prouinciam occupare, expulso iam Ariobarzane rege, socio & amico P.R. sic summum adferant Reip. detrimentum. Suadet egregie Cicero, vt regibus illis bellum accuratissime inferatur. Secūdum quod nititur persuadere est, vt scilicet Cn. Pompeius illi bel

lo cum summo imperio præficiatur contra sententiam Q. Hortensii, qui negabat ad vnum Pompeium deferri debere vniuersam belli huius curã & administrationẽ: & negabat dari debere legatũ L. Gabiniũ Põp. ipsum specialiter postulãti, qui Gabinius inuitis Catulo, & Hortẽsio legẽ antẽ Gabiniam promulgarat, qua lege Pompeius præfectus fuerat bello Piratico, vnde famosam illam victoriam reportarat. Cõtra horum sententias Cicero mire perorat, Magnum Pompeiũ non humanis, sed diuinis laudibus extollendo, & nomen eius à rebus quatuor imperatori necessariis commendando. Scientia videlicet rei militaris, virtute, authoritate, felicitate. Quas res summas esse in Pompeio demonstrat. Et arguit etiam pro Gabinio, vt detur legatus Pompeio, & exquisitis rationibus diuina pene ac cælesti eloquentia contraria argumenta confutat.

GENVS CAVSAE.

HAEC oratio est in duobus causæ generibus constituta. Deliberatiuo scilicet & Demonstratiuo. Deliberatiuũ est, quia cum in consultatione P. R. positum videatur, an sit bellum illud Asiaticum suscipiendum an non, Cicero partẽ in hac oratione vnam videlicet affirmatiuam nititur persuadere. Demonstratiuũ est in ea generis huius specie, quæ in laude versatur. Cicero Cn. Pompeium summis ornat laudibus, vt illi bello potissimum præficiatur imperator.

CONSTITVTIO CAVSAE.

FVERVNT qui cõstitutionem in huiusmodi causis non quærendam existimarent: opinati constitutionẽ ad iudiciales tantum materias pertinere. Vnde autem in hunc errorem incidere potuerint miror, cum omnium probatissimorum Rhetoricorum hãc rerum opinionem impugnet authoritas, in quibus Martianus, Quintilianus, & Cicero: & cum præsertim contra eos adeo manifesta sit ratio, vt qui eam non viderint, non errantes modo, sed cæci esse videantur. Nemo etenim eorum dubitat Deliberatiuũ, & Demonstratiuum genus causam continere, & plerasque causas Deliberatiuas, & Demonstratiuas appellari. Si ergo huiusmodi ipsis etiã fatẽtibus causæ sunt, neq; his vllã tribuunt cõstitu

tioné,oportet vt fine ftatu fint caufæ,fine quo caufa effe non poteft.Sed hæc fortaffis ita effe putauerũt,quòd intellexerũt Ciceroné in arte noua cõftitutiones, & partes cõftitutionũ folũ exemplificauiffe fub genere iudiciali,Demõftratiuũ vero,& deliberatiuũ fine cõftitutionũ mẽtione tractaffe. Fecit id auté nõ quod ea duo genera nõ habere fub ipfis putaret, fed quod cõftitutionũ exépla iam pofita reiterare fub illis generibus fuperfluũ iudicaret.Cũ dicat in veteri harũ aliquam in omne caufæ genus incidere neceffe effe. Et parũ infra arguens contra Hermagorá opinantem demonftratiuá ac deliberatiuá fub cõftitutione generis partes effe, dicit,Deliberatiua caufa fimul ex eadé parte eodé in genere, & cõiecturalem,& generalé,& definitiuam, & translatiuá folet habere conftitutioné,& vnã aliquãdo,& plures nõnunq̃. Ergo ipfa &c.& mox fubiungit,Idem in Demonftratiuo folet vfu venire &c. Dicendum igitur in quolibet genere caufarũ cõftitutioné caufæ reperiri.Cũ enim facti cõtrouerfia in omnia tempora conferatur,præfens,præteritũ,& futurũ. Nã vt Cicero inquit in veteri, Quid factum fit poteft quæri hoc modo,occiderit ne Aiacé Vlyffes. & quid fiat hoc modo, Bono ne animo fint erga Remp.Fregellani.Et quid futurũ fit hoc modo,Si Carthaginé reliquerimus incolumé,num quid fit incõmodi ad Remp.peruenturum.Planum eft,quod in his tribus quæftionibus triplex conictura eft,quarum illa quæ præteritũ tempus refpicit,cadit fub genere iudiciali.Nã fcire debemus,vt Victorinus ait,rem nullá in iudiciũ cadere poffe nifi de præteritis. Quæ vero refpicit tépus præfens cadit fub genere Demonftratiuo. In hoc enim themate (vt idem Victorinus ait) Demonftratio continetur. Nam defcribendi nobis funt Fregellani,qui femper videbantur aduerfi. Altera auté quæ refpicit tépus futurũ, cadit fub genere deliberatiuo.Nã deliberat Senatus an Carthagini fit parcendũ. Manifeftum igitur, vt conftitutio coniecturalis fub omni genere inueniatur.Et Cicero in Philippicis caufa deliberatiua,& cõftitutione definitiua orationem habuit contra dicentes bellũ quod gerebatur à M. Antonio contra Remp. tumultum effe,non bellum.Oftendit enim quid fit tumul-

tus,quid bellũ,nec nõ idẽ in Philippicis in genere deliberatiuo,& simul in iudiciali constitutione versatus est,seu legitima ex sentẽtia,& scripto, cũ probare niteretur statuã debitã Seruio Sulpitio,qui legatus missus ad Antoniũ obisset in legatione. Erat enim lex quæ legatis ferro interẽptis statuã decernebat. Volebat autẽ Cicero decerni hũc honorẽ Seruio Sulpitio, quẽ non ferrum,sed legationis labor occiderat. Et Quintilianus libro tertio oratoriæ institutionis capite de laude & vituperatione testatur C. Cæsarẽ vituperãdo Catonẽ in genere demõstratiuo, tribus cõstitutionibus vsum esse,vt Cicero ipse notauerit. Sed cũ in deliberatiuo & demonstratiuo generibus locus nõ sit accusatori, & defensori, quẽadmodũ in iudiciali, quis dicatur intendere, quis depellere, videamus. in deliberatiuo enim genere dissuasor partes accusatoris videtur eripere(vt ait Martianus.) Nã qui honestum vel vtile id quod est dissuadet aut dehortatur, certe ipsum videtur accusare negociũ. Persuasor vero partes accipit defensoris & negocii tractatũ qualibet obiectione cõtrarietatis absoluit. Ex quo dissuasor intẽdere, persuasor depellere dicitur. In demõstratiuo verò laudator vicẽ defensoris, vituperator accusatoris videtur habere. atq; ita illius depulsio, huius propria videtur intẽtio. His vero ita declaratis de statu,seu cõstitutione,dicẽdũ in quo seu in qua est hæc oratio cõstituta. Et primo prout est ĩ genere deliberatiuo, deinde quãtũ spectat ad demõstratiuũ,cõstitutiões causæ aperiamus. Videtur itaq; primo hic cõstitutio causæ esse cõiecturalis, cũ deliberare de euẽtu videatur,& docere omisso atq; neglecto hoc Mithridatico bello quantũ incõmodum sit ad Remp. peruenturum. Et deinde cum orationem prosequitur in laudem Pompeii, magnam adfert futuræ victoriæ coniecturam, si Pompeio commissum fuerit hoc bellum, vt coniecturalis constitutio non immerito possit appellari,quantum hoc genus potest.

RHETORICAE partes in hac oratione.

INVENTIO PRIMA QVALIS sit. Si quis orationem hãc totam bene cõsideret, clare videbit, & intelliget ipsam eleganter in orationis partibus consummatam. Memoriæ ratio non venit hic consideranda,

quia ipsa pertinet ad orationem debentẽ viua voce proferri. Pronunciatio similiter non cõsideratur hic, quæ ad vocem viuam pertinet. sed Dispositio hic est ab institutiône artis profecta in partibus orationis. Primo enim est exordium si ue principium, deinde narratio, deinde diuisio, deinde cõfir matio, deinde confutatio, deinde conclusio, quæ quidẽ partes orationis singulæ sunt considerandæ.

EXORDIVM.

QVANQVAM mihi semper cõspectus vester &c.) Hic incipit orationis exordiũ in quo summatim aliqua con sideranda sunt artificiose tractata. Nam cũ huius genus causæ honestum sit, quia pro salute sociorũ, pro dignitate populi Romani, pro conseruatione prouinciæ, pro honore summi viri habetur oratio, potuisset exordio abstinere Cicero. Quare autẽ exordiẽdum duxit breuiter id pertractat, iuxta regulas suas in arte noua. Est præterea præterquã quod causa honesta sit, in deliberatiuo genere breuiter pertractandum, vt docet ipse in Partitionibus: vbi ait, Illi qui audiunt sunt sua causa parati, vnde non videntur indigere conquisita animorum apparatione, quæ per exordium fit. Itaque breuiter Cicero in hoc exordio exponit, quibus sit de rebus dicturus, quia de laudibus Cn. Põpeii. & q̃ honesta sit causa breuiter etiam dicit, in qua deesse oratio nemini potest. Beneuolentiam eleganter hoc captat exordium, & ab oratoris, & ab auditoris persona, & à rebus ipsis. Ab oratotis persona, cum primo cõmemorat, qualis ipse in R.P. fuerit, & in priuatis hominibus defendendis, laudans sine arrogantia officium suum. Ab auditorum persona colligit beneuolentiã, cũ eorum authoritatem extollit, & ostendit quam in se ipsum be nefici fuerint. A rebus ipsis, cum causam sibi talem oblatã dicit. Et attentos etiam facit, cum se pollicetur habiturũ talem orationem, in qua sit difficilius exitum quàm principium inuenire: quasi per hoc innuat se maxima esse dicturũ. Et quia attentos facit, dociles etiam reddit. nam, vt ipse ait, docilis est, qui attente audit. & sicut visum Tullio hic complexus est exordium breue, sed validum, quod quidem & ad demonstratiuum, & deliberatiuum genus spectat.

NARRATIO.

ATQVE vt inde oratio mea proficiſcatur &c.) Narratio huius orationis hic incipit à Cicerone tractari ſecundũ artẽ. Eſt enim breuis, dilucida, & veriſimilis. Breuis quia vnde eſt neceſſe incipit, nec ab vltimo initio repetit, & ſummatim nõ particulatim narrat, & quouſque opus eſt proſequitur, & trãſitionibus nullis vtitur: nec deerrat ab eo quod cœpit exponere, & quæ prætereunda ſunt præterit, nec bis, aut ſæpius idem dicit. Dilucida eſt, quia vt quidque primum geſtum eſt, ita primum exponit, & rerum conſeruat ordinẽ, & aperit, vt omnibus videantur eſſe res geſtæ. nec perturbate, nec cõtorte, nec ambigue, nec noue dicit, nec in rẽ aliam impertinentẽ tranſit, nec longe proſequitur, nec quid quod ad rẽ pertineat prætérit: & etiã breuis eſt, vnde fit dilucida. Veriſimilis eſt, quia perſonarũ dignitates, cõſiliorũ rationes, oportunitates temporũ cõſtant, quæ omnes res, vt vult Cicero breuem, & dilucidam, & veriſimilẽ faciunt narrationẽ. Et quomodo ſint hæ res in iſta, ſi quis eam diſcutiet apertiſſime videbit. Cũque narratio ſui natura breuis eſſe debeat, maxime cõuenit breuẽ eſſe eam quæ in oratione deliberatiua fit, vt Cicero ait in Partitionibus. ibi enim aut nulla, aut breuis fiat narratio. Conſiliũ ſiquidẽ eſt de futuro, ſed narratio præteritarũ eſt rerũ. Ergo hac nõ vtitur in hac cauſa niſi quantũ ad conſequens factũ faciat, & tunc breuis eſt, vt hic.

DIVISIO.

PRIMVM mihi videtur &c.) Hic incipit Diuiſio, pars orationis magno cum artificio breuiter confecta. Nam vt vides enumerat & exponit ſuccincte de quot, & quibus rebus ſit dicturus, vnde tota vtitur diſtributione, quæ diuiditur in has duas partes, Enumerationem videlicet: quæ non debet pluſquã triũ partiũ numero cõtineri, vt ait Cicero, ſicut hic ab eo fit. & Expoſitionẽ, quæ fit cũ orator res de quibus ſit dicturus exponit breuiter, & abſolute, vt hic apparet factũ. hæ enim tres de quibus ſe dicturũ pollicetur, ſunt tres principales oratiõis partes. Nã ſuper genere primũ belli, deinde ſuper magnitudine ipſius, vt vides, ea omnia cõſtituit, quæ potiſſimũ ad deliberatiuũ genus pertinent. Super parte

tertia, quæ est de duce deligẽdo, refert ea quæ principaliter pertinẽt ad demõstratiuũ genus. Et quãdo diuidendo dixit, Belli genus est eiusmodi, breuiter visus est polliceri se ostẽsu rũ vtilitatẽ suæ sententiæ, tũ quantũ ad tutã, tũ quantũ ad honestam rationẽ, sicut ipse in arte docet diuidi debere orationẽ deliberatiuã, vt sit ista de ratione tuta, honesta. Ad demõstratiuam causam pertinet diuisio. de duce deligendo se dictur ũ spõdet, quia ibi demõstratiuo modo orat. Sic hæc diuisio cõmunis est ad totã orationem, quæ partes principales eius colligit, sed particularibus etiã vtitur diuisionibus locis suis, præsertim in parte tertia, cum orando agit de laudibus Cn. Põ. vbi apparet propria diuisio: quæ tractãda est, quãdo principaliter agitur genus demõstratiuũ. Exponit enim ibi qbus super reb. sit Põp. laudaturus, in oĩbus seruato decoro.

DELIBERATIVA cõfirmatio, in genere belli.

GENVS enim est eiusmodi.) Cõfirmatio in deliberatino genere pertractata hic incipit, de qua aliqua dicẽda sunt, vt appareat quãta ars in hac potissimũ parte versetur: in qua simul & confutatione, de qua post dicetur, totã spẽ vincendi omnẽque persuadẽdi rationem repositã vult esse Cicero. Et quoniã, vt ante dixi, in hac oratione diuersa sunt genera, necesse est, vt diuersæ sint confirmationes, & argumenta, & loci. Aliter enim confirmatur in iudiciali, aliter in deliberatiuo, aliter in demonstratiuo. Primo ergo dicam de confirmatione quæ pertinet ad deliberatiuum genus. post dicam de ea quæ ad demonstratiuum, & tractabo partem cõfirmationis, quæ ad genus belli refertur. deinde eam partem quæ refertur ad magnitudinem belli. Nam & ex genere, & ex magnitudine bellum suscipiendum esse confirmat. nec mirum si in vna & eadem oratione propter diuersitatem generis confirmatio sit bimembris, & diuersa, & vna eius pars ab altera separata. quia etiam in oratione vna, & vnius generis principalis, vt puta in iudiciali, diuersæ sæpe cadunt cõstitutiones, & diuersæ iudicationes, ad quas modus diuersus confirmandi accommodatur, vt Ciceroni placet. & eadẽ constitutione plures rationes & confirmationes rationum & propterea plures iudicationes fiũt. Sed propositũ sequendo perscrutemur diligenter hanc egregiam summi oratoris

confirmationem in hac oratione tractatam. Prima ergo pars confirmationis quæ refertur ad genus belli est vsque ad eum locum, Quare videtur non dubitandum. Vbi incipit conclusio partis ipsius. Cicero orator summus, quod in arte docet fieri hic eleganter exequitur. Docet enim eum qui sententiam dicit in Deliberatiuo genere, debitum sibi finẽ proponere, ad quem omnis totius orationis ratio conferatur. finis is autem est vtilitas. Ad vtilitatem ergo omnis est confirmationis ratio referenda. sed vtilitas ista (vt ait idem) in ciuili consultatione diuiditur in tutam, & honestam. Argumentatur itaque in ista oratione ex parte vtilitatis tutæ, & ex parte honestæ. Ex parte tutæ cum suadet pro instantis, aut consequentis periculi vitatione bellum esse suscipiendũ: cum inesse partem illam tutæ vtilitatis, quæ vis appellatur, docet, significando potentissimos reges toti Asiæ cum magnis viribus imminere, & propter periculum deposci, atque expeti Pompeium ducem, & periculum esse perditionis vectigalium: cum ostendat hic esse partem illam tutæ vtilitatis, quæ dolus siue consiliũ appellatur, quod versatur in ratione pecuniarũ, pro quibus hic magnã mẽtionẽ & curam agit, nulli dubiũ esse potest quin ex parte vtilitatis tutæ elegãtissime cõfirmet. Nũc qualiter cõfirmet ex parte vtilitatis honestæ videamus, & primo ex ea parte quæ cõtinet partes recti, videlicet prudentiã, iustitiam, fortitudinẽ, & modestiã. Et primo ex parte prudentiæ, cui dubium est quin cõfirmet eleganter, cũ ostendat vectigaliũ perditorũ incõmoda quanta sint, quantaq; ipsorũ conseruatorũ sint cõmoda: & subinde cohortatur, vt declinatis incõmodis cõmoda consequantur: vt eorũ sapientiæ propriũ dicit, vt videatur calamitatem ciuium à calamitate Reip. seiunctã esse non posse, quæ argumẽta de ratione prudentiæ ducta sunt. deinde argumẽtatur ex parte iustitiæ, cũ suadet salutẽ amicorũ Pop. Rom. omni studio defendendã. Cũ demõstrat vlcisci malemeritos oportere, Mithridatẽ scilicet, & Tigranẽ, qui multa dedecora, & iniurias intulerunt, vt patet. quæ argumẽta ducta sunt de ratione iustitiæ. Deinde ex parte fortitudinis, cũ multis in locis ostendit propter gloriã, honestatẽ, & dignitatẽ Reip. adeũda esse belli pericula: & labores, quod fortitudinis propriũ

est. Et ex parte modestiæ, cum cæterorum quos mittebāt in prouincias, cupiditates, & flagitia detestatur: quibus vitiis vt finis fiat cum calamitatibus sociorum, mitti suadet Cn. Pompeiū. Particula tamen ista magis conuenit Demōstratiuo, quod genus postea plane pertractat. In quo sane genere orationem postea agit. particulam tamen hic ex eo genere Demonstratiuo breuissime, vt conueniebat, inseruit. Sic vt vides egregie confirmat hic Cicero, omnia ad finem debitum referendo, & ad vtilitatem tutam & honestam. Verum quia diuisa honesta res est, & in rectum, & laudabile, & clare monstrauimus qualiter confirmarit, ab omnibus partibus prudētiæ, iustitiæ, fortitudinis, & modestiæ: restat vt de parte laudabili dicamus, non quòd res aliqua honesta possit esse, quin sit ipsa potissimum hac ratione laudabilis, sed vt Cicero noster ait, in dicendo tamen seorsum tractandum est hoc laudabile ab illo recto. Neque enim solum laudis causa rectum sequi conuenit, sed si laus consequitur duplicata est recti appetendi voluntas. Separatim ergo Cicero demōstrat præterquam quod bellum Asiaticum suscipi rectū sit, etiam laudabile, quoniā dicit Romanos appetentes gloriæ, & auidos laudis præter cæteras gentes esse, & ob id delendam esse maculam Mithridatico bello superiore susceptam, vt turpis commemoratio detineatur, & consequēs sit honesta, quod honesti laudabilis proprium est. Et cū eos ad maiores imitandos in gloria, & dignitate, & ad conseruandum gloriam relictam ipsis à patribus, & cum ad socios & ciues conseruādos pro honore Reipub. summis aculeis nititur inflāmare, quid aliud vult quàm Quirites admonere, & incitare ad honestum laudabile conseruandum, & ampliandum? Sic apparet quomodo in ista prima confirmationis parte, quæ loquitur de genere belli, Cicero vtilitatem tutam, & sub ea vim, & dolum siue cōsilium partis tutæ: & honestum, & sub ea rectum partésque recti, prudentiam, iustitiam, fortitudinem, & modestiam, & secundam honestæ rei partem, laudabile, orando ex arte sit complexus.

EPILOGVS Confirmationis præcedentis.

QVARE videte num dubitandū &c.) Hic est Epi-

logus huius primæ partis Confirmationis,quæ est de genere belli. Vbi notandum est,quod est illa pars quam quidam volunt poni posse post nonnullas orationis partes,sicut locis quatuor vti possumus Epilogo,ex lib. 2.de Inuent.Cic. capite de Conclusione, cum ait, Quatuor in locis vti possumus conclusionibus,scilicet in principio,secundum narrationem,secundum firmissimam argumentationem,in conclusione. Alii vero volunt neque hæc esse verba, neque sententiam Ciceronis,sed addititia ab his qui contrà opinantur,& Ciceronem ipsum oppositum dicere paulopost, eodẽ capite vbi de ista conclusione loquens sic ait,In qua curandum est,aut ne ab exordio, aut à narratione repetatur enumeratio orationis.ficta enim, & dedita opera cõparata oratio videbitur esse, artificii significandi ingeniique venditandi,& memoriæ ostentãdæ causa:quapropter initium enumerationis sumẽdum est à diuisione. Deinde ex ordine exponendæ res sunt,quæ tractatæ erunt in cõfirmatione,& cõfutatione.hæc ille.& hæc videntur priori esse contraria. Sed quicquid de hoc sit,ad alium dicendi locum pertinet.Nam hic non docemus ipsam artem, sed quomodo ars in Tullii orationibus cõsummata est.Conclusio autem siue Epilogus est hic post confirmationem,& argumentationem firmissimã collocata,quod fieri posse immo debere dubitat nemo. Et cum huiusmodi conclusio constet ex enumeratione, amplificatione,& cõmiseratione,hic vtitur enumeratione,quæ hic videtur idonea, & quæ valet ad reformandam in dictis memoriam auditoris. Breuissime siquidem propositum suum concludens colligit in generali res, de quibus verba facit confirmando. Nam cum argumenta fecerit ad suscipiendum bellum pro cõseruatione gloriæ nominis Romani,pro salute sociorum,pro maximis vectigalibus cõseruandis,pro fortunis plurimorum ciuiũ vnà cum R. P.defendendis: ea nunc argumenta in confirmando dispersa recolligit,& pro his admonet auditores generaliter,& succincte,quod huiusmodi Epilogi proprium est.

CONFIRMATIO deliberatiua ex magnitudine belli.

QVONIAM de genere belli dixi &c.) Hæc est pars

Confirmationis pro genere deliberatiuo, quæ arguit ex belli magnitudine. hanc itaq; partem Confirmationis breuiter perscrutemur. In hac enim arguit Cicero ex parte vtilitatis tutæ tantummodo, & ex parte quæ vis appellatur: quod clare liquet cum narratione historiæ inserta, quomodo res fuerit à L. Lucullo administrata, & quomodo nunc se haberet. Ex magnitudine adaucti belli periculũ eius ostendit, vt persuadeat instantis, aut consequentis periculi vitationem. Et quoniam (vt ait ipse in arte noua) vis decernitur per exercitus, classes, arma, tormenta, reuocationes hominum, & alias huiusmodi res, & in hac confirmationis parte ex facti narratione ostẽdit copulationem regum, nationũ, & exercituũ, apparet quomodo ad tutam vtilitatem, quæ in vi consistit, referat argumenta.

EPILOGVS partis immediate præcedentis.

MVLTA prætereo consulto &c.) Hic est Epilogus partis huius immediate præcedentis, in quo quàm elegãter Cicero repetat concludendo belli periculũ & magnitudinẽ, facile apparet intuenti orationem in hac parte.

BREVIS Epilogus totius superioris Confirmationis.

SATIS MIHI multa &c.) Hic est Epilogus totius confirmationis superius pertractatæ, in quo breuissime etiã concludit Cicero generaliter quæ superius in argumẽtis visus est persuadere: necessitatem scilicet belli suscipiendi ex ipsius genere, periculum ex magnitudine, propter quod periculum ostensum vult, vt non solum suscipiatur hoc bellum, sed vt fortiter, & accuratissime administretur: quæ suasio sibi deseruit ad aliud quod intẽdit, scilicet vt eligatur Cn. Pompeius, quẽ ostendit supra cæteros homines scire, & posse fortiter, & accurate gerere, vt infra apparebit.

CONFIRMATIO Demonstratiua.

RESTAT VT DE Imperatore &c.) Hoc est Ciceronis in hac oratione secundum propositũ principale loco tertio in diuisione sua positum, & hic intendit exquisitis rationibus confirmare, vt isti bello, quod suasit, Cn. Põ. potissimum præficiatur imperator: & ob hæc laudibus sum

mis ipſum ornat:adeo hæc pars tota ſit demonſtratiui generis, & iſta demonſtratiua confirmatio eſt vſque ad eum locū qui incipit, Quare cum & bellum:vbi poſt incipit concluſio tam pertinens ad genus demonſtratiuum, quàm ad deliberatiuum ſuperius pertractatum. Volens itaque Cicero Cn.Pomp. P.R.tam excelſis laudibus commendare,repetita breuiſſimæ diuiſionis generalis parte tertia quaſdam paulopoſt ſpeciales diuiſiones ſubiunxit, vt debuit. Nam cum nouum dicendi campum, & quaſi nouam materiam ingrediatur, Cn. Pomp.ſpecialiter laudaturus,nouis & particularibus diuiſionibus ſpecialiter pertinentibus ad genus demonſtratiuum vti debet: quod facit, cum exponit ſuper quibus rebus imperatori videlicet neceſſariis,ſit Cn.Pomp. laudaturus:quibus rebus expoſitis, ab omnibus ipſum laudat,ſciētia videlicet rei militaris,virtute,authoritate,felicitate.& eſt tota ſecundum mirabilem artem Tullii hæc ordinata laudatio. Nam cum poſſit eſſe laus rerum externarū,corporis, ac animi, vt ipſe ait Tullius in Rhet. ſumme ipſum Pom.à rebus laudat externis,cū de ipſius felicitate, & educatiōe glorioſa ſub parte cōmemorat. Res iſta & ſimilia bona exteriora ſunt homini, ſed omiſſis his laudibus veniamus ad illā quæ homini ſumma eſt laus,& quæ ducitur à virtutibus animi,à quibus Pōp.extollit Cicero,nō vt hominē, ſed vt deū.laudat enim ipſum mirabiliter à ſciētia rei militaris, & in omni bellorū genere exercitatū prædicat.laudat ipſum mirabiliter à virtute,& labore in negotiis, & fortitudine in periculis,induſtria in agendo,& conſilio in prouidēdo.laudat ab inocētia,fide,tēperātia,facilitate,ingenio, hūanitate: quæ laudes animi propriæ ſunt.laudat ab authoritate, quæ cū ex virtutibus comparetur, videtur ad animū pertinere.& quō laudes iſtæ ſint ſummæ & excelſæ,in oratione reperies.

EPILOGVS Confirm.deliberatiuæ & demonſtratiuæ.

QVARE cum & bellum &c. Hic eſt Epilogus generalis totius confirmationis tam deliberatiuæ, quàm demonſtratiuæ:in quo epilogo Tullius propoſitum ſuum concludens recolligit generaliter & ſuccincte ea quæ ſuperius late tractauit, adiungendo & facilitatem oblatam, cum

Pompeius accipere, facile possit exercitum pro Repub. defendenda, vt hoc bellum diis ducibus Pompeio committatur. Et sic quod i arte docuit, hic exercet egregie. Dicit enim vtendũ esse enumeratione ad exitum causæ. itaq; hæc in fine præcedentis cõfirmationis eleganter enumerat, & necessitaté belli, & magnitudiné ipsius, & virtutes eximias Põp. & sic concludit, vt dixi facilitate coniũcta, cum etiá dicat Cicero in causa ista conclusionibus breuibus esse vtendũ, hoc ipsum exercet egregie in parte illa, Et quisquá dubitabit, qui huic tantũ bellum &c. & ibi, Et quisquá dubitabit quin virtute perfecturus. In his duobus breuibus illis conclusionibus vsus est, quas ego in aliarũ numero nõ signaui, cum mihi non multum principales sint visæ, sed sic breuiter ad quasdam particulas interiectæ. CONFIRMATIO.

ATENIM vir clarissimus &c.) Confutatio contra Q. Catulum, & Hortensium est vsq; ad eum locũ, Quæ cum ita sint &c. vbi post incipit, Ergo generalis orationis interiectæ sunt etiá cõclusiunculæ, siue epilogi, ad partes in hac cõfutatione positas. ibi videlicet, Quare nolite dubitare &c. ibi iuxta principalem conclusioné, Quare videte &c. Quomodo ergo hæc confutatio pertractetur, & quibus argumentis & rationibus aduersariorum, intelligenti facile est videre. Mei auté propositi est literá non exponere, & secundum rationé exponẽdi diuidere, quod est officiũ cõmentátis. ego enim quod possum artis exquiro, nõ expono rationé. Sufficiat ergo ad confutationé. Tu quæ arguméta confutet, intelliges statim oratione perspecta. Et licet hic sit illa confutatio separata, tamen etiam multa sunt per orationé dispersa, quæ sunt de ratione cõfutationis, vt argumenta multa quæ fieri consueuerunt contra tacitas interrogationes, & etiam cõtra expressas. Etenim qui aliena confutat, sua valde confirmat, vnde fit vt sæpe confirmemus, & confutemus simul, hoc est in confirmatione confutationis particulas inducamus.

CONCLVSIO ORATIONIS.

QVAE CVM ita sint &c.) Hic est cõclusio generalis, & sexta pars orationis, quæ est artificiosus terminus ipsius, in qua Cicero pro tota oratione concludit approbando le-

gem C. Manilii, quam ferre nitebatur de bello præficiendo Pōpeium. Eam ergo legē vehemētissime cōprobando cōcludit generaliter se laudaturū suscipi bellum, & Pōpeium præfici in imperatorē, propter quæ duo oratio tota facta est; & dicit magna cum arte, summo cū ingenio, se sic orasse tantūmodo causa R. P. & deos adducit testes, vt populus omni alia suspitione liberatus, orationi & voluntati suæ facilius adquiescat. & sic de huius orationis partibus breuissime dictum sit.

ARGVMENTATIO.

NVNC RESTAT vt de argumentatione, quæ licet non sit vel pars principalis vlla artis, vel instrumēti artis, tamen in partibus instrumēti, hoc est in confirmatione & confutatione, tractatur. vnde ipsius regulas tradens Cicero post exactas has partes loquitur de ipsa in arte. Restat inquā ergo de argumentatione huiusmodi aliquid nunc inserere, vt ex hac volenti argumentationes inuestigare, quæ in orationibus crebræ sunt, modus sit facilior cognoscendi, & sit quidē hic in cōfirmatione ad genus belli pertinēte perfectissima, distributa in partes quinq;. videlicet propositionē, rationē, confirmationē, rationis exornationē, & cōplexionē, vt clare apparet. Nā propositio incipit in principio primæ partis deliberatiuæ, per quā summatim ostēdit, quid sit quod probari velit ex genere belli arguēdo. probare siquidē vult genus id esse belli, quod animos Romanorū maxime incitare & inflāmare debet. Et est hæc propositio ab eo loco qui incipit, Genus est enim huiusmodi &c. vsq; ad particulam subsequētē, Scilicet tradita est &c. vbi incipit ratio quæ demōstrat verū esse id quod intendit breui subiectione. Nā cum tradita dicat, & agatur salus sociorū, cum agantur certissima, & maxima vectigalia, & cum agantur bona multorū ciuiū, non est dubiū quin verū appareat, quod intendebatur. ET QVONIAM semper appetētes laudis &c.) Hic est cōfirmatio rationis, quæ pluribus argumentis fulcit breuiter expositā rationē. Nam hic apparet quomodo eam valde firmat per multa argumēta, quæ hic ponuntur vsq; ad eū locum, qui incipit, Sed vestri imperii dignitate atq; glo-

ria &c. vbi est exornatio, qua vtitur rei honestandæ & locupletandæ causa, confirmata argumentatione: honestat enim & auget, & exornat causam suã, & rationem cõfirmatã comparando, & inducẽdo exẽpla maiorum, & de periculis & imminentibus incõmodis admonendo. QVARE videte num dubitandũ &c.) Hic est cõplexio argumentationis, quæ cõcludit breuiter colligẽs partes argumẽtationis. Nam colligit, incũbẽdũ esse omni studio ad bellũ illud: & sic repetita est propositio, & etiã partes reliquæ argumẽtationis collectæ sunt per verba sequẽtia. Nec enim cõuenit ista particula quæ est cõplexio argumẽtatiõis alio etiã loco signata pro epilogo primæ partis cõfirmatiõis. Quoniã cũ argumẽto cõfirmatio mera sit argumentatione, siquidem confirmamus, poterit esse & Epilogus confirmationis ipsamet complexio argumentationis.

DE ELOCVTIONE.

VLTIMVM est vt videamus de reliqua parte Rhetoricæ, quæ Elocutio nominatur, quomodo in hac oratione sit illustris, & splẽdida. Et primo de genere elocutionis cõsiderandũ est. Cũ enim in Elocutione tria sint genera, tres figuræ, tres styli, grauis scilicet, mediocris, & attenuatus: hæc insignis elocutio in graui est, & altissimo stylo confecta: quoniam constat ex verborũ grauium magna ornataq; constructione, & res habet quas omnis perfecta elocutio habere debet, scilicet elegantiam, cõpositionem, & dignitatem, quarũ rerum primã in rectissima latinitate, & clarissima explanatione considerabis. Secunda etiam nota est, quia vitia illa cessant, quæ ipsam impediũt, cum partes omnes sint æqualiter perpolitæ. Tertia similiter est quæ dignitas appellatur, quæ consistit in sententiarum, & verborum exornatione, de quibus hic accuratissime videndum est, vt hæ scilicet sint exornationes in hac oratione dispersæ, ipsi orationi elocutionis dignitatem amplissimam, & suauitatem dulcissimam adferentes. Dicit tamen Cicero in Oratore, in laudando Pompeio temperata oratione ornandi copiam fuisse persecutum, quod est cõtra id quod supra dicitur, hãc scilicet orationem esse in altissimo stylo cõfectam. Sed illi eloquẽtiæ principi,

& quasi diuino homini Ciceroni visum fortasse fuit hoc tẽperatum, & mediocre dicendi genus, quod omnibus videtur altissimum. Et mea quidem sententia omnes eius orationes in supremo sunt stylo, licet aliquãdo particulæ in ipsis temperatius, & humilius exprimantur ratione materiæ id exigentis, vt est in Miloniana illa simplex mutatio Milonis, & vxoris suæ comparatio, ibi, Calceos, & vestiméta mutauit &c. Totum enim eum locum non solũ temperate, sed humiliter tractat, & sic in aliis orationibus sæpe facit.

COLORES.

MVLTO iucundissimus &c. Hic est color qui dicitur, Similiter cadens. plura enim similiter iisdem casibus efferuntur, videlicet iucundissimus, amplissimus, ornatissimus. Conuenit cum schemate homœoptoto. Bithyniæ quæ nunc vestra prouincia est &c.) Color, qui dicitur Dissolutũ. hæc enim particula narratiua coniunctionibus verborũ sublatis è medio, partibus separatis effertur, vt vides. Potest etiam notari color ille sententiæ, qui Breuitas appellatur, ipsa tamen verbis necessariis expedita. Vt Dissolutum est, conuenit cum schemate Dialyto, & Asyntheto: vt autẽ Breuitas, conuenit cum schemate Brachylogia.

CAVSA QVAE sit videtis &c.) Transitio. hic enim cum ostẽdat breuiter quod dictum sit, proponit item breui, quod consequatur, cum dicit, Nunc quid sit agẽdum considerate. EXCITARE ATQVE inflammare &c.) Trãslatio est. Trãsfertur enim hoc verbum ad animum, & recte, augendi causa. AGVNTVR certissima populi Rom. vectigalia &c.) Repetitio. sumitur enim bis principium ab vno & eodem verbo. potest etiam Dissolutum notari, quia dictiones dissolute proferuntur, vt agitur, aguntur. vt est Repetitio, conuenit cum schemate Anaphora. REGNAT, vt regnat &c.) Cõduplicatio. est enim ratione amplificationis eiusdem vnius verbi iteratio. vt enim ait Cicero in Rhetoric. vehementer auditorem commouet eiusdem redintegratio verbi, & vulnus magis efficit in contrarium causæ, quasi aliquod

telum sæpius perueniat in eandem partē corporis.Ipso itaq; colore oportune hic vsus est, vbi magis animorum cōmotio expediens videatur.Cōuenit cum schematibus Anadeplosi,& Epanalepsi. MAIORES nostri &c.) Contentio sententiarū,cum interrogatione permixta.hoc enim modo interrogatio sententiæ cōtrariæ ex cōparatione refertur vsque ad locum qui incipit,Videte ne vt illis &c. Potest & esse color Contrarium.nam hic ex rebus duabus diuersis alteram breuiter,& facile confirmat.potest & Repetitio cōnotari,propter reassumptionem istius pronominis,vos: & Exemplum,propter allegatam maiorum authoritatem , vt vel Contentio,vel Contrarium est.Si venit)Antitheton:vt autem Exemplum est,conuenit cum tropo Paradigmate.

REGNO expulsus est Ariobarzanes &c.) Hic est color Dissolutum . plures enim orationes sine coniunctionibus proferūtur vsque ad locum illum,Eiusmodi in prouinciam homines &c.vtque videre licet,quoniam hæc exornatio acrimoniam habet in se , ea loco idoneo vsus est Cicero cupiens populum Romanum ad iracundiam incitare.

TANTAM temperantiam &c.) Hic est Articulus grauis.Plures enim dictiones incopulate proferuntur,videlicet temperantia,mansuetudine,humilitate. Cōuenit cum schemate Dialyto,vel Asyntheto,quemadmodum cōuenit Dissolutum. QVAE SI propter socios.) Hic est color Contrarium.ex rebus enim duabus diuersis atque contrariis alteram breuiter,& facile cōfirmat.In hac exornatione semper includitur argumentum per locum à maiori, vel à minori,& est exornatio efficax ad breuiter concludendū. per hanc ergo hic egregie infert Cicero,quod intendit . Potest etiam hic color Exemplum denotari,propter maiorum allegatam authoritatem : & Articulus est ibi,Cum Antiocho,Philippo &c. propter dictiones sine copula prolatas. Itaque tres colores denotantur vsque ad eum locum,Præsertim cum de maximis. TAMEN pecora reliquuntur &c.) Hic est color Disiunctio.Nam hic eorū de quibus dicitur,vnumquodque certo verbo concluditur. Est etiā Dissolutum,quia vsque ad eum locum,Ita neq; ex portu &c.ora-

tiones plures sine copula proferuntur:nec conuenit in eadem constructione exornationem vtranque comprehendi. vt Disiunctio est,conuenit cum schemate,quod Hypozeusis dicitur. QVO tandem animo &c.) Hic est color interrogatio:quæ cum sit grauis & concinna,subdit inferius, quæ propositum suum confirment,ibi,Cum duo reges &c. vt in textu Ciceronis. ETENIM si vectigalia &c.) Hic est color Conclusio.breuiter quidem conficit,quod necessario consequatur, hoc est ordinem exercentium vectigalia recte dicit firmamentum ordinum cæterorum.conuenit cum schemate,quod Epilogus dicitur. IN QVO gloria nominis vestri &c.) Hic est color Frequentatio. Nã res dispersæ coguntur vnum in locum.Superius enim cõfirmauit bellum accipiendum propter gloriam nominis Romani,salutem sociorum,vtilitatem vectigalium,fortunas plurimorum ciuium,& dignitatem R.P. Et argumenta ista dispersérat,quæ modo colligit in epilogo præmissæ confirmationis.Hæc autem exornatio quæ Frequentatio dicitur valde est ad naturam conclusionis accommodata, vbi strictim colligũtur,quæ fuerint late præmissa.Immo epilogus, & frequentatio re eadem sunt,sed differunt secundum appellationem Græcam,& Latinam,& schema Epilogus sic conuenit cum Frequentatione,quemadmodum cum Cõclusione.Potest etiam hic color Articulus denotari,quia plures dictiones sine copula proferuntur, vsque ad eum locum, Quare de genere belli &c. QVONIAM de genere belli &c.) Transitio.ostendit enim breuiter, vel quicquid sit dictum proponit,item breui quid cõsequatur,vt per hanc exornationem commoneat quæ antedixit,& ad reliquum cõparet auditorem:quæ duo hæc perficit exornatio, vt ipse Cicero testatur. QVVM L.Lucullus virtute &c.) Articulus,cum dictiones hic aliquæ proferantur dissolute, vt virtute,assiduitate,cõsilio &c. PRIMVM ex suo regno sic Mithridates &c.) Similitudo.traducit enim aliquid simile ex re dispari similitudinẽ faciẽs,de fuga mulieris ad fugã regis ante oculos ponendi causa per collationẽ,cũ fuga per omnia cõparetur ad fugã. vel hic potest color Exẽplum

designari,quia est propositio facti cuiuspiam cum nomine authoris,cũ de Medeæ fuga mẽtionẽ facit. Couenit cũ tropo,q̃ dicitur Homœozeusis,& propriis suis speciebus, Icone videlicet & Parabola. HIC IAM plura non dicã, &c.) Significatio.nã plus in suspitione relinquit, quàm ponatur in oratione,cum loquitur de maturo reditu militum Romanorum,& est significatio per ambiguũ. potest enim accipi in varias sententias,quod dicit de maturo horum reditu ab eis quæsito.vel potest hic color Occupatio denotari,cum dicit se plura non dicere etiam,tamen subiũgit fuisse extraneũ, vt his locis reditus magis maturus quam progressio lõgior à militibus quæreretur.Vt Occupatio est,cõuenit cũ tropo,qui Aposiopesis dicitur : sed magis proprie, quoniam est significatio per Abscissionem. SINITE hoc loco Quirites &c.) Occupatio.nam cũ dicat se præterire velle calamitatem R.P.eam maxime dicit, adferens causam fuisse tantam,vt eã ad aures L.Luculli imperatoris non ex prælio nuncius,sed ex sermone rumor adferret.

MVLTA prætereo cõsulto &c.) Et hic est Occupatio.nã subiũgit,quod præterire se dicit. QVANTVM videlicet bellum.quod coniungant reges potentissimi &c.) Dissolutum.plures enim orationes sublatis è medio verborum coniunctionibus efferuntur,vsq; ad eum locũ,Satis mihi multa &c.est hic præterea color Frequẽtatio. Nã res dispersæ superius vnũ hic in locũ colligũtur.superius enim disperse mõstrauerat belli magnitudinẽ ex regũ potẽtissimorũ cõiũctione:& quia id nationes agitatæ renouẽt,& quia gentes integre suscipiant, & quia vetere expulso exercitu nouus bellũ id imperator accipiat.Et modo per hanc exornationẽ hæc oĩa simul cõcludit. SATIS mihi multa &c.) Trãsitio.Nã ostendit breuiter quid hic sit dictũ,& proponit breuiter quid consequatur,& hoc agit vsq; ad eũ locũ, Vtinam Quirites &c. ANTIQVITATIS memoriã &c.) Hic est color Denominatio.Nã res nõ est suo vocabulo appellata,cũ intelligatur superasse hoĩes, qui antiquitatis memoria celebrẽtur.Couenit cũ tropo q̃ dicitur Metonymia. Sciẽtiã rei militaris &c.) hic est color articulus.nã dictiones

hic plures sine copula proferũtur, videlicet sciẽtiã rei militaris, virtutẽ, authoritatẽ, felicitatẽ &c. QVI è ludo, atque pueritia, disciplina &c.) Repetitio ex pronomine qui. QVI sæpius cũ hoste cõflixit.) Dissolutũ. Nã orationes plures sine cõiũctione proferũtur vsq; ad eũ locũ cuius adolescẽtia &c.) Ciuile Aphricanũ &c. Hic color articulus propter nõnullas dictiões icopulatas. Labor in negociis, fortitudo in periculis &c. hic itẽ est color articulus, est etiã similiter cadẽs, & similiter desinẽs, cũ aliqua nomina, & verba similiter terminãtur. vt est similiter desinens, cõuenit cũ schemate homæo teleuto. TESTIS est Italia &c.) Repetitio est. CINCTAM periculis &c.) Trãsitio ornandi causa. AVT ab omnibus imperatoribus vno anno, aut omnibus annis ab vno imperatore Romano confici posse &c.) Hic est color cõmutatio. Nã hic sentẽtiæ ex transitione efferũtur, vt à priore posterior cõtraria priori proficiscatur. cõuenit cũ tropo, qui Antimetabole nominatur. FVIT hoc quõdã fuit &c.) Cõduplicatio in verbo fuit, ratione amplificationis. QVID ad nos cũ ab exteris nationibus &c) Subiectio, vsq; ad locũ, Atq; hæc qua celeritate. Quærit enim quid dici possit: deinde subiecit, quod sibi adiumento futurũ sit. Cũ probata molestia quàm à prædonibus patiebãtur, ostẽdit eã Cn. Põpeii virtute remotã, cõuenit cũ catapro lepsi. Siciliã adiit, Aphricam explorauit, sed Sardiniam cũ classe venit &c.) Breuitas, similiter cadens, Dissolutum.

EXTREMA hyeme apparuit &c.) Similiter desinẽs, & dissolutũ. QVIBVS in rebus tẽperantiã &c.) Articulus. NOMINO neminẽ &c.) Hic est Agnominatio literis cõmutatis. cõuenit cũ schemate Prosonomasia. NON auaritia ab instituto &c.) Articulus, & Similiter cadẽs, vt planũ est. NVNC deniq; incipiũt.) Repetitio, aduerbii nũc. ITA que nõ sum prædicaturus &c.) Occupatio, ea se dicit nõ prædicaturũ, quæ breuiter post subiũgit. NON modo ciues adsenserint.) Et hic Dissolutũ propter has rationes incõiũctas. est quoq; disiũctio, quoniã ciues, socii, hostes certis singulis verbis cõcludũtur. QVARE cũ & bellũ ita sit necessarium.) Hic est color Frequẽtatio. res enim su-

perius difperfæ breuiter hic coguntur, vſq; ad illum locum, Quod ſi Cn.Pompeius. IN quo ſit eximia belli ſcientia &c.) Articulus propter aliquas dictiones diſſolutas.

VT IN his ipſis locis. Repetitio in verbo, vt itē diſſolutū. HONORIS, fortunæ, virtutis, ingenii.) Articulus. QVID tum per deos immortales &c.) Interrogatio. CVM populi Romani legati &c.) Repetitio.

ITAQVE vna lex &c.) Articulus. GABINIO dicam Pompeio &c.) Hic dubitatio. Nam hic quærere videtur, vtrum ſic potiſſimū obtrectatum cōueniat, cum ita ait, Vtrum ille qui poſtulat &c. Hic eſt iterū dubitatio vſque ad eum locū, De quo legando &c. quare videtur vtrū de his potiſſimum dicat. NON dico hoc loco &c.) Repetitio in aduerbio non: Diſſolutum, propter orationes ſine coniunctione prolatas: Occupatio, cū dicat ſe non dicere, quod maxime dicit. IDEM cum in Iugurtha &c.) Repetitio & Articulus. SINGVLARI innocentia, grauitate, virtute &c.) Articulus & Diſſolutum. NOVERVNT enim ſociorum &c.) Diſſolutum eſt. MANVS, oculos, animum &c.) Articulus eſt. ET quam putatis authoritatem.) Coniunctio eſt. EST vobis author &c.) Repetitio verbi eſt. INTEGRITATE, virtute, conſtātia &c.) Articulus. QVICQVID ineſt.) Repetitio eſt.

STVDII, conſilii, laboris &c.) Articulus. AVTHORITATE, fide, conſtantia &c.) Articulus.

ARGVMENTVM ORATIONIS MILONIANAE.

TITVS Annius Milo ciuis Ro. ſibi infeſtiſſimū, & inimiciſſimū Ro. ciuem P.Clodium habuit, multæq; inter hos altercationes in Rep. ſæpe fuerunt: præcipue vero cum Milo conſulatum illius anni peteret, cuius anni præturā P.Clodius adfectabat, adeo ira, & odio flagrabat, vt Milonis competitores modis omnibus quibus poſſet iuuaret, ad hoc vt Milone repulſo eum Conſulatum alii conſequerentur. Nam (vt dicit Cicero) non potuiſſet abuti Prætura, vt cupiebat Cos. inimico ſuo Milone, qui eius furores, &

rabiem compressisset. Itaq; summo studio nitebatur, vt Milo eo anno Consul non fieret. quod non videns se vllo modo obtinere posse, sed Milonem opinione omniũ Cõsulẽ m esse futurum, statuit, si Ciceroni credimus, Milonem ipsum occidere, & ita res gesta fuit. Clodius enim ex vrbe recessit antequam Milo, & ad quandam suam villam accessit in Albanum, vnde vesperi rediens versus Romam obuiauit Miloni in via. Ibat enim Lanuuium Milo ad prodẽdũ ibi Flaminẽ. Nam erat illius loci Dictator: & ibat Milo penulatus in rheda, cũ vxore, ancillis & pueris. Veniebat Clodius expeditus in equo cum electa manu virorum. Itaque inter eos ante fundum Clodii in via Appia congressio fuit (vt dicit Cicero) factoq; in Milonem impetu à Clodianis, illo certamine fuit Clodius interfectus. ob quam cædem accusatus est Milo, & a fautoribus Clodii xpetitus ad pœnam, quod cõtra leges hominẽ interfecerit. Milo non negabat occidisse, sed iure se occidisse. Decreuitq; Pompeius, vt de morte Clodii quæreretur. Quare ab eo ex cunctis ordinibus electi sunt iudices, qui in hac causa iudicarent, Pompeiusq; ipse armatis cohortibus forum cõpleuit, ne forte in tanto iudicio vlli populares motus exorirẽtur. Cicero ergo Milonis amicissimus, inimicissimus Clodii, pro Milone orationẽ hãc habuit insignem, & summo artificio singularem.

GENVS CAVSAE.

HAEC insignis oratio est in iudiciali genere constituta. habet enim hæc causa accusationẽ cum defensione. Nã accusatus Milo, quòd iniuria Clodiũ occidisset, hac oratione à Cicerone defenditur. Itaque genus principale iudiciale est, quanuis alia mixta sint genera, vtputa demonstratiuum pro vtraq; sui parte. Nam summe hic vituperatur Clodius, Milo laudatur. Deliberatiuũ etiam cadere genus videri possit, quòd quodammodo videatur in consultatione poni, & discuti an sit Milo absoluendus, an de homicidio, & scelere condẽnandus. Quemadmodum genus vnumquodque causæ licet proprium & distinctum finem habeat, coassumit tamen interdum fines alios aliorum generum, vt declarat Aristoteles primo suæ Rhetoricæ. Ita vnaquæque causa licet ha

beat proprium,& distinctum genus coassumit & alia genera:vt enim finis directiuus est generum, sic genus directiuū est causæ.Genus siquidē alterū finium triū principaliter spectat,videlicet honestū,aut turpe,iustū aut iniustū,conferens aut nociuū secundū Aristotelē.Et sic causa alterū triū generū spectat principaliter,videlicet aut demōstratiuū,aut deliberatiuū,aut iudiciale.vnde dicendū est,quod genus huius causæ est simplex scilicet iudiciale, quod istud est principale in quo conficitur hæc oratio, dum videlicet accusatus Milo defenditur,& duo reliqua genera accidētaliter cōmiscentur,sicut fere fit in omni iudiciali causa. Nā semper in cōsultationē videtur ante iudices poni,an cōdēnandus, an absoluendus sit reus,& plurimum accidit quod laudetur,an vituperetur reus,vel accusator.Sed illud principale & verū genus causæ in quo principaliter orator,vel defendit, vel accusat. Aut in quo principaliter laudat,vel vituperat, aut in quo principaliter consulendo sententiā dicit principaliter : at hic Milo ab accusatore defenditur, & per occasionē etiā cōmēdatur Milo,& Clodius vituperatur,quia ista omnia referuntur ad virtutē defensionis,vnde purum genus iudiciale dici debet. Quod vero in oratione Pōpeiana dixeram in duobus illam deliberatiuo & demonstratiuo generibus esse cōfectam, his dictis nō videtur obstare.Nā illa oratio principaliter intēdit sentētiā de bello accipiēdo suadere,quæ pars spectat ad deliberatiuū genus,& principaliter etiā intendit cōmēdare Pōpeiū,vt Imperator illi præficiatur bello, quæ pars spectat ad genus demōstratiuum. Ideo cū loquebar de orationis illius genere,dixi ipsam orationem esse potissimum in duobus generibus constitutā.hac autē dico in simplici genere principali. Et sic quotienscunq; loquar de genere in quo sit aliqua oratio habita & cōstituta,loquar vt intelligar de genere principali loqui. de reliquis vero q incidūt ī causam nō faciā mētionē,nisi illa forte notādo prout accidūt, ne forte error iste deciperet.vt crederetur,quod īcideret,esse principale genus.

CONSTITVTIO CAVSAE.

NOTITIA cōstitutionis habetur ex prima intentione accusatoris, & depulsione defensoris secūdū Ciceronē,

& alios, vt si dixerit accusator occidisti. defensor respondeat, non occidi. Coniecturalis constitutio nata sit, quia tunc cõtrouersia fit de facto, vel nõ facto. & diligẽter aduertendũ est ad cognoscendum constitutionem ex intentione, & depulsione, quia aliquando videtur negatio facti esse, & per consequẽs coniecturalis cõstitutio. & est solũ negatio nominis, & per cõsequens cõstitutio legitima definitiua. vt si sic intẽdat accusator, homicidiũ fecisti, & defensor dicat, nõ feci homicidiũ põt hic versari quęstio noĩs etiã & facti. Quæstio noĩs hoc modo, quia velit forte defensor dicere se nõ fecisse homicidiũ, quia Tyrannũ hominẽ iugulauerit. Cũ tyrãni interfector homicida non debeat appellari, & tunc in definitione huius nominis homicidium quæstio fit, & sic definitiua constitutio locum habet. Quæstio autem facti in hoc ipso casu est hoc modo, quia defensor velit dicendo se homicidium nõ fecisse simplicẽ adferre negationem, vnde quæstio facti fit, & coniecturalis constitutio locũ habet. Itaque talis est sæpe depulsio ad accusationem quæ non facit constitutionẽ subito manifestam. Sed quomodo dicet aliquis in tali intẽtione, & depulsione nunq̃ cõstitutio cognoscetur cuius notitia est necessaria. Dico, quod cõstitutio cognoscetur cu-
ius notitia est necessaria. Dico, quod cõstitutio cognosci poterit isto modo, videlicet, cũ accusator dixerit rationẽ ex qua & eius infirmatione nascitur iudicatio, quæ quidẽ ratio esset huiusmodi in hoc casu, quia qui tyrannũ interficit, homicidiũ nõ cõmittit. tunc statim apparet cõstitutio, quæ prius erat ambigua. apparet enim quod est definitiua, aut nullam adfert rationẽ defensor, sed simplici negatione consistet, & statim similiter cõstitutio nota erit, quia cõiecturalis. Nũq̃ in cõiecturali ratio, & infirmatio rationis adfertur. Ideo iudicatio illa nascitur ex intẽtione, & depulsiõe simul cũ ipsa constitutione. Sed his omissis ad specialẽ cõstitutionẽ causæ accedamus, quæ ex intentione Clodianorum, & expulsione Milonis nascitur, simulque cognoscitur. Intentio enim contra Milonem erat huiusmodi, Iniuria Clodium occidisti. Milonis vero depulsio talis erat, Iure occidi. Vide vt hic statim ipsa constitutio clare appareat, quæ est iuridicialis. Factum enim conuenit, sed de iure, an iniuria factum

ſit,quæritur. quod conſtitutionem iuridicialem reddit,vt vult Cicero.Fatetur certe Milo Clodium occidiſſe, ſed eum iure occidiſſe contendit. Quia vero iuridicialis diuiditur in duas partes,abſolutam videlicet,& aſſumptiuam, videamus in qua parte hæc verſetur oratio.verſatur ſiquidem in aſſum ptiua,quæ cũ per ſe defenſio infirma eſt,ſed aſſumpta re extranea comprobatur (vt ait Cicero)nõ enim abſolute ſe Milo dicit iure Clodium occidiſſe,ſed rem aſſumit extraneam, vtputa Clodianas inſidias, quibus Clodius vitam Miloni volebat eripere. Aſſumit & vtilitatem quam oſtendit hic Cicero ex morte Clodii Rempub.cõſecutam.Sed cum aſſumptiuæ quatuor partes ſint,videlicet conceſſio, remotio criminis,tralatio criminis,comparatio,diligenter conſiderandum eſt,in qua iſtarum parte hæc agatur oratio. Quod antequam faciamus, pro pleniori notitia aliquid de iudicatione dicendum eſt, quod quidem nihil eſt aliud quàm quæſtio iudicii ex ratione defenſorum, & ex firmamẽto accuſatoris nata,quam Græci κρινόμενον vocant,nos iudicationem appellemus,vt ait Cicero, & ad eam velut ad punctum cauſæ in quo tota eſt, omnis orationis vis eſt referẽda.Iudicatio iſta quandoque in vna cauſa ſimplex reperitur,quandoque multiplex.Simplex eſt quando ad vnam defenſionẽ ſolum vna ratio adfertur,& tũc ex illa ratione, & ipſius infirmatione vna tantum naſcitur iudicatio, vt videre facile poſſumus in caſu Oreſtis, vbi accuſatus Oreſtes, quod iniuria occidiſſet matrem,depulit ita occidi,& iure occidi. Attulitque hanc rationem, illa enim patrem meum occiderat, quam ſic accuſator infirmauit.Attamen à te filio indemnatam occidi non oportuit.Ecce quomodo in cauſa iſta vnica iudicatio nata eſt.iſta videlicet cùm dicat Oreſtes ſe patrem vlciſcendi cauſa matrem occidiſſe. rectum ne fuerit ſine iudicio à filio Clitemneſtram occidi.vna enim fuit ratio. debuit itaque ſimplex emanare iudicatio. Quia vero ſæpe accidit, quod vna defenſio rationibus pluribus roboratur, quas etiam pluribus firmamentis accuſator infirmat. Plures hic in cauſa vna iudicationes oriuntur, vt ne longius abcedamus, exemplum poſſumus in hac noſtra oratione

proferre. Milo enim dicens se iure Clodium occidisse, ad hoc duas attulit rationes: vnam, quia vitæ suæ insidiabatur tunc Clodius: Alteram, quia vexasset bonos, & Rempubl. seditionibus conturbasset. quas rationes si Clodiani ita infirmarent: primam sic, Attamen nō oportuit à te Milo, sed à iudicibus damnari Clodium & puniri. Secūdam vero sic, At honestius, & vtilius fuit Reip. viuere Clodium, vt de eo iudices iudicarent quàm per scelus occidi, Iudicatiōes duæ ex his rationibus Milonis, & Clodianorum infirmationibus nascerentur: istæ videlicet, cum dicat Milo sibi insidiantem Clodium occidisse, rectum ne fuerit à Milone sine iudicio puniri Clodium. Item cum dicat Milo se Clodium vexaturum bonos, & Rempub. seditionibus turbaturum, occidisse honestius ne & vtilius Reip. fuerit à Milone sine expectatione iudicii Clodium occidi, An vitam relinqui, & iudicium expectare. Et notanter dixi sub conditione, si Clodiani ita infirmarent, quia vt inferius apparebit non ita omnino infirmauerunt Milonis rationes. sed exempla ponimus, non quia vera sint, sed quia quod verum est ostendunt. Manifestum est ergo per prædicta, quod, & quomodo, & qua ratione in vna causa iudicatio quandoque simplex est, quādoque multiplex. Sed viso quomodo in causa vna hoc fiat, cū sæpe vna & eadem causa innitatur constitutionibus, videamus vlterius an in vna simplici cōstitutione plures possint esse iudicationes. Et dicendum est quod sic, quia cum pluralitas iudicationum ex rationum pluralitate sequatur, & causæ reperiantur, quæ habeant in cōstitutione simplici plures rationes, necesse est vt habeant, plures etiam in vna & simplici constitutione iudicationes. factum enim vnum atque idem potest pluribus rectum, atque probabile demonstrari. Et hoc clare Cicero testatur in veteri, ibique exemplum ponit in cōstitutione, quam ibi generalem negocialem vocat. Ego vero quia in declaratione cōstitutionū in quibus aguntur Ciceronis oratiōes, sequor modū artis nouæ, altero vtar alterius cōstitutionis exēplo, vt res clarius videatur. Sit igitur, quod Orestes defensioni suæ duas rationes attulerit, primā scilicet supradictam, & hāc vltra illā. Illa enim adultera

cum AEgisto domũ meam infami stupro cõmacularat. Et hãc rationẽ accusator similiter infirmarit. Attamen à te filio indemnatam occidi oportuit? Nata erat altera iudicatio, hæc videlicet cum dicat Orestes se matrem adulterã stupro domũ commaculantem suam occidisse. rectum ne fuerit sine iudicio à filio Clitemnestram occidi? Et sic duæ iudicationes hic erunt nõ solũ in vna causa, & vna cõstitutione, videlicet iuridicialis, sed etiã vna specie cõstitutionis illius videlicet tralatiua. Nã in hoc casu nõ negatur factũ, sed iure factũ dicitur, & crimen in matrẽ vtraq; in ratione trãsfertur. Sic apparet quomodo cõstitutio vna possit cõtinere iudicationes. Non autẽ vna iudicatio potest pluribus diuersis cõstitutionibus cõtineri, immo (vt inquit Cicero) si plures, aut constitutiones, aut partes cõ stitutionũ, Iudicationes quoq; plures erũt in vna causa. His præmissis, quæ deinceps ad propositũ vtilia nobis erũt, descendamus ad cognitionẽ specialis, & particularis constitutionis causæ Milonianæ. Cũ itaq; superius dictũ sit, constitutionẽ hanc esse iuridicialẽ assumptiuã, & ipsius assumptiuæ quatuor partes esse, videlicet cõcessionẽ, remotionem criminis, trãslationẽ criminis, & cõparationẽ, videamus quænã harũ in hac causa sit. Dicẽdum est, quod hic est cõstitutio criminis translatiua. Transfertur enim crimen huius cædis in Clodium, quia dicitur per insidias Milonẽ occidere voluisse: sic quod alieno, id est Clodii peccato coactus Milo dicitur hoc fecisse. Et est etiã constitutio comparatiua, propterea quod disputat hic Cicero, vtrũ satius fuerit vtiliusque Reip. id factum esse, quod Milo reus se fecisse fatetur, an quod Clodiani accusatores dicant fieri oportuisse. hoc est an fuerit vtilius ciuitati à Milone occidi Clodiũ, an in vita relinqui. Cuius cõparationis Cicero partẽ vnã hac oratione artificiose defendit. hic itaq; partes istæ duæ iuridicialis assumptiuæ translatio scilicet & cõparatio sunt, & per cõsequẽs iudicationes saltẽ duæ hic notari posse debẽt, cũ superius dictũ plures esse iudicatiões ĩ causa, si plures sunt cõstitutiões, aut partes constitutionũ. Et essent illæ propriæ iudicatiões, quas superius ĩ huius causæ exẽplo præmisi: sed qa in oĩ cã vbi ratio defensoris adfertur, aut ipsa ra

tio infirmatur ab accusatore secũdũ supradictũ modũ, aut to taliter negatur,& nõ bona idest ad defendẽdũ, sed non vera esse dicitur,cõsiderandũ est in vnaquaq; defensione,an negetur totaliter, an infirmetur ratio defensoris. Si infirmatur aperta est statim iudicatio, ad quam subito accõmodet vim suæ oratiõis orator. Et sic nõ fit hic. Si vero negatur ratio necesse est,vt altera incidat cõstitutio,videlicet cõiecturalis per quã probet defensor rationẽ quã attulit verã esse, quia ratiõe per quã suã causam tuetur nõ probata,si negatur perinde esse ac si nullã attulisset rationẽ que qua nec parua qdẽ dubitatio potest remorari dãnationẽ(vt ait Cicero)& ita fit hic. nã Clodiani nõ videntur infirmare rationem Milonis in facto insidiarum,sed negare simpliciter Clodium insidias fecisse Miloni. Et vidẽtur oppugnare cõtra Milonẽ,quod insidiatus fuerit Clodio.vnde cõstitutio cõiecturalis hic incidit,an Clodius Miloni,an Milo Clodio insidiatus fuerit, vnde Cicero prius cõfutatis aliquibus cũ rationẽ insidiarũ factarum à Clodio attulerit cõfirmãdo,vt infra suis partibus apparebit, vertit subito ad probãdum illã rationẽ adductã propter cõstitutionẽ cõiecturalẽ,quæ quidẽ cõstitutio accidẽtalis est nõ principalis in hac causa Milonis.nã principalis est iuridicialis,vt supra ostensum est. constitutiones enim quandoq; sunt propriæ,quãdoque accidentales causarũ, vt per accidẽs cõiecturalis hic incidit. iuridicialis vero propria est. Accusatio siquidẽ principalis est in Clodii cæde, ob quã principaliter causa est,quæ quidẽ cædes nõ est à Milone negata, sed iure eã à se factã esse cõfessus est Milo,& non est etiã dubitãdum Clodianos rationẽ alteram Milonis de vexatione patriæ simpliciter negauisse:vnde in ea probanda Cicero loco suo multa adducit argumenta. Præterea vltra trãslationem criminis, & cõparationẽ,hic est vna pars cõcessionis videlicet deprecatio, secundum quã Ciceroni artificiose erat in fine postulãdum,vt misereãtur Milonis,& velint talẽ ac tãtũ ciuẽ in vita,& ciuitate seruare. sic apparet quod principalis cõstitutio huius orationis est iuridicialis,est assumptiua per translationẽ criminis, cõparationẽ & cõcessionem prout illa in altera sui parte videlicet deprecatione versatur. inciden

ter autem coniecturalis cõstitutio locum habet in confirmatione orationis,& etiam iuridicialis absoluta incidit in cõfutatione,& legitima cũ duabus suis partibus videlicet trãslatiua,& definitiua,vt iferius ostẽdetur.videtur tamẽ Quintilianus libro tertio de Institutione oratoria sentire contrarium,& dicere quod status,idest constitutio principalis causæ Milonis sit coniecturalis.vult enim statũ causæ primum in eo esse quod potẽtius sit in causa,vnde quia maior vis in causa est super insidiis Clodianis,quarum ratio pendet à statu coniecturali,principalem causæ statum coniecturalem faciat.Ego vero salua tanti viri authoritate non ita:nam considero intentionẽ Clodianorum cum depulsione Milonis,ex quibus proprius causæ status accipitur, vt placet Ciceroni, & quia principalis intentio verisimiliter talis fuit, talisque depulsio,iniuria Clodium occidisti,iure occidi. Talisq; ratio rei Milonis,Ille enim me per insidias tũc volebat occidere:apparet quod potius constitutio seu status principalis in causa sit iuridicialis,vt supra dixi. Deinde quia Milonis ratio verisimiliter vera esse negabatur à Clodianis, oportuit statum aliũ incidere ad causam videlicet coniecturalẽ.Si tamen vellemus cogitare,quod alia fuisset intentio Clodianorũ,aliaq; Milonis depulsio: ista videlicet,Insidiatus es Clodio,Non insidiatus sum Clodio:potest principalis constitutio coniecturalis dici,nã semper ea à prima intentione, & depulsione dependet.sed Martianus in Rhetorica sua aperte sentit principalem statũ causæ Milonianæ esse,vt ego assero,iuridicialem,& coniecturalẽ incidere.Nã capite de demõstratiuo genere causæ ostendẽs quando simplex, aut multiplex quæstio est, dicit, simplex est cũ vnum aliquid in tota actione disquiritur,vt Clodiũ Milo,an ne iure necauerit.vnde videtur velle hanc simplicẽ principalẽ esse causæ quæstionem,in qua vt patet status causæ est iuridicialis:deinde subiungit.Illud vero quod per iudicationẽ priori loco disquiritur,vter vtri insidias cõpararit,non est singulare, sed iunctũ ex duplici coniectura, quam Græci Anticategoriam nominant,sed incidens quæstio genus causæ non mutat &c.vnde apparet de Martiani mente fuisse principalem constitutio-

nem causæ quam supradixi iuridicialem. Et eam nõ mutari per incidentem coniecturam liquido adfirmat.

RHETORICAE partes in hac oratione.

DE Inuentione, Memoria, Pronunciatione hic nõ est dicendũ, vt supra dictũ est in oratione Pompeiana: sed videamus Dispositionem, siquidem in partibus orationis hæc est nõ ab institutione artis profecta, sed ad casum temporis oratoris iudicio accõmodata. Primo enim ponit exordiũ, dein de diuisioné, deinde narrationé, deinde multiplicé confirmationem, secundum quod in multiplici cõstitutione versatur oratio. Deinde conclusionem in fine orationis.

EXORDIVM.

ET SI vereor iudices, &c.) Hic incipit oratio, & orationis exordiũ, quod est pars vna instrumẽti Rhetorici præparans animos auditoris. Quæ quidé pars ita tractanda est prout exigit genus causæ. Aliter enim in honesta materia, aliter in turpi, & aliter in humili exordiendũ est, vt Cicero eleganter docet in arte. ideo consideremus genus istius causæ, & videamus quomodo sit in causa exordium pertractandum, & debite accõmodatum. Genus quidé causæ dubium est. nam partem habet honestatis, partem turpitudinis. Pars honestatis hinc est, quod Milo vir fortissimus, & honestissimus ciuis se defendens ab insidiis inimici, dicitur occidisse eum qui ipsum volebat occidere. Quod non honestum modo sed necessarium dici debet. Pars auté turpitudinis hinc est, quod ciuis ciuem, & nobilem, in antiquis monumentis familiæ suæ, hoc est in via Appia trucidauerit, quod per se consideratum non solum turpe, sed turpissimum videri debet. Ad maiorem siquidem cædis turpitudinem, & Milonis inuidiam excitãdam, vt Quintiliano placet, Miloni inter cætera obiectum est, quod ab eo Clodius in monumentis maiorum suorum esset occisus. Itaq; dubiũ genus est causæ, ergo orator hinc debuit adferre exordium beneuolentiæ cõciliatiuũ, vt illa pars turpitudinis beneuolentiæ merito iã captatæ nihil possit obesse. Et sic à Cicerone summo oratore factum est. Cicero siquidem volens captare beneuolentiã ab aduersariorũ persona, primo distinxit, qui causæ suæ fau-

tores essent, & qui contrarii, vt aduersariis cognitis eos, vt facit, in odium possit adducere. Dicit enim vnum duntaxat genus hominum eorum, quos furor P. Clodii rapinis, incēdiis, & omnibus publicis exitiis pauit, sibi esse aduersum, & infensum: sic ipsos à cæteris distinguendo eos, vt vides, in odiū rapit ipsorū perfidiose, crudeliter, flagitiose facta generali sermone commemorans. Qui etiam ipsos his iudicibus adducit in inuidiā, cum incitationes & clamores eorū hac ipsa pro causa significat, quasi ostendat eos in eorū superbia, & tumultuoso clamore plusquam veritate confidere. Itē beneuolentiā captat à persona Milonis, iudices admonēdo, vt si quis forte clamor oriatur, eum ciuem meminerint conseruare, qui semper genus illud hominum, & clamores maximos pro eorū salute neglexit. Hic est enim.) Ostendit breuiter qualis fuerit in R.P. Milo, & in eos qui audiunt, cum dicat pro salute ipsorū illum pessimorū impetum neglexisse, ingeniose hic Cicero distinctionē illam fecit fautorum suorum, & aduersariorum, quia cum assistēs multitudo armatorum esset, forte ne iudices cogitarent illam gētem aduersam esse Miloni, & forte etiam ob id pro Milone trepidi redderentur, voluit eos iudices certos facere, quod arma illa non erant cōtra Milonē parata, sed ad præsidium, vt sine timore possent quieto animo iudicare. Pertinet enim multum ad exordii rationem metum é iudicibus amouere, iuxta illud Quintiliani institutione oratoria libro quarto capite de exordio, Metus etiā nonunquam est amouēdus, vt Cicero pro Milone, ne arma Pōpeii disposita contra se putarent laborauit. Cæteros vero spectātes dixit virtutis Milonis esse fautores, vt audacius iudices pro Milone iudicarent. cūque dicat eos iudiciū expectātes putare in hac Milonis causa decertari de seipsis, de suis liberis, de patria, de fortunis &c, tacite captat beneuolentiā à persona Milonis, de quo cū sit iudicādum non de eo solo videtur, sed de vniuersa patria iudicari, quasi ipsa in eius salute seruetur. hoc dicit etiā vt eā opinionē inducat quæ facit ad causam, iuxta Quintiliani sentētiam libro quarto capite de exordio, qui ait, Ad causam etiā pertinet tempus. vnde pro Clodio locus, pro Deiotaro habitus,

pro Milone opinio.itaq; eos hortatur, vt timore deposito fortiter iudicent,ostẽdẽdo quod si locus & potestas vnquã fuit pro benemeritis ciuibus ab electis iudicibus libere iudicandi,non est per hoc captãs beneuolentiam à persona iudicum,& Milonis,prædicans tales esse tacite eos, scilicet electissimos.ipsum vero ciuẽ optimũ, & de patria benemeritũ. ac summa cũ arte proponit formã futuri iudicii disiunctiuã, cuius pars vna honesta sit,altera vero turpis:per hoc suã extollẽdo causam,& aduersam deprimẽdo à reipsa sibi tũ comparans beneuolos auditores,vbi etiã beneuolentiã captat egregie à persona sua,& Milonis, ostendẽdo quales ipsi fuerint in eos,qui audiũt,quia scilicet semper eorũ authoritati dediti.Captat quoq; beneuolentiã à persona aduersariorum, eos in odiũ adducendo cum ipsos perditissimos ciues vocat. Captat quoq; ab auditorum persona cum per eorũ fidẽ,virtutem,& sapientiã postulat recreari.Captat itẽ à sua, & Milonis persona,suæ in Remp.solicitudinis, & exercitationis officium cõmendando.Captat itẽ ab aduersariorũ persona, eos in inuidiã,& odiũ rapiẽdo,cũ dicit eos adductos ad Rẽpub.spe amplissimorũ præmiorũ,metu crudelissimorũ carere non posse.Innuit enim eorũ crudelitatẽ, vim,potẽtiam, factionem.Talia enim in ciuitatibus timeri solent. Captat deinde à persona Milonis,cũ dicit eũ semper sensisse pro bonis contra improbos,ideoq; putasse illi semper subeũdas tẽpestates,& procellas popularũ contionũ.Captat vltimo ab auditorũ persona,aperiẽdo quæ de iis existimatio sit,cum dicit se nunq̃ existimasse in eo iudicio,vbi amplissimi viri, & electi ex cunctis ordinibus iudices iudicarẽt,non modo ad extinguẽdã salutẽ Milonis,sed nec ad gloriã infringendã in inimicos Milonis spẽ habituros fuisse.Sic,vt vides, hic Cicero artẽ ab eo traditã in cõficiẽdis exordiis solẽniter executus est.

DIVISIO.

QVANQVAM in hac causa iudices.) Hic est diuisio pars vna rhetoricæ orationis, quæ ad hoc potissimum comparata,vt auditor intelligat summam causæ, & vt velut quadam admonitione præsentiat, super quo sit orandum. Itaque species vna diuisionis hæc facit aperiendo quid

nobis cum aduersariis côueniat,& quid in controuersia reliquatur.Ita dico,si nobis vtilia côuenire poterût. Sed quædam altera diuisionis species hoc idem facit enumerãdo de quot.Altera species facit hoc exponêdo, de quibus rebus sit dicturus orator.Et ita vult Cicero in arte,qui hic ipsam eleganter exercens vsus est illa diuisionis specie,quæ expositio nuncupatur. Exponit etenim super quo potissimum sit oraturus,dicês se non velle Milonis feliciter res gestas ei pro salute Reipub.opitulari,nisi viderint oculis insidias Miloni à Clodio factas.Nec se esse deprecaturum,vt hoc crimen Miloni propter sua merita condonetur : nec postulaturum , vt mors P.Clodii potius virtuti Milonis adscribatur,quàm felicitati Populi Rom.sed obsecraturum, obtestaturúmq; iudices si insidiæ Clodianæ luce clariores fuerint,tunc saltem impune se liceat defendisse.Sic breuiter,& absolute exponit, quid acturus sit,quia videlicet se deprecaturû pro salute Milonis si ostêderit luce clariores insidias inimici. Et sicut hic exponendo denunciat,ita orando exquisite perficit.

CONFVTATIO.

SED ANTEQVAM ad eam rationem &c.)Hic est confutatio pars vna orationis, cum Cicero ad parandos auditorum animos debitum exordium præmisisset, exposuissétque breuissime quid esset acturus,antequam ad narrationem veniret,voluit vti confutatione. Quædã enim erant â Clodianis opposita Miloni,quæ prius dissoluêda videbãtur. his enim non solutis & confutatis nullus poterat esse locus defensioni . nam cum Clodiani dicerent fas non esse eum qui à se hominem confiteretur occisum intueri lucem, nisi Cicero hæc primitus côfutasset, & clarissime demôstrasset iure hominem posse occidi,superfluum,& inutile fuisset ostendere insidias fuisse à Clodio factas Miloni, & sic fuisset inutile ante narrare rem,& manifestare crimen insidiarû Clodii,stante scilicet illa sententia Clodianorum . Hanc ergo primo confutat,vt vides,& manifestis exemplis,& rationibus ostendit aliquando iure hominem posse occidi.propter enim hanc causam nô immediate subiecit exordio, aut diuisioni narrationem . Quod fieri debere aliquibus visum

est, hac motus ratione, vt testatur Quintilianus lib. 4. ca. de narratione, quia cum procemium idcirco comparatum sit, vt iudex ad rem accipiendam fiat conciliatior, & intentior: & probatio nisi causa prius cognita nõ possit adhiberi, protinus iudex notitia rerum instruendus videtur. Sed vt eleganter ait ipse Quintilianus, hoc quoque interdum mutat conditio causarum, nisi forte Tullius in oratione pulcherrima, quam pro Milone scriptam reliquit male distulisse narrationem videtur tribus præpositis quæstionibus: aut profuisset exponere, quomodo insidias Miloni fecisset Clodius si reum qui à se hominẽ occidisse fatetur defendẽdi omnino fas non fuisset, aut si iam præiudicio Senatus damnatus esset Milo, aut si Cn. Pomp. qui propter aliam gratiã militibus armatis forũ clauserat, tãquã aduersus existimaretur, hic Quintilianus etiam subiicit, quod hæ quæstiones in confutatione discussæ vim procemii obtinebunt, quia videlicet præparatoriæ sunt ad reliquam orationem, quod per procemium fieri solet. Et quia Cicero in confutatione huius primæ obiectionis nihil aliud intẽdebat, q̃ generaliter probare contra illorum dicta posse aliquando hominem iure occidi vtendum fuit locis, & argumentis constitutionis iudicialis absolutæ, in qua constitutione quæritur absolute, vtrum res aliqua sit, quomodo iure fieri possit, licet hominis specialis occisio defendi nõ possit in absoluta iuridiciali, eo quod necesse est adsumi aliquid extra, propter quod iure quispiam dicatur occisus. incipiens enim esse si quis cum hominẽ occidisset se ita defenderet iure occidi, quia hominem licet occidere, & sic stare vellet in pura absoluta. sed tamen cũ generaliter venit ad quæstionem, an vllo pacto hominem occidere liceat, & vna pars dicat nullo pacto vnq̃ licere, altera vero dicat quodam casu aliquando licere: videtur esse sine dubio constitutio iuridicialis absoluta. hic enim quæri cõuenit iure ne aliquando fieri possit. Nec obstat si dixeris esse assumptiuam, quia per comparationem, tralationem, relationem criminis, & concessionem, quæ sunt partes assumptiuæ, dicatur cædes hominis iure facta. hoc enim casu non venit aliqua illarum partium in quæstionem, quia non quæritur an

merito tralatiōis criminis, vel alterius partis cædes iure sit facta: sed quæritur generaliter, an si adhuc istæ quatuor assūptiuæ partes constitutionis concurrerent, possit cædes aliqua iure facta esse defendi: & quia vna pars negat omnia, altera contradicit, & ambæ in iure solum, & iuris partibus puta, vel natura, vel lege, vel æquo & bono consuetudine iudicato se firmat, nec transferunt, nec referunt crimen, nec cōparant, nec purgant, nec deprecantur, & per consequēs non concedi postulant. ideoque potius in hac generali quæstione naturam, & statū iuridicialis absolutæ, iuridicialis assumptiuæ versari dicamus: & propterea Cicero illam Clodianorum generalem sententiam confutando locis atque argumentis absolutæ iuridicialis hic vtitur. Arguit enim primo propositum per locum à iudicato, cum ostēdit qualiter fuit in facto M. Horatii, qui sororem interfecerat. Pop. Ro. Comitiis iudicatū, & vt Quintiliano placet in hoc loco à iudicato cadit exemplum maius minoris, quod non est inefficax ad persuadendum. Item arguit per locum à consuetudine, cum ostendit in quæstione homicidii solere, aut negari factum aut iure defendi, quod probat per respōsum Scipionis, qui respondit Tribuno interroganti, quid sentiret de morte Tiberii Gracchi, eum iure esse cæsum, & cōfirmat etiam per aliqua non tota narrata, sed solum significata exempla quorundam ciuium, & Senatus, qui sceleratos ciues occiderunt. quod si esset nefas, vt asserebāt Clodiani, essent ciues illi Senatusque nefarii, quod non est dicendum. Item arguit per locum à iudicato, cum ostendit matris interfectorem, vel interfectorem patris vlciscendi causa non hominū modo, sed deæ sapientissimæ sententia liberatum. item arguit per locum à lege cum dicit. xii. tabulas ex lege permittere casu aliquo hominem iure necari, vt latronem quoquo modo noctu, interdiu vero si se telo defenderit. & ostendit, ꝙ si cā aliqua leges hoc cōcedūt, maxime hoc esse permittēdum, cum vis illata sit, defenditur. Item arguit per locū à iudicato casu aliquo iure hoīem posse occidi, cū ostēdit qualiter C. Marius iudicarit in causa militis adolescētis qui occidit Tribunū volētē sibi eripere pudicitiā, in quo loco est rei

gestæ exēplum nō significatū, sed narratum. Et cum mōstra uerit per locum à iudicato iure aliquos esse occisos, cōcludit insidiatori,& latroni iniustā necē adferri non posse. Item ar guit per locū à lege, vel ab eius intētione cū dicit, quod nō li ceret hominibus habere gladios, si non liceret ipsis gladiis iure vti. Vnde apparet, quod casu aliquo iure gladio liceat vti, & hominē iugulare. item arguit per locum a natura cū dicit hāc legē esse naturæ, quā ab ipsa natura nō scripto disci mus, vt si vita nostra in latronū, aut inimicorū insidias inci dat, honestū sit quoquomodo salutē nostrā cōseruare. Arguit itē per locum ab æquo & bono, cum dicit id quod ad verita tē, & cōmunē vtilitatē videtur pertinere, vt scilicet nō sit ex pectāda punitio legum cōtra latrones &c. Quia leges silent inter ama, nec se expectari iubent, cū si quis voluerit expecta re, ei sit insidiis moriēdum. Itē arguit per locum à lege cum ostēdit eam tacite potestatē dare defendēdi se. Et sic per argu menta quæ ipsæ docet in arte tractari in cōstitutione iuridi- ciali absoluta, princeps oratorum Cicero cōfutata illa gene- rali sententia Clodianorum in huius partis confutationis finem concludit, insidiatorem iure interfici posse.

SEQVITVR illud quod à Milonis inimicis &c.) Hæc est pars cōfutationis, in qua cōfutat Cicero vnā obie- ctionē Clodianorū, qua velle videbātur ostendere nullo alio iudicio opus esse, nisi vt Milo raperetur ad pœnā, cū iā Sena tus iudicasset cædē illā cōtra R.P. esse factā: vel hic adserebāt, vt in iudicando iudices Senatus sententiam sequerētur. Et pars ista ex aliqua parte versatur in constitutione legitima tralatiua, vt quantū Clodiani niti videntur, vt hæc causa ad Senatus sententiam transferatur, dicentes à Senatu iudica- tum esse contra Milonem, vt patet in ipsa oratione. Quod volens Cicero confutare, monstrauit primo illam cædem Senatui placuisse, quam Senatus studiis comprobauit. Ostē ditque quæstionem istam Senatum non cōstituisse, eo quod iudicarit cædem contra Remp. esse factam. Et ad hoc de- clarandum vtitur constitutione legitima definitiua, de- monstrans quid sit aliquam rem factam esse contra Rem- pub. Itaque non negat rem ipsam, vbi sit vis aliqua con-

tra Remp. sed tamen dicit de crimine esse quærendum: vt cum res in se sit mala, circunstantiæ tamē, & causæ possunt esse probabiles, & honestæ. Quinetiam ex Pompeiana sententia quæri debere, an iure Clodius cæsus sit. & sic nititur quantum potest, vt in causa iudicetur, ne, vt Clodiani velle videbantur, sine alio iudicio puniatur Milo. Cumque pars ista confutationis in legitima tralatiua versetur, vt dixi, ostē dit Cicero legibus ac moribus, bono & æquo, qui loci tractantur in legitima tralatiua, causam hanc Milonis transferri non debuisse à cōsueto iudicio ad Senatum, vel populum, cum de sedibus clarissimorum ciuium nihil sit vnquam eo modo quæsitum. Et ostendit, si quid in hac causa à Pompeio præter morem factum sit, adsignãdum esse non causæ sed tempori. Confutat etiam illam obiectionem qua dicebatur omnes iudices in hac causa amicos Ciceronis electos esse. Et hoc ita confutat, vt simul beneuolos faciat iudices: quod in omni parte orationis licet, & prodest. nam vt est apud Ciceronem in Oratore, hoc agendo melius efficitur, quam rogãdo: & est illud quod in totam orationem confundēdum, & ipse valde commendat, vt vides. Sic tota hæc confutatio, vt plane patet in duabus quæ ad causam hanc incidunt constitutionibus, pertractatur, videlicet absoluta iuridiciali, & legitima: duabusq; partibus legitimæ, videlicet tralatiua, & definitiua, & hæc confutationis particula, vt Quintiliano placet, vtique necessaria fuit ante narrationem, vt in ea diuelleretur, quod de Senatus præiudicio erat obiectum, & ostenderetur non aduersum esse Pompeium.

EPILOGVS CONFVTATIONIS.

QVAMOBREM iudices &c.) Hic est confutationis Epilogus constans ex enumeratione, per quam colligit, & commonet quibus de rebus verba fecerit, cum ordine refert breuissime quicquid est dictum, secundum quod ipse docet in arte fieri debere, quando partem aliquam orationis cō clusione, quæ constat enumeratione, cōcludimus. Etenim concludens hic Cicero, quod si non est facti confessio inusitata, si non est aliter, vel leuius quicquam à Senatu iudicatū, ac ipsi iudicarint: Si lator ipse legis nulla facti existente con-

trouersia iuris disceptationem esse voluit, & electi iudices, & præpositus quæstioni ad disceptandum sunt, reliquum nihil aliud sit, quàm vt inuestigare debeāt vter vtri insidias fecerit. Summatim repetiit, & ad memoriam reuocauit omnia, quæ diffuse in confutatione sunt dicta. Et propositū suum conclusit, vt scilicet de insidiis quæreretur, quas exposuit ante se velle ex parte Clodii luce clariores ostendere, simulque ad narrationem mox sequentē iudices facit attētos ac dociles, quod ni omni parte orationis efficere bonū est. nam vt in Oratore apud Ciceronē inquit Antonius, Quæ præcepta principiorum & narrationum esse voluerūt, ea in totis orationibus sunt conseruanda.

NARRATIO.

PVBLIVS Clodius cum statuisset &c.) Hic est narratio, pars vna orationis. Postquam Cicero egregie confutauit Clodianorum obiecta volentiū per illa præcidere Miloni locum defensionis, & ita conclusit confutationem, vt nihil esset quærendum aliud, quam vter vtri fecisset insidias. sed contulit ad planam rei gestæ narrationem, vt clare per eam manifestare posset validius confirmari suam causam. Et profecto ista narratio Ciceronis, artificii plena est, vt facile est videre. Considerauit enim Cicero, quod iam ante reliquis obiectionibus confutatis, tota vis huius causæ constabat in probatione insidiarū Clodii. Quæ tota probatio erat tractanda in constitutione coniecturali, atque ideo ita narrauit, vt in causa coniecturali narrari docet in arte: in qua cum aliter instruatur accusator ad narrationem, aliter vero defensor, narrauit hic Cicero vt accusator. quia licet in tota causa esset Milonis defensor, hac tantum in parte erat merus accusator insidiarum Clodii, ideo, vt dixi, narrauit vt accusator. Narratio siquidem, vt vides, habet suspitiones interiectas, & dispersas, vt nihil actum à Clodio, vel dictū, nusquā ventum, aut habitum, nihil denique factum sine causa esse videretur: quæ omnia propria sunt narrationis accusatoriæ in coniecturali causa tractatæ, vt vult Cicero, qui cum dicit in arte tria narrationum genera esse, vnum videlicet cū exponimus rem gestam, & vnumquodque trahimus ad vtili-

tatem nostram vincendi causa, quod genus pertinet ad eas causas de quibus iudicium est futurum: Alterum vero intercurrit aliquando, aut fidei, aut criminationis, aut transitionis, aut alicuius cōparationis, aut laudationis causa: & Tertium quod est remotum à causa ciuili iudiciali: primi generis narrationem hanc habuit, in qua narratione gestam rem exponit, & vnumquodque trahit, vt vides, ad vtilitatem suā causa vincendi. Et quia omnis laudabilis narratio debet esse breuis, dilucida, & verisimilis, vt Cicero dicit in arte, hanc ipsam facit huiusmodi, vt possimus aperte videre. Primo enim non ab vltimo repetens, vnde necesse est incipit. Narraturus siquidem nō incipit ab antiquis offensionibus Clodii, quæ per anteacta tempora multæ fuerāt: sed incipit à noua causa & intentione, quibus Clodius mouebatur ad cædem Milonis. summatimque narrauit, non particulatim, eousque quo opus erat prosecutus, vsque ad Clodii mortem: nullisque vtitur transitionibus, sed vt ordine gesta est narrat, nunquam deerrans ab eo quod inceperit exponere, & omnino non modo id quod obest, sed etiam id quod non obest nec adiuuat, præterit. Nihil enim infructuosum, nec bis aut sæpius idem dicit, vt potest qui orationem viderit, iudicare. Et omnia hæc supradicta eleganter breuem reddunt narrationē: quæ ideo dilucida dici debet, quia vt quicquid primum gestum est, ita primum exponit. Primū quidem motiuas animi Clodiani causas, & rationes exponit. Deinde quid propter has gessit, & quicquid breuiter de parte in partē consecutū est dicit. propterea rerum ac tēporū cō seruat ordinem, vt gesta sit res scilicet, vt quid fecerit Clodius. Primo vt suo arbitratu Prætor esset: Deinde quid fecerit, ne Milo Cōsul fieret: Deinde quid fecerit, vt vidit ipsum consensu omnium Consulem esse futurum. Et sic per ordinē omnia quæ fuerunt narrat vsq; ad mortem Clodii. Nec perturbate, nec contorte, nec noue, nec ambigue quicquam dicit. neq; in aliam rē transit, nec ab vltimo repetens nimis lō ge prosequitur, vt superius dictum est, nec certe præterit rē aliquā pertinentem: & breuē facit narrationem, vt superius est ostensum, vnde redditur dilucida. Et cum omnis lauda-

bilis narratio verisimilis esse debeat, talis illa potissimũ esse debet, in qua mutetur causa coniecturalis, qualis est ista narratio, per quam narratur Clodium insidiatum esse Miloni, quod per constitutionis coniecturalis argumenta validissime est confirmandum. itaque narrationem istam multum facit Cicero verisimilem. dicit etenim vt mos, vt opinio, vt natura postulat. Nam secundum mores, & naturam Clodii præsertim irritati, iram & odium contra Milonem: & secũdum opinionem etiam quæ de ipso habebatur, communiter, omnia effecta dicit. Et narrando clarissime demonstrat fuisse spatium temporis ad constituendas insidias, cũ Clodius pridie, antequam Milo ab vrbe recesserit. Fuisse itẽ opportunitates locorum, cum Milonem ante suum fundũ inuaserit, & de loco superiore fecerit in eum impetũ. Fuisse itẽ rationes consiliorum, cum accensus Clodius fuerit inuidia & odio propter futurum Milonis Consulatum. Fuisse item dignitates personarum, cum instructus ad insidias Clodius multis rationibus demõstretur, Milo vero incautus ex modo eundi, improuisus ostendatur, sic vt profecto refelli non possit aut spatium parum temporis fuisse, aut causam nullam, aut locum idoneum non fuisse, aut homines ipsos facere, aut pati non potuisse. quæ omnia digesta secundum artem, narrationem hanc ita reddũt verisimilem, vt nihil verisimilius esse possit. nam vt ait Quintil. lib. 4. de institutione oratoria capite de narratione, A Cicerone sunt quidẽ vtilissime prædicta omnia per quæ Miloni Clodius, non Milo Clodio insidiatus esse videatur. plurimũ tamen facit illa callidissima simplicitatis imitatio. Milo cum in Senatu fuisset eo die quoad Senatus est dimissus, domum venit, calceos & vestimẽta mutauit, paulisper dũ se vxor, vt fit, comparat cõmoratus est. quàm nihil festinato, nihil præparato fecisse videtur Milo. quod non solum rebus temporis vir eloquẽtissimus, quibus moras & lentum profectionis ordinẽ ducit, sed verbis etiã vulgaribus, ac quotidianis & arte occulta consecutus est: quæ si aliter dicta essent, strepitu ipsum iudicem, deinde patronũ excitassent. Hæc à Cicerone cõseruata Quĩtilianus inquit, vt credibilis esse ista narratio.

CONFIRMATIO.

HAEC SICVT expoſui, ita geſta ſunt iudices &c.) Hic eſt confirmatio, pars vna orationis: in qua quidem confirmatione Cicero primo colligit collectionem illam, Inſidiator ſuperatus, vi victa vis eſt &c. quæ quidem collectio eſſe ſolet in argumẽtis, nunc expoſitioni artificioſe coniuncta vt Quintiliano placet, & adducit per colorẽ, qui dicitur Occupatio, rationem vnã quare dicat Clodiũ iure cæſum. propter videlicet vtilitatem Reip. & bonorum. Et aliqua repetit argumenta ex locis iuridicialis abſolutæ conſtitutionis: quæ argumenta antè tractauerat in confutatione, cum voluit contra Clodianos oſtendere, aliquo caſu iure hominem poſſe occidi, vt patet ſuprà. oſtẽdit enim per locum à ratione, & neceſſitate naturæ, & per locum à conſuetudine gentium, quod aut liceat ſe defendere quocunque modo contra latrones, aut ſi non liceat, oporteat perire in eorum inſidiis, aut iudicum ſententiis: quorum certe vtrunque videri debet abſurdum. & caute ſignificat optabilius fuiſſe Miloni à Clodio iugulari, quàm quia non ſit iugulatus ab eo à iudicibus condemnari. Aſſerens tamen, quod ſi ita non ſentiunt, videlicet vt Milo potius debuerit iugulũ Clodio præbere, quàm tueri ſe in vita: non ſit abſolute quærendum, an Clodius ſit occiſus, quod planè fatentur Miloniani, ſed an iure ſit occiſus. Laborauit enim hucuſque Cicero multis & validis argumentis, vt non ſimpliciter quæreretur, an Clodius eſſet occiſus: ſi enim ita quæreretur, nulla eſſet defenſio pro Milone confeſſo iam ſe Clodium occidiſſe: ſed quæreretur ſolum an iure potuiſſet occidere. Hac enim in quæſtione iuris optime Milo defenditur, quã quæſtionẽ dicit à Senatu Pompeio eſſe datã. Ideoque concludit nihil aliud eſſe quærendum, quàm vter vtri inſidias fecerit, quæ quæſtio in coniecturali conſtitutione verſatur.

CONFIRMATIO coniecturalis.

QVONAM igitur pacto probari poteſt &c.) Incipit hic illa cõfirmationis pars, quæ nititur probare illam Milonis rationem, quæ erat fundata in inſidiis Clodianis, quam rationem Clodiani non modo negare videbãtur, ſed

contrà dicere quod Milo Clodio fecisset insidias. Discernendum ergo cum esset vter vtri fuisset insidiatus, opus in hac causa fuit non solum simplici cõiectura, sed duplici. vna per quam Milo insidias Clodii manifestet, altera per quam à se id crimen reiiciat. vnde hic pro Milone Cicero tali vtitur cõiectura. Studet enim ostendere insidias Clodii, & id crimen à Milone suo reiicit. sic ista confirmationis pars versatur in constitutione coniecturali. Ex cuius cõstitutionis locis Cicero vt debuit argumenta summa cum eloquentia & arte capit, vt plane videbitur. volẽs, etenim ipse oratorum princeps per locum à probabili causa mõstrare, fuisse causam Clodio cur insidiaretur Miloni, prius ostendit per locum à probabili à vita minimas etiam causas illum Clodium in omne facinus impellere potuisse: cum dicit, In tam audaci, & nefaria bellua satis esse docere magnam spem, magnam causam, magnas vtilitates in Milonis morte propositas fuisse. quasi dicat facile esset docere, ostendens illud Cassianũ, Cui bono fuerit &c. habere locum in talib. qualis erat Clodius, his videlicet qui paruo emolumento impelluntur in fraudem, in quam boni nullo præmio capiuntur. artificiosissimum enim fuit in primis per locũ à probabili, à vita firmare locum per probabile à causa. quem locum mox subsequenter tractaturus erat. ipse etiam docet in arte omni modo quo possumus commaculare personam, vt causæ ad peccandum impulsiuæ, quæ essent forte in alio leues, in ea tali persona grauissimæ videantur. Deinde validum incipit argumentum à probabili cau, sacommodorum appetitione, & incommodorum vitatione, cũ plane signat, quid ex morte Milonis Clodius adsequebatur commodi, quid incommodi declinabat, dum videlicet futurus Prætor esset non solum Milone non Consule, quo Consule nihil ad suum libitum facere licuisset: sed his Consulibus, qui aut non vellẽt, aut non possent eum à sceleribus suis cohibere. deinde ostẽdit per locum à rumore publico fuisse in Clodio hanc commodi appetitionem, cum quærit à iudicibus an soli ignorent, quod omnes prædicarent, leges videlicet nouas à Clodio factas esse, quas volebat imponere ciuitati. Deinde ad

Sextum Clodium se conuertit. & postulat, vt leges has exhibeat quas eum dixit ex incensa domo Publii Clodii rapuisse: & illum Sex. Clod. valde & caute vituperat, dum eum cõciliare videtur. Deinde ostendit quod propter præturam P. Clodii vniuersus populus Milonem Consulem adfectabat, vt duo exhinc suscipiantur argumenta, vnũ contra Clodiũ, alterum pro Milone contra Clodium, ostendendo propter hoc sibi fuisse magnam causam, vt non solicito modo niteretur contra Milonem ad suam dignitatem defendẽdã, sed modo quodam feruentiori. sic per probabile à causa innuit, vt fieri docet in arte, Clodium insidias fecisse Miloni. Argumentum vero pro Milone hinc tale est, quale docet Cicero debere sumi ex parte defensoris in hac constitutione, negando scilicet fuisse causam criminis ei qui defenditur, aut eam vehementer extenuãdo. Ciceroni siquidem cum vt dixi superius ipse debeat ostendere per coniecturã Clodianas insidias, & id crimen à Milone reiicere, opus est, vt aliquãdo accusatoris, aliquando defensoris locis vtatur. Defendit hic igitur non solum negãdo causam fuisse Miloni, vt Clodio insidiaretur: sed quod est fortius ostendẽdo causam fuisse Miloni, vt Clodius viueret, cum dicit morte Clodii Milonem illam suam singularem gloriam, quæ erat in frangendis furoribus Clodianis amisisse, & caute eos adeptos, ne quem ciuem amplius metuant, sed Milonẽ exercitationem virtutis, suffragationem consulatus, fontẽ perennẽ gloriæ perdidisse ostendit. itaque quod mors Clodii non solũ non prosit Miloni, sed noceat, vt nos in arte docet in hac cõstitutione defendere. Multum siquidem in hac confirmatione Tullius accusando Clodianas insidias vtitur partibus defensoris, quia cum constaret insidias esse factas, & solum in dubium verteretur ab vtro factæ fuissent, sed id crimen in defendendo à Milone reiicit, nonne accusando iacit in Clodium? Et contrà in vtroque autem occupatus est, vt ostẽdat videlicet nõ insidiari Milonem voluisse debuisse, & potuisse, sed Clodiũ. Et postquam causam insidiarũ fuisse in Clodio, in Milone vero non solum non fuisse sed oppositam fuisse mõstrauit, & hoc in ambobus per cõmodorũ appetitionẽ, & in

commodorum vitationem,adhuc demõſtrat inſidiatũ Clodium non Milonem per locum iterum à probabili cauſa,cũ oſtendit irã nec odium fuiſſe ex parte Milonis: fuiſſe autem ſumma ex parte Clodii,ira,& odium cauſæ videri debẽt maxime inſidiarum . In eo igitur in quo hæ paſſiones fuerunt acriores,merito inſidiarum debuit acrior cauſa eſſe . Arguit deinde per locũ à probabili à vita,oſtendens à re ſimili Clodium nũquam abfuiſſe, cum dicit ironice reliquum eſſe , vt Milo coarguatur ex natura, & conſuetudine , & ex his Clodius defendatur. Quia videlicet nil per vim vnquã Clodius, omnia per vim Milo. Et cum exẽpla connumerat violentiæ Clodianæ in ſeipſum primo, & in quoſdã alios bonos ciues adſerens,vt purgator atq; defenſor nihil à Milone vnquam ſimile factum eſſe. Facit enim ex arte,vt vita Clodii ſpectetur ex anteactis,ſicut propter peccata ſimilia iudicatur fuiſſe prõpta ad inſidiandum. & Milonis vitæ integritatem,honeſtatemq; collaudat,cum eius vim ſolũmodo in eo fuiſſe afferit occupatam,ne violentiſſimus ciuis Clodius R. P. occuparet. Deinde vt opus erat crimen inſidiarum à Milone reiiceret,vt totũ verteretur in Clodiũ,arguit per locũ ab vna parte ſigni, quæ pars appellatur occaſio, qua hic vtitur , ait defenſor cum oſtendit non has Milonẽ inſidias veriſimiliter conſtruxiſſe,cum ipſe occaſiones meliores multas,vel res,& aptiores ad Clodiũ occidendũ prætermiſerit . quas occaſiones multis locis atq; temporibus fuiſſe cõmemorat,& concludit , quod nullum quem cum omnium gratia voluit interficere,nũc non ſit veriſimile, cum aliquorum querela occidere voluiſſe: & quem iure,loco, tempore, & impune non fuerit Milo auſus occidere,eundem modo iniuria,iniquo loco,tempore alieno , periculo capitis interficere non fuerit auſus . Itaque ratio iſta pro Milone artificioſe deducta eſt per locum ab occaſione idonea prætcrita vel omiſſa. In qua quidem ratione conſiſtit enthymema ex pugnantibus multiplicatum , vt ait Quintilianus lib . v . cap. de enthymemate . Deinde iterum , vt defenſor inſidiarum crimẽ remouens à Milone arguit per locum a probabili a cauſa,cum ſignificat multiplici ratione maxime in petitione

consulatus non solum non futurum vtile, aut expedisse Miloni Clodium per scelus occidere, sed vehemẽtissime nociturum,& vt accusator contrà ostendit, quod vt nõ fuerit in Milone credibile insidiari,ita non fuerit in Clodio dubitãdum in spe cõmodi,cupiditatem eius ostẽdẽs, cum eũ dicit putasse se regnaturum interfecto Milone. Deinde arguit per locum à parte signi. hoc est per locum à spe perficiendi propter impunitatis cõfidentiam,quam fuisse in Clodio maximam,in Milone vero non fuisse demõstrat, cum Milonem dicit facti aut præclari,aut certe necessarii fieri reum,Clodiũ ita contẽptorem extitisse iudiciorum,pene vt nihil illũ delectaret, aut quod per naturam fas esset, aut per leges liceret. deinde arguit per locum argumẽti prout sumitur argumentum pro vna ex illis sex partibus in quas est cõiecturalis cõstitutionis ratio distributa. arguit enim insidias Clodianas certioribus argumentis, & magis firma suspitione firmat,& hic à parte præteriti, cũ ostẽdit Clodiũ dixisse M. Fauonio, triduo Milonem periturum, & post diẽ tertiam fuisse rem gestã.quem quidẽ locum ab argumento cõfirmat per locum à testibus,cũ testes appellat Q. Petilium, & Catonem,quibus asserit illud Clodii dictum Fauoniũ retulisse,deinde accusans Clodium,defendẽsque Milonem clare & aperte demonstrat multis & apertis iudiciis Clodium viã Milonis scire facile potuisse. Milonem vero Clodii reditũ scire nullo modo potuisse, vnde per locum à collatione videtur argumentum cũ rem eandẽ vnum scire potuisse,alterum non potuisse demonstrat. Deinde per locum à testibus se,ipsumque Milonẽ defendit ab obiectis,cum ex dictis ipsorum testium Clodianorũ liquido concludit,nec se,nec Milonẽ scire, aut suspicari de Clodii ad vrbẽ reditu potuisse.cumq; id demonstrauerit immediate superius per locũ à testibus Clodianis, ne si dicta tamẽ eorũ firma relinqueret,appareret nec ipsum Clodium insidias construxisse, per locum contra testes ipsa dicta dehinc vellicat,& infirmat,cum ostendit fieri non debuisse,quod dicãt,vt scilicet Clodius propter mortem Cyri vellet eo tempore remeare,cũ causæ nullæ subessent propter quas tali properatione opus esset. Deinde confirmat adhuc

per locum ab occasione idonea præterita vel omissa, Milonẽ non iuisse animo insidiandi, & si sciuisset Clodiũ reuersurũ, vt ad id melior occasio quæreretur, tum loci ipsius natura, tum spe perficiẽdi, tum etiã spe celandi, cum ostẽdit, aut occultum fuisse futurum facinus, aut in alios verisimiliter flectendum. Et sic interrogãdo cur meliores occasiones omiserit Milo ab eo per locum ab occasione præterita crimen tollit, totumque id vertit in Clodium, & omnia summo ingenio, & inaccessibili eloquentia, & mirabili facit arte.

EPILOGVS partis confirmationis coniecturalis.

VIDEO adhuc cõstare omnia &c.) Hic est huius superius in constitutione coniecturali peractæ partis confirmationis Epilogus. videns enim multis ex locis varia argumẽta sumpsisse, tum ad Milonem excusandũ, tum ad Clodiũ accusandum, ne iudices horum aceruatione confusi memoria prædictorum, hic necessario est vsus Epilogo, eaq; potissimũ parte epilogi, quæ enumeratio nuncupatur, quæ ad hũc sui effectum in hoc loco sibi necessaria videbatur, vt ea quæ superius late dixit, ad memoriam reduceret auditorũ. Per eã ergo summatim collegit, & ordine, vt ex arte sua debuit omnes locos retulit, quibus est vsus probando insidiatorem esse Clodium, & id crimen à Milone remouendo ita argumentum comparans argumento, vt breuiter reuocata non redintegrata videatur oratio, quo certe nil efficacius est ad memoriam reuocandam.

VIDEAMVS nunc id quod caput est, & locus &c.) Dehinc Cicero prosequẽs confirmationem suam in cõstitutione eadem scilicet coniecturali, arguit per locũ ab vna parte signi. quæ pars locus dicitur, ostendendo locũ ad insidias Clodio fuisse aptissimũ: Miloni vero non aptum, cum ironice dicit dubitandũ esse vter ad insidiãdũ locus fuerit aptior, vel Clodio, vel Miloni, cum ante fundum Clodii gesta sit res, in cuius fundi insanis substructionibus poterant millia hominum collocari. Et cum dicit ironice illum locum electum à Milone, vt de excelso posset inuadere, immo verius locum illum altũ electum à Clodio fuisse, cuius loci spe facere impetum cogitarat. Hac siquidẽ argumentatione ex loco

vehemetiſſime vſum Ciceronem in hac oratione memorat Quintilianus libro quinto inſtitutionis oratoriæ capite de argumentis. Nam. vt ipſe Quintilianus ibidem ait, hæc & ſimilia frequentius ad coniecturam pertinēt. Deinde arguit per locum ab occaſione demonſtrans, vtrum occaſio fuerit magis idonea ad rem adoriendam, an in Clodio, an in Milone, locum hunc roborans ad perficiendi ſceleris ſpem, quã eſſe potuiſſe in Clodio vult intelligi. In Milone vero non, propter eius inapparationem, cum ipſe veheretur penulatus in rhedula, vna ſederet vxor: ſic quod illum omnia, quæ erant ſecum, facilius impedirent. Et rem quaſi ante oculos iudicum oſtendendo arte maxima arguit. Deinde Clodianas inſidias per locũ ab argumento à parte præteriti, cũ demonſtrat ſubitũ egreſſum eius ex villa percontatur, cur fecerit quicquam præter conſuetudinem in alieno tempore neceſſitate ipſum aliqualiter non vrgente, dicens, Quid veſperi? cur neceſſe eſt tarde? quid conuenit præſertim id temporis &c. arguitq; per eundem locum à parte præteriti cũ oſtēdit fuiſſe Clodium in villa Pópeii præter rationem, qua, ne adduci poſſit, vt inuiſeret Pompeium, aut villam inſpiceret, ſufficiēter euacuat. & demõſtrat Clodiũ locum illũ tergiuerſando, & morãdo relinquere voluiſſe, donec Milo cui inſidiatur accederet. Deinde iterum arguit per locum ab occaſione etiã roborata. ea magis fuerit ad rem adoriendam idonea, in qua non perficiendi ſpes fuiſſe monſtratur, in eo' etiã maior arguitur fuiſſe voluntas iuxta ſententiam Quintiliani lib. iiii. cap. de argumentis, vnde eleganter Cicero per apparationem Clodii ſpem monſtrauit, vt voluntas fuiſſe argueretur ex ſpe. permiſcetq; etiã argumentum per locum ab argumento à parte præteriti cum oſtendit, & comparari poſtulat Clodii apparationem cum apparatione Milonis, & dicit Clodiũ præter conſuetudinem ſine vxore fuiſſe, ſine exoletis, & græculis, & reliqua turba voluptuoſa, ſine qua nunquam ire conſueuerat. Milonem tunc vero præter conſuetudinem ancillarum greges, & pueros ſymphonianicos adduxiſſe. ſic enim manifeſtam Clodii apparationem facit, inap

parationem Milonis. Argumentum, vt vides, capit per locum à spe perficiendi, per quam spem roboratur locus occasionis idoneæ. cum vero Clodium, & Milonem quicq; præter consuetudinem fecisse demonstrat, argumentum accipere per locum ab argumento à parte præteriti, si artem bene consideras, tibi faciliter notum erit.

CVR IGITVR VICTVS est &c.) Cicero suspitionē in Clodiū superinduxerat validis argumētis, & præsertim ex apparatione Clodii, & inapparatione Milonis, quia obiici posset, & diceretur, ergo si inapparatus erat Milo, Clodius apparatus, ille vicit, ille succubuit, atque occisus est? obiectionem hanc egregie diluit atque infirmat. Infirmatque etiam quæ sibi possent obiici de manumissione seruorum, vt nihil appareat ex consilio antecedēti ad insidias factū esse, quod pandi per seruos timeret, si eos in seruitute reliquisset, cum omnia fateatur quæ possent per seruos, & ostendit eos non propter cogitatum maleficium, aut timorem aliquem confessionis, sed propter beneficiū in tali casu domino præstitū fuisse à grato domino manumissos. Deinde quia quædam quæstiones habitæ de seruis Clodianis, ex atrio libertatis videbantur esse contra Milonem, cōtra etiam quæstiones & testes, hic arguit cum quæstionem hanc vituperat, eo quod sit contra mores, & à plana corruptela vituperat, & testes, & testium productores, & quæstionis illius modum. communes etenim loci sunt, vt dicit in arte, tum defensoris, tum accusatoris à testibus, contra testes, à quæstionibus, cōtra quæstiones. Contra ergo testes & quæstiones hæc dixit, vt defensor Milonis. Supra enim est dictum quod aliquando hic vtitur Cicero locis accusatoris, aliquando defensoris, cum constitutio coniectura lis hic constet ex duplici coniectura, & etiam mixta sunt multa de ratione confutationis, per quā loci contrarii dissolnūtur, in hac cōfirmatione, per quam sua argumēta exponūtur, vt debent cū adseruatione. Nam cum semper dissolutio locorū contrariorū nostrorū faciat firmamentum, in hac potissimū causa cōfutatio Clodianorū obiectionū Milonis ro-

borat confirmationem,quia cum aut hic,aut ille insidias fecerit,& hoc constet,qui se tantum à crimine insidiarũ purgat necessario culpam flectit in alterũ,vnde fit vt in hac cõfirmatione quædã, quæ illam roboret confutatio artificiosissime misceatur.

QVOD si nondum satis cernitis &c.) Dehinc vlterius confirmando arguit magnam Milonis innocentiã per locum à consecutione,ostendens signa innocentiæ, quæ sequi solent.Et his loco hoc vtitur,vt sequi videãtur defensorem,vt docet in arte,cum non pertimuerit reus.nam ipsum innocentia fretum negat esse commotum.Dicit enim & rogat,vt recordentur celeritatis sui reditus,ingressus in forum curia tunc maxime ardẽte,magnitudinis animi,vultus, orationis,ostendens eum sese propter innocẽtiã nõ cõmouisse, & tradidisse iudicio.nam id non fecisset,nisi de innocentia sua confisus fuisset,cuius vim maximam esse dicit &c. adserens non sine ratione Senatũ causam Milonis probasse videndo præsentiam animi sui, & constantiam defensionis. Deinde locum hunc ipsum à consecutione corroborat per locum contra rumores,cum dicit rumores aliquos sparsos de Milone à populo,quos fuisse falsos re ipsa docẽte demõstrat,adserens eos futuros veros, nisi habuisset Milo quod posset vere & honeste defendere.itaq; comprobatio rumorũ falsorum facta per locum cõtra rumores detegit,atque aperit Milonis innocentiam per locum à consecutione maxime comprobatam.Deinde ne Clodiani locum à cõsecutione,quem tetigit,possint euellere,aut infirmare per locũ etiã à consecutione,attributum accusatori cõtra reum,qui se dixerit propter spem,& vim innocentiæ nõ fuisse commotũ. Quia accusatoris locus est,cum dicat reum vsqueadeo præmeditatum fuisse,quid sibi esset vsu venturũ,vt confidẽtissime resistens responderet,quæ signa sunt cõfidentiæ nõ innocentiæ.Ne igitur isto loco vti possent Clodiani cõtra Milonem,Cicero summa cum arte argumentum,& eodem loco quo prius,videlicet à consecutione ex parte rei suamq; innocentiam defendentis accepit:sed non contra hoc crimen insidiarum, sed contra alia quædam crimina obiecta Milo-

ni,ostendit enim quomodo illa sustinuit, & contempsit ac pro nihilo putauit,vt cum illa crimina manifesta fuerint reperta falsa,quæ ita contempserit,videatur etiam hoc de insidiis falsum esse,quod simili modo contemnant,& sic nó cõfidentiæ,sed innocentiæ signum esse. Præterea summo cum ingenio exaggerat illa alia crimina dicens ea fuisse, quæ nullus nocens animo maximo,nullus etiam innocens nisi idē fortissimus vir negligere potuisset propter hoc innocentiæ Milonis accumulans fortitudinem singularem, quæ illo casu criminum obiectorum in homine nocente esse non potuissent,esse autē potuit in Milone,qui erat fortis,& innocens,& dehinc crimina illa connumerat,quæ dici non delata solum,sed pene credita,nec ante repudiata quam quæsita, vt ostendat eorum falsitatem,nullo alio modo nisi inquisitione detecta ne possit opponi vera fuisse, sed nó quæsita,& inuestigata.Ideoque Pompeii diligentiam in tali inquisitione significat,quam Pompeii diligentiam ne illum præsentem,& audientem notaret ostendens eum fuisse diligentem contra Milonem,elegauter excusat,& laudat eo quod regentes Rempublicam non audire multa non possunt. & ostendit eundem in aliis fuisse diligentem , ne specialiter contra Milonem videatur diligentiam exercere. Et item de alio crīmine reprehēsum Milonem à Senatore quodam dicit,quia scilicet cum telo esset occulto, nec Miloni ante creditū quā nudatus ipse monstrauit falsum esse,vt scilicet semper appareat Miloni nihil aliud quàm puram innocentiam profuisse,cum semper de his de quibus accusatus sit, fuerit diligentissime perquisitum . Præterea postquam incidit in commendationem diligētiæ Pompeianæ,& in ipsum Pompeiū sermonem vertit magna cum industria & elegantia orationis,vt videlicet eum Miloni multa ratione conciliet cū possit maxime opitulari,vel vt si qua esset suspitio,quod Pompeius præter iustitiā esset Milonis adiutor, hāc diluat apud multitudinē ostēdēdo quodāmodo se vereri,quod à nōnullis suis prædicetur. Ne Pompeius scilicet hæc arma parauerit contra suspitionē,& metum,videtúrq; multum in horū purgatione laborare,vel vt omnes audientes intelligerent le

gis Pompeianæ ſententiam,quam ita vt ipſe ſentit, tulit, vt Milonē abſolui oporteret,vtque omnes ſaltem cōfitentur liceret.Cum enim ante mōſtrauerit nec debuiſſe, nec potuiſſe eſſe ſuſpitionem,aut metum,quia gentes illas Pompeius armaſſet,oſtendit in fine cauſam illam non fuiſſe illorū armorum ſuſpitionem,aut metum.Cum dicat Pōpeiū publici iuris,moris maiorum,rei denique publicæ peritiſſimum &c. non fuiſſe expectaturum armis ſibi datis iudicium in eius conſiliis iudicandis,qui iudicia ipſa tolleret. Quaſi dicat,ſi de Milone ſuſpitionem,aut metum excepiſſet,cum arma haberentur à Senatu data pro conſeruatione Reipublicæ,eū merito puniuiſſet,nec in ſuis inſidiis iudicandis iudiciū expectaſſet.& merito quia talis eſſet vir qui tolleret ipſa iudicia,& ſic,vt etiam quodam loco ſupra ſignificat,arma illa eſſe parata non ad terrorem inferendum,ſed ad præſidiū, vt in hac cauſa iudices poſſint libere iudicare.

CONFIRMATIO in conſtitutione iuridiciali aſſumptiua comparatiua.

HAEC VERO me iudices Clodianum crimē &c.) Poſtquam Cicero (vt viſum eſt)confirmauit cauſam Milonis ex fundamēto illius rationis,videlicet quia Clodium vitæ Milonis inſidiantem iure occidiſſet. Eámque rationem comprobauit in conſtitutione coniecturali, vt ſuperius eſt oſtenſum:incipit nunc confirmare cauſam eandem ex vi alterius rationis, videlicet quia eum iure occidere potuit Milo,qui bonos erat contumelioſe vexaturus, & Rempublicā ſeditionibus turbaturus. Hæc enī eſt illa oratio propter quā dictum eſt,conſtitutionem alteram videlicet iuridicialē cōparatiuam in hac cauſa verſari.videtur ſiquidem hinc diſputatio talis oriri, an fuerit vtilius ciuitati à Milone occidi Clodium,an in vita relinqui? cuius partem vnam videlicet quod vtilius fuerit occidi,Cicero hac elegāti oratione, & in hac orationis parte defendit. Quæ quidem pars (vt dixi) in iuridiciali comparatiua tractatur,& quia non habet tantam difficultatem hæc conſtitutio comparatiua,quantam habet cōiecturalis:quæ,vt ait Cicero, tractatu difficillima eſt, breuius hæc pars,& facilius abſoluetur. Et notandum eſt quòd

Cicero non vtitur absolute non ratione,quam supra dixi,di cendo quod illa ratione occiderit Clodium Milo:sed ea vtitur sub conditione,ostendendo,quod si adhuc non vellet aliter diluere crimen,vt diluit,posset Milonem iure defendere &c.Nam vt Quintilianus libro quarto capite de partitione egregie Cicero pro Milone insidiatorem primum Clodium ostendit,cum addit ex abundanti etiam si id non fuisset,talem ciuem cum summa virtute interfectoris,& gloria necari potuisse. Non enim Tullius in hac defensione tantum ponebat quantum in prima,& ideo hanc solum rationem pro pter conditionem adduxit,incipiens,vbi ait, Si adhuc non vellet diluere,&c.tamen impune Miloni palam clamare,& gloriose mentiri liceret,occidi,occidi &c.vbi adduxit exemplum minus maioris.hinc enim ostendit fuisse vtilius ciuitati Clodium esse occisum,cum Milonem inducit quasi cla mantem,& confitentem se occidisse, Non Sp.Melium,non T.Gracchum,quorum mors fuit vtilis reipublicæ, sed occidisse eum scilicet Clodium,qui multo perniciosior illis fuit. Quod vt sit liquido manifestum multa scelera Clodii aceruat,vt appareat quãtum vtile fuerit patriæ tam nepharium ciuem de vita, & vrbe tolli, & quantam ille perniciem bonis intulisset, si fuisset adeptus Præturam, qui mala tot, & tanta iam fecerat.Exindeque arguit fuisse vtilius occidi, cũ rationem, quæ est fundamentum huius partis, adducit, ostendens quantum bonos homines, & patriam ille manu tyrannica lacerasset si vixisset,cum audiẽtes interrogat, quo nam modo ea quæ aderant, & impendebant ipsi depellere potuissent,aut ferre eius imperium si ille fuisset,quod optabat,adeptus. Et calamitates ostendit in quas illi incidissent viuo Clodio. Vnde concludit,quod si cruentum gladium te nens Milo vocaret ciues, & diceret se Clodium occidisse propter vtilitatem Reipublicæ, cum ab eorum ceruicibus repulisset seruitutem, non esset tantum timendum, quo nam animo id ferret ciuitas, cum omnes nunc sentiant, T. Annium Milonem cæde Clodii plurimum Reipublicæ profuisse,nec vnquam in ciuitate tantam lætitiam extitisse significat.Et vt bene appareat vtilitas, quam sit ex Clo-

dii morte Respublica consecuta, dicit viuo Clodio nũquam bona illa in republica fuisse cernenda, quæ euentura sperat. Cum ea quæ priuate tenerent propria esse eorũ non potuissent dominante homine furioso. ita ostendit clarissime rationem illam suã antedictã de turbatione patriæ, & vexatione bonorum &c. propter quã vtilius fuisse persuadet, vt occideretur, quàm vt relinqueretur in vita. Deinde purgata obiectione breuissime quæ opponi possent à Clodianis, cum videlicet ista dicere propter odium, non negat fuisse odiũ, sed propter ipsius Clodii vitia sibi fuisse commune cum omnibus, & vt clarius ostendat fuisse vtilius eum perire. quam viuere, adducit ad iudices illam quæstionẽ quæ in hac confirmatione constitutionis cõparatiuæ tractãda est, cum dicit, vt fingãt animo absolui Milonem, ita si Clodius reuiuiscat, & absq; eo quod quærat vtilius eos, ostendit solum hac conditionis imagine fuisse territos, vt appareat quàm damnosum fuerit eum viuere, & per consequens quã vtile trucidari. Quod similiter etiã monstrat authoritate Pompeii, qua dicit si ferendo legẽ &c, potuisset Clodium ab inferis vocare, nunquã legẽ de eius nece fuisse laturũ. Et hoc propter Reipublicæ vtilitatem: vnde asserens eos iudices eius mortis vltores sedere, cuius vitã, si putent per eos restitui posse, nolint, &c. Adducit (vt ait Quintilianus) libro quinto capite de enthymemate probationem ex pugnãtibus, quam quidã solũ enthymema vocant. Et deinde quod Milo concludit, cõfiteretur alacriter, nec pœnã timeret ab eis quos liberauisset &c. Deinde mõstrata vtilitate, quã est ex morte Clodii Respub. cõsecuta, adducit exẽpla Græcorum, qui summe honorauerunt illos qui ciues pessimos aut Tyrannos occiderãt, vt Milonẽ etiam persuadeat honorari. Confessurumq; audacter dicit fuisse Milonem se fecisse libertatis omnium causa. Et hic nota, vt semper defensionis huiusmodi sibi conditio naturaliter attribuat propter iam dictam causam, & adfert magno animi ingenio multiplicem rationem quare confiteri posset hæc Milo, quod ad salutẽ publicam factũ esset. deinde multis argumentis ostẽdit hoc beneficium Clodianæ cædis fortunæ populi Romani & diis esse tribuendum, vt Milo qui

ipsorum deorum minister in ea cæde fuit nullo dignus supplicio, sed honore amplissimo iudicetur: deinde aggregans iterum Clodii scelera, & ostendens quæ vlterius esset factu rus in vitam suã, si eam vlterius pertraxisset, significat fuisse vtile Reipublicæ, vt occideretur ab illo qui solus eum poterat à furoribus suis cohibere, præsertim vero cum ostẽdat aliter, nec Rempublicã nec Senatũ vltionem de eo fuisse captu rum, & clarificat calamitates in quas incurrissent ni dii Clodiũ perdidissent, nihil aliud vult quã ostendere, quod fuerit vtilius eum occidi quam in vita relinqui. quod multa quidem, & varia, & elegãti hic ratione corroborat, & omnia spectant eò, vt mors Clodii videatur vtilior, & eligibilior Reipublicæ quam eius vita, & per cõsequens eius occisor magis laude dignus, quam supplicio iudicetur, cum fecerit id quod sit vtilius ciuitati, qui finis semper intenditur ab eo qui se defendit in constitutione iuridiciali comparatiua. vult enim talis semper persuadere vtilius, aut honestius fuisse, quod fecerit, & sic fit hic.

DEPRECATIO.

SED iam satis multa de causa &c.) Postquã Cicero cõfirmauit Clodiũ iure cæsum in constitutione iuridiciali per tralationem in Clodianas insidias, easq; vt ipsa tralatio haberet locum accurate cõfirmando probauit in constitutione coniecturali. Et deinde iterum iure cæsum Clodiũ demõstrauit in cõstitutione iuridiciali cõparatiua, ne quid intactum quod causæ suæ prodesset in hac oratione relinqueret, modo se vertit, & confirmationẽ suam ad aliam cõstitutionem seu partem constitutionis iuridicialis, quæ concessio nominatur, per cuius concessionis partem, quæ deprecatio nuncupatur, nititur summa arte absolutionẽ Milonis impetrare. & bene sicut supra in diuisionẽ seu expositione, quæ diuisionis est species prædixerat, videlicet se deprecaturum pro salute Milonis si prius ostendisset luce clariores insidias inimici nõ nisi demonstratis clarissime Clodianis insidiis deprecatur, & quoniam deprecatio fere in iudiciũ non potest vsu venire, nisi quãdo pro eo dicimus cuius multa recte facta cõstant, vt Cicero dicit in arte. ideo cum possit multa præclara

Milonis opera cõmemorare, vt facit in causa ista iuridiciali, nõ indigne deprecatione fuit vsus: in qua nõ defensio facti, sed ignoscẽdi postulatio cõtinetur (vt Cicero inquit) in vete ri qui docet, si pro aliquo claro, & forti viro dicamus sub cõ ditione vtendum esse deprecatione sic, vt non videaris. Et vti tamẽ hoc modo, Quid si iudices hic pro suis beneficiis, pro suo studio, quod in vos semper habuit tali suo tempore, multorum recte factorum suorũ causa huic delicto, vt ignoscereris postularet, tam dignum vestra mansuetudine, quam virtute huius esset. O iudices à vobis hanc rem hoc impetra ri postulante. itaque in hac oratione, vt ignosceretur Miloni, & si non totaliter, sub conditione, vt in exemplo præmisso, tamen effectu simili postulauit, cum dicit, non Milonem veniam postulare, sed se. Hic enim modus sibi fuit visus honestior, vt postularet veniam quasi inuito Milone. ne per hoc siquidẽ, cum significat virum fortem etiã in iusti tia, & veritate plene confidere. Deinde etiam vt Milo miseri cordia dignior videatur propter animi sui cõstantiam exposcit Cicero, vt non minus eius misereantur, qui non ploret &c. Et probat ex hac sua fortitudine animi magis dignum venia existimari, & adduxit deinde Milonem voces fortissimi viri proferentem. Deinde per exclamationem commemorat beneficia, quæ patriæ suæ fecisset, quo loco in deprecatione maxime vtendum est, & iccirco in eo mira exornatione se exercet sic, vt saxis possit lachrymas extorquere. Deinde ostenso quomodo secum Milo fortiter colloquatur, ipse cum Milone colloquitur. Et ostendit quod quanto ille sit fortior, tanto ab eo durius diuellatur, vt habeatur cara Milonis nobilitas atque virtus. qui locus in deprecatione artificiose versatur. Deinde ad iudices versus eos sibi magna arte conciliat, & rogat, vt si quid ipsos offenderit, potius luat Cicero ipse quàm Milo, & sic vsque in finem multis ac variis exornationibus, misericordia, arte summa, & elegantia nititur peruenire.

CONCLVSIO ORATIONIS.

SED finis sit &c.) Hic est cõclusio pars vna orationis, & artificiosus terminus ipsius, cum enim Cicero orationem

suam in deprecatione concluderet, vti maximè debuit con clusione, quæ ex enumeratione constaret. Concludens etenim hic misericordiam captat, cum ostendit se loqui nō posse præ lachrymis quibus defendi Milo non vult, vt cum semper ostendat in iure confidere, & virum fortem esse, & se subiicit in eorum potestatem, quorum misericordiam vult captare, cum orat, & obtestatur, vt iudicent, quia virtutē, fidem, iustitiam suam probauit is maxime qui optimum & sapientissimum quenque legit. Per hoc etiam eos sibi conci lians audaces ad iudicium facit ex voluntate Pompeii, qui ipsos iudices in hac causa delegerat. Et sic breuiter cōcludit hāc totā orationē, qua nihil pulchrius, nil suauius, nil subti lius, nil denique altius, atq; artificiosius fingi potest.

DE ELOCVTIONE.

VLTIMVM est vt de reliqua parte Rhetoricæ, videlicet orationis elocutione videamus, de qua plane per oīa sic dicendum, vt diximus in oratione Pompeiana superius, & de huius similiter est exornationibus perscrutandum. Illa arma centuriones, &c.) Hic est color articulus, cū dictio nes hic aliquæ incopulate ponantur. De liberis, de patria, de fortunis, &c.) Articulus. Si vnquā, &c. Repetitio est. Marci Horatii fortissimi viri, &c. Exemplum est. P. Africanū, &c. Aut Hala ille Seruilius, & quæ sequūtur, Exempla sunt, pro ponunt enim facta aliqua, cum authorum nominibus, vt planum est. Pudicitiam cum eriperet, &c. Exemplū est. Didicimus, accepimus, legimus, &c. dissolutū est. Arripuimus, hausimus, expressimus, &c. dissolutum est. Erant enim leges, erant quæstiones, dissolutum est. Incendium curiæ, oppugnationem, odium, cædem hanc vnam, &c. articulus est. Crimen iudicio reseruaui, rem notaui, &c. Dissolutum est. Quid ergo tulit, &c. Subiectio est, vsque ad locum illum, videt etiam. Nunc igitur vlla quæstio, &c. Hic est ratiocinatio. in hoc enim Scipionis exemplo Cicero poscit ra tionem, quare quicquam dicat, vt patet. Caruit foro, & cætera. Repetitio est, & dissolutum. Insidiator erat in foro, & cætera. Frequentatio est vsque ad locum illum, nisi forte. Qui Africanū, Pompeium, nosmetipsos, &c. Articulus est.

Non fuit ea causa iudices non fuit,&c. Conduplicatio est. Nisi iustitiam,grauitatem,humanitatem,fidem,&c. Articulus est.Quamobrem iudices,vt aliquando ad causam,&c. Frequentatio est vsque ad locum illum,quod quo facilius, &c.Conuocabat tribus,&c.Dissolutum est.Miscebat,conualescebat,&c.Similiter desinens est.Fortissimum virum,Articulus est.Significauit hoc sæpe in Senatu,dixit,&c. Dissolutum est.Solenne,legitimum,necessariũ,&c. Articulus est. Domum venit,&c.Dissolutum est. Obuiam fit ei Clodius, &c.In hac maxime parte vsque ad finem narrationis istius color demonstratio est. Nam ita verbis res exprimitur, vt geri negotium,& res ante oculos videatur esse, cum à rebus consequentibus,& circunstantibus non recedat. Potestque etiam color idem per totam narrationem adsignari cũ per eam totã res verbis similiter exprimatur,& quæ ante & post & in ipsa re facta sint comprehẽdi possint, posset dici quod conuenit cũ schemate,quod dicitur hypotyposis & isti schemati proprie magis conuenit color notatio,vel effectio.Insidiator superatus,vi victa vis,&c. Dissolutũ est. Vel potius oppressa virtute audacia est,&c.Hic est color correctio.Tollitur enim quod dictũ est,& pro eo quod magis videtur idoneum reponitur,conuenit cũ tropo,qui cathortosis dicitur, & cõuenit cum schemate,quod epidioxesis nominatur. Nihil dico,&c.repetitio est propter replicationem nihil.Et occupatio est cum dicat se nihil dicere de eo quod dicit,vt patet in textu.Magnam enim causam,magnam spem &c.Articulus est.Exhibe quæso Sexte,Clodi exhibe &c. conduplicatio est.Tu P.Clodi, &c. Repetitio est. Item dissolutũ est. Imaginibus,exequiis,pompa,&c. Articulus est. At valuit odium,fecit iratus,&c.Dissolutum est.Diem mihi credo dixerat,&c.Dissolutum est.Item similiter desinẽs. Vidi enim vidi,&c.Conduplicatio est.Hæc insidiata Pompeio est,&c. repetitio est.Potuit ne,potuit ne,&c.repetitio est.vltor sceleris illius,&c. Articulus est.Ipse cunctæ Italiæ cupienti,&c. Denominatio est ab eo quod continet id quod continetur. Nam contenti in Italia intelliguntur. Quem igitur cum omnium gratia &c.Repetitio est.Item cõtrarium est vsq; ad

locum illum, Videamus nec id quod caput eſt, &c. Notandum quod exornatio iſta hic aptiſſime, & artificioſiſſime eſt à Cicerone collocata: nam vt ipſe inquit in arte, Hæc exornatio plurimum in coniecturalibus cauſis opitulatur, cum ſuſpitiones quæ ſeparatim dictæ minutæ & infirmæ erant vnum in locum coactæ rem videntur perſpicuam facere nõ ſuſpitioſam, vt hic optime factum eſt. Cum penula irretitus, &c. Articulus eſt. Adde, adde, &c. Repetitio eſt. Pranſi, poti, oſcitantis, &c. Articulus eſt. Ne indicaretur? ne dolorẽ, &c. Repetitio eſt. Cõſeruatores domini vltores ſceleris, &c. Articulus eſt. Item ſimiliter cadens. Quis eos poſtulauit? Appius, &c. Hic eſt color complexio, nam idẽ repetit, & ad idẽ poſtremo reuertitur. Conuenit cum ſchemate, quod epinalepſis dicitur, cum quo ſchemate conuenit etiam conduplicatum, vt ſuperius dictum eſt. Res ipſa, & tã claris argumentis ſignisq; luceat, &c. Tralatio eſt ante oculos ponẽdi cauſa. Nullo ſcelere imbutum, &c. articulus eſt. Item repetitio. Item ſimiliter cadens. Neque vero ſe populo ſolum, &c. Hic eſt color gradatio, quia non ante ad cõſequens verbum deſcenditur, quam ſuperius eſt conſenſum, vt hic patet. Conuenit cum tropo, quod dicitur metalepſis, & cum ſchemate, quod eſt climax. Cui Senatus totam Rempub. omnem Italiæ pubẽ, &c. Articulus eſt. Præſertim omnia audienti, &c. Articulus eſt. Item ſimiliter cadens. Facti rationem, præſentiam animi, &c. Articulus eſt. Cederet æquo animo legibus, diſſolutum eſt. Erumpet, occupabit, diſſolutum eſt. Vt ſuſtinuit dii immortales ſuſtinuit, &c. conduplicatio eſt. Immo vero, vt contempſerit, &c. Hic eſt color correctio. nam tollit id quod dictum eſt, & pro eo id quod magis videtur idoneũ reponit. Tuas inquam ſuſpitiones. Conduplicatio eſt. Si meliorem, ſi hunc &c. Repetitio eſt. Inſtituta, vel iniuſtitia parata intenta &c. Articulus eſt. Cneũ Pompeium iuris publici, &c. Articulus eſt. Occidi, occidi, Conduplicatio eſt. Eum cuius ſupplicio Senatus; &c. Repetitio eſt. Quem Senatus, quem populus, quẽ omnes gẽtes, &c. Repetitio eſt. Caſtris exercita, ſignis &c. Articulus eſt. Qui nõ calumnia litiũ, &c. Repetitio eſt. In Remp. in priuatos, &c. Repetitio eſt. Quã

in nostras possessiones, vestra tecta, &c. Articulus est. Quæ patent, quæ nota omnibus, quæ tenētur, &c. Repetitio est. Vt ius, æquitas, leges, &c. Articulus est. Qui nō probet, &c. Repetitio est. Item interpretatio. nā hoc non iterat idē verbū, sed id cōmutat alio verbo, quod idem valeat. vt interpretatio est, cōuenit cum specie metaplasmi, quæ dicitur tautologia. P. R. cūctam Italiam, nationes omnes, &c. Articulus est. Odio inimicitiarum mearum inflammatus, &c. Tralalatio est. Emouere videar. Tralatio est. Cōfiteretur, confiteretur, &c. Conduplicatio est. Proposita inuidia, morte, pœna, &c. Articulus est. Populi grati est præmiis adficere, &c. Hic est color distributio, quoniā hic in plures personas negotia quædā certa dispertiuntur. Qua Hala, qua Nasica, &c. Repetitio est. Item exemplum. Qui sacra, qui cerimonias, auspicia, &c. Repetitio est. Qua sapimus, qua prouidemus, qua hæc ipsa agimus. Hic color Repetitio est. Ea vis, ea est, igitur, &c. Conduplicatio est. Vos enim Albani tumuli atque luci, vos, &c. Cōduplicatio est. Item est hic color exclamatio. Nam hic conficit significationem indignātis per sacrorū cōpellationē. Vt exclamatio est, cōuenit cū tropo quæ dicitur apostrophe, vel cū schemate, quod dicitur prophonesis. Sine imaginibus, sine cantu, &c. Repetitio est. Polluerat stupro, &c. Dissolutum est in multis verbis. Ciuitas, Italia, prouīciæ, regna, &c. Articulus est. Meū reditū in gratiā, &c. Dissolutū est. Tēplū sanctitatis, amplitudinis, &c. Hic est articulus. Excitate, excitate, &c. Cōduplicatio est. Vir fortissimus in suscepta causa firmissimus, &c. similiter cadēs est. Si nostro omniū fletu, &c. Repetitio est. Valeāt, inquit, valeāt, &c. Cōduplicatio est. Sint incolumes, sint florētes, sint beati, &c. Repetitio est. Itē dissolutū. Vbi nunc Senatus est &c. Repetitio est. Equites Rom. illi, illi. Cōduplicatio est. Negat eni se negat, &c. Cōduplicatio est. Occursationes, studia, sermōes, &c. Articulus ē. Nullū à me amoris, nullū studii, &c. Hic est repetitio. Ego inimicitias potētū, &c. Repetitio est. Quidnā restat, &c. Repetitio est. His lachrymis nō mouetur Milo, Hic est dissolutū. Vos vos appello, &c. Conduplicatio est. Itē repetitio. Expelletur, exterminabitur, proiicietur, &c.

Dissolutum, Indagaui, protuli, patefeci, extinxi. Dissolutum est. Minime minime inquit, &c. Hic est Conduplicatio. Vestram virtutẽ, iustitiam, & fidem, &c. Articulus est.

ARGVMENTVM ORATIONIS PLANTIANAE.

C NEVS Plantius ciuis Romanus ex equestri ordine, & Laterensis Romanus ciuis nobilissimus ẽ famlia Consulari AEdilitatis competitores fuerunt. Et cum essent ambo Ciceronis amici, vt ipse dicit, tamen fauit Plãtio in petitione, eo quod Plantius dum esset in Macedonia Quæstor, & Cicero pulsus esset ex vrbe, iuissetq; in Macedoniam, maxima caritate fuit susceptus, & protectus à Plantio, vnde ei postea restitutus, obstrictus, vt dicit, beneficii memoria in petitione AEdilitatis fauit. faueruntque Plantio tribus multæ. Itaque factus AEdilis fuit præterito Laterense, qui propter nobilitatis gloriam, non ita humiliter & obnixe populo supplicarat. Sed Laterensis ita præteritus sibi prælato Plantio quum dignitate sanguinis certet, vt extimator est vnusquisque suæ virtutis vehemens, sua etiam opinione omnibus virtutibus excedebat, ægre repulsam AEdilitiam tulit. ipsumque Plantium accusauit, quod nõ rite sed iniuria obtinuisset, quia per ambitionem, & largitiones, quamobrem veniret merito de crimine ambitus puniendus. Cicero vero Plantium hac egregia oratione defendit, ostendens ipsum debite AEdilem factum nulla largitione, nec vitio corruptibilem, multaque etiam in seipsum obiecta propria, quod tam feruens Plantii fautor esset, accuratissime purgat, & ad quod se adstrictum asserit obnixe pro Plantio deprecatur.

GENVS CAVSAE.

HAEC ORATIO in iuridiciali genere constituta. habet enim causa accusationẽ cum defensione. nam accusatus Plantius à Laterense defenditur à Cicerone hac oratione. Demonstratiuum genus hic incidit pro ea sui parte, quæ in laudatione consistit, nam multum Plantius commen-

datur à Tullio, vt ostẽdat eum AEdilitatem suis meritis cõsequi potuisse, vt infra videbitur, sed principale genus est iudiciale, vt dictum est, quia principaliter hic Plancius ab accusatore defenditur. Laudatio vero eius hic incidit, quia refertur ad defensionem.

CONSTITVTIO causæ.

CVM causæ huius Plantiane hæc sit principalis constitutio inuistiganda, quæ ex prima intentione accusatoris, & defensoris depulsione cognoscitur, vt in Miloniana superius dictum est. Etenim (vt ait Cicero) constitutio est prima deprecatio defensoris cum accusatoris insimulatione cõiuncta: videamus primo quæ fuit Laterensis intẽtio, & que fuit Plãtiana depulsio, sed intentio nobis hic aliter nota esse nõ potest, quàm ex modo depellendi, eo quod nõ habemus Laterensis accusatoriam orationem. Modus autem depellendi talis primo esse videtur. Iure, & legitime AEdilis factus est Plancius. populus autem rite creauit eum AEdilẽ, & potuit quem voluit facere, quẽ voluit præterire. Itaq; secundũ quod videri ex accõmodatione ad hanc depulsionem potest, iudicaretur fuisse huiusmodi Laterensis intentio, iniuria AEdilis es factus, ex qua depulsione superius posita apparet, quod orta est constitutio iuridicialis. quod vt clarius videamus, & etiam vt cognoscamus quæ pars iuridicialis sit adinuicem, coniungamus intentionem cũ depulsione, & ratione depellentis. Erit ergo intentio Laterẽsis, iniuria factus es AEdilis Planti. Plantiana depulsio, iure sum factus. Ratio. populus enim hoc potuit, & secundum istũ modũ constitutio esset iuridicialis, quoniam quærit an iure, an iniuria factus sit. & cum sit iuridicialis bipartita, in assumptiuam, & absolutã: & assumptiua sit cum est per se infirma defensio, sed assumpta re extranea comprobatur. Absoluta vero cum id ipsum quod factum est, vt nihil aliud foris assumatur recte factum esse dicitur, vt inquit Cicero, quia nihil extraneum sumitur sed solum adfertur rem esse iuris, quia absolute dicitur iure factum, quod populus fecit, & potuit. Manifestum est, quod constitutio est absoluta iuridicialis. Et nota quod quãdo dicitur, quod constitutio causæ cognoscitur ex intentione, &

depulsione, intelligi debet videlicet an sit cōiecturalis, an legitima, an iuridicialis: non autem partes ipsarum constitutionum, vt assumptiua, & eius partes, partesq; legitimæ taliter cognoscuntur, sed est opus ad cognitionem ipsarum annexione rationis gratia exempli, cum sic intendat accusator in Orestem, iniuria occidisti matrem: & ita depellat Orestes, occidi, sed iure occidi. hic est intentio & depulsio, & per eas nihil amplius notum est, quàm quod est constitutio iuridicialis. non enim negat factū, sed iure factum dicit quod satis est ad iuridicialem habendam: sed cum Orestes ante iecit rationem depulsioni, & dicit, illa enim patrem meum occiderat, manifestum fit quæ pars iuridicialis sit. Apparet siquidē quod assumptiua est, & quod etiam pars assumptiuæ, quia tralatiua criminis, adsumitur enim res extranea ad defensionem, vtputa alienum crimen, & transfertur crimen in matrem, & hoc totum apparet per rationem annexā depulsioni. Dabit ergo ratio depellentis notitiam partis cōstitutionis generalis: nisi quis forte diceret, quod depulsio est non solum hæc, proprio iure feci, sed connexa secum ratione & tunc non esse dubium, quod solum ex intentione, & depulsione cōstitutio, & species constitutionis nasceretur. sed sciendū, quod licet ratio depulsionem roboret, tamē abinuicem distinguntur, vt apparet per dicta Ciceronis tam in veteri, quam in noua. tractans eum in veteri de constitutionibus, ponit primo accusatoris intentionem, deinde depulsionem. Post subiūgit quæstionē, post adfert rationem, & infirmationē ipsius, deinde iudicationem elicit, & nō ita distingueretur depulsione à ratione si essent ambæ depulsio. Præterea dicit in arte noua libro primo iuxta finem, Cōstitutione igitur reperta statim quærenda est ratio, &c. Vbi apparet quod depulsio est separata à ratione, quia cū cōstitutio prima saltem sui diuisione generali ex intentiōe, & depulsione reperiatur, & ea reperta post doceat quæri debere rationem, nulli dubium quin depulsio fuerit à ratione seiūcta, licet (vt dixi) non adiuuet, & roboret depulsionē. ipsa enim defensionem continet. quod vero dicebam partem & speciem constitutionis cognosci à ratione, apparet fuisse de mente Tullii,

qui in veteri in exemplo iuridicialis absolutæ,cum posuisset rationem,dicit ideo se illam subiecisse ratione, vt cognosceretur genus ipsum causæ de quo tūc loquebatur Orestes. absoluta ipsa constitutio hæc est iuridicialis de qua tūc agebat. vnde apparet rationem facere ad cognitionem constitutionis,vt supra dixi. Præterea dicit in eodé loco,si suppofuisset eā rationem qua vsi forsan sunt depellentes mutatā constitutionem causæ,quia fieret cōstitutio tralatiua. vnde apparet ex varia ratione variari speciem cōstitutionis, queádmodum varia ex intentione & depulsione prima constitutio variatur.quæ ideo dicta sunt,vt liquido dictum sit oportere me medium depulsionis Ciceronis considerare, & rationes suas ad constitutiones pro hac oratione declarandas. Quia ergo Cicero in prima cōstitutionis parte videtur ita depellere iure AEdilé Plantium esse factū, & adferre rationé nullā quidé extraneā,sed de ipso populi iure sumptā,habemus,dicit,quod pro tanto causæ Plantianæ cōstitutio est iuridicialis absoluta,pro quanto vero depellit, & impugnat Cicero modū agēdi Laterēsis,vt patet in ea orationis parte.Sed aliquādo veniamus ad causam.&, vt inferius ostédetur, constitutio est legitima tralatiua, seddū extenuat Cicero suspitionem largitionis quia eū dicebat Laterēsis tribus corrupisse, versatur cōstitutio cōiecturalis. Quæ vero principalis causæ cōstitutio sit,an scilicet cōiecturalis,an iuridicialis absoluta, nāj legitima tralatiua nulli dubiū quin sit incidétalis, nō facile est iudicare,cū difficile sitvidere primā ītétioné & depulsioné.Si enim Laterēsis aliter ītéderet,isto modo videlicet, tribus,& populū largitionibus corrupisti: & Plantius ita depelleret, nō corrupi:manifestū esset,quod principalis cōstitutio esset coniecturalis.verū Cicero defendendo nititur trahere causam ad iuridicialem absolutā, & hāc iudicationem, cum populus romanus AEdilem Plantium ex Equestri loco natum fecerit, Laterensem vero familiæ consularis prætererit,iure ne id facere potuerit.non dubitauit enim Cicero si res ad hoc dubium duceretur, se facile Plantium defensurum.sed vtcunque sit,prout oratio in variis tractabitur,ita de ipsis vt potero loquar inferius.

DE RHETORICAE partibus.

DE Inuentione memoria & pronūciatione hic est dicēdum, vt dictū est supra in oratione Pompeiana. sed videamus dispositionem orationis. Dispositio quidem est in partibus orationis non ab institutione artis profecta, sed ad casum temporis oratoris iudicio accommodata. Primo siquidem ponit exordium, deinde diuisionem, deinde confirmationem, deinde confutationem. quas duas in variis cōstitutionibus intermiscet. & modo vnius partem ponit, modo alterius. & confutat modo pro se, modo pro Plantio. deinde concludit orationem in deprecatione, vt omnia singulariter ostendantur. nā narratione quæ est vna de partibus Rhetorici instrumenti, & quæ pertinet ad causam de qua iudicium est futurum, de industria supersedit: quia per accusatorem causa satis erat nota. Neque enim ars præcipit, vt narratione semper vtamur, sed vt est apud Ciceronem in Oratore, quando vtendum sit, aut non sit narratione, id est consilii. Neque enim si nota res est, neque dubium quod gestum sit, narrare oportet: nec si aduersarius narrauit, nisi refellamus. Placet hic & Quintilianus lib. iiii. oratoriæ institutionis capite de narratione sic scribens, Sunt aliquando tā breues causæ, vt propositiones potius habeant quam narrationem. id accidit aliquādo vtriq; parti, vel cū nulla expositio est, vel cū de re cōstat, de iure quæritur, vt apud centūuiros filius an frater debeat esse ab intestato hæres, aut cum est idem narrationi locus, sed ante iudici nota sunt omnia, aut priore loco recte exposita, &c. itaque non desiderauit in Plātiana causa ista ratio narrationē, vel quia causa de se nota iudicibus, vel quia ante esset exposita, &c.

EXORDIVM.

CVM PROPTER egregiam, & singularem, &c.) Hic incipit cum oratione orationis exordium, quod an sit debite, & secundum artem confectum, & accommodatum orationi, ex genere causæ videndum est. Videamus igitur genus causæ an scilicet sit honestum, dubium, turpe, vel

humile. Et quia habet in se causa partem honestatis, & partem turpitudinis, dicẽdum est quod causæ genus est dubiũ. Pars enim turpitudinis inde est, quòd quodammodo turpe videretur Plantium verum filium publicani, equestris ordinis, viro ãplissimo, & nobilissimo, ex familia cõsulari, quod videtur turpius, prælatũ largitione nõ meritis. hæc enĩ multum auditorum animos videntur offendere. pars autem honestatis pro quanto virtutes, & merita Plantii ostẽduntur. Et dicitur eis, ad dignitatem legitime, & ex libera voluntate populi conscendisse. Quapropter dixi dubiũ genus esse causæ. Ideòque ex arte sumendũ fuit exordium, per quod beneuolentia captaretur. Et ita ab oratorum principe Cicerone elegantissime factum est. Captat enim primo beneuolẽtiam à persona Plantii ostendendo qualis fuerit in seipsum amicum suum in re accommodata huic rei de qua agitur. Cum videlicet egregiam, & singularem eius in sua custodienda salute fidem vocat, & dicit propter eã fidem in petitione sua habuisse fautores, & ex hoc se gaudium percepisse, sic quòd illam Plantii fidem ad istam ædilitatis causam accommodat quantum potest. Deinde captat ab aduersariorum persona, eos in odium rapiendo, cum crudeliter, perfidiose, flagitiose, significat à suis inimicis, & æmulis noceri Plantio, eo quia eũ conseruauerit, & in periculis protexerit. Quid enim flagitiosius, & maliciosius esse potest, quam alicui obiicere hoc quòd dũtaxat alium in vita, & salute seruauerit, & præsertim Ciceronem? & deinde captat à iudicũ & auditorum persona aperiendo quæ de iis existimatio, & quæ iudicii expectatio sit, cum dicit se eorum consensu, & conspectu recrea ri, à quibus cum semper eum saluum esse voluerint, sibique beneficia multa cõtulerint non extimescit, vt Plantio propter salutis suæ custodiam noceatur. Deinde tacite & ex dignitate captat à persona aduersarii Laterẽsis, eũ non in aptã inuidiam inducendo propter aliquam improperationẽ potentiæ, & factionum, cæterarũmque rerum quibus aduersarii in inuidiam deducuntur: tamen caute & breuiter idẽ faciendo. & ostẽdẽdo magis ipsum Laterensem adiumentis aliis, quàm veritate confidere. Cum dicit mirãdum potius qua-

re Laterensis sibi delegerit Plantium reum quàm timidum videatur à iudicibus cum magna ratione fecisse, &c. & hoc breuissime de huius orationis exordio.

DIVISIO.

QVANQVAM mihi nō sumo tantū.) Hic est diuisio pars vna Rhetoricæ orationis, quæ vt dictum est superius in Miloniana ad hoc potissimum comparatur, vt auditor intelligat summam causæ, & quæstionis, & super quo sit ab Oratore dicendum velut quadam admonitione præsentiat, quod cum variæ species diuisionis variis modis efficiant, videamus quæ hic diuisionis est species, & causa. expositionem esse dicamus, per quam Cicero nunc exponit quibus sit de rebus acturus, dicens sibi non tantum arrogare, vt propter merita in se Plantius absoluatur, sed cum ostensurū alia propter quæ id consequi mereatur, vitam scilicet integerrimam, mores modestissimos, summam fidem, cōtinentiā, innocentiam, & pietatem. quas si non ostenderit, nil recusaturum de pœna: si vero mōstrauerit, petiturum postea, vt iudices misericordiam tribuant deprecanti. quæ ita perorādo perfert, sicut exponēdo prædicit. Dicit præterea se pro seipso esse dicturum non solum pro Plantio cum in se obiecta pene sint plura, quàm in reum: & inserit quid sibi sit obiectum, videlicet de nimia gratitudine in Plātiū, & dicit hæc omnia sibi esse modice tractanda, sed prius tamen respondēdum criminibus, ne Plantius videatur plus recordatione tēporum Ciceronis, quàm sua innocentia esse defensus. Sic vt plane vides exponit hic omnia super quibus intendit hanc texere orationem.

CONFIRMATIO.

SED MIHI in causa facili, atque explicita, &c.) Hic incipit confirmatio pars vna orationis. volens enim Cicero confirmare in causa hac Plantiana pedetentim, eam summo cum ingenio & arte deducit ad iuridicialem absolutam cōstitutionem, in qua de iure populi disputetur, & quodammodo discutiatur hæc quæstio, An potuerit populus quæ voluerit nulla re attenta, & suo iure ædilem facere, & quem voluerit præterire. Nam multis ostendit rationibus se velle

defendere ab ea contentione ad quam ipsum vocat Laterẽ-sis,& velle venire ad eam ad quã causa ipsa deducit, hoc est supra dictam de iure populi.quod ideo facit,quia non dubitat illa persuadere faciliter.Et vt supradixit cum loquebar de constitutione causæ,hæc pars est tractata in absoluta iuridiciali,vt facile est videre per intentionem & depulsionem,& rationem formaliter superius positas:quæ licet non sint ita ad verbum in oratione,tamẽ eas sic formari debere dicitur ex modo confirmandi,& confutandi.non enim ita formaliter ponuntur in orationibus,quemadmodum in rhetoricis pro exemplo,vt res clarius videatur ostenduntur. Potest tamen videri per orationẽ,quæ intentio,quæ depulsio,quæ ratio.Et si vtraq; haberetur ratio,accusantis scilicet,& defendentis,videretur etiã firmamentũ,& omnia clarius.Sed vtrũque possumus ex vna tantum oratione cognoscere.formamus hæc,vt causæ cõstitutionem aliqualiter cognoscamus. Sed ad propositum reuertamur. tractata siquidem hæc pars est in absoluta iuridiciali,vt supra probatum est.vti ergo debuit locis,& argumentis absolutæ iuridicialis, vt facit egregie.Nam arguit quod populus AEdilem Plantiũ facere potuit.ad hæc si esset non tanti quanti Laterensis, quod tamẽ hic sic esse non adserit. Sed de hoc alio loco agendum dicit. Et arguit per locum à natura,& consuetudine populi, cum cum dicit esse aliquando inanem iudicem dignitatum. Ali quando vero non,& ostendit in quibus mandandis honoribus est,& in quibus non est.Et cum dicit se de iure populi disputare qui potest, & solet præterire nonnunq̃ dignos, quæ omnia videntur à natura,& consuetudine populi continere,vt ipsemet probet exemplo antiquorum patrum, qui tenere nõ potuerũt, vt essent hi reprehensores Comitiorũ, quia populus semper voluit,quos voluit facere,quos voluit præterire.Itẽ arguit per locũ à iudicato,cũ ostẽdit,quod iudicari postulat Laterẽsis esse iniquus in causa simili iudicatis antiquitus, quia antiquitus solũ is non gerebat magistratũ, q ceperat à populo sine authoritate patrũ.Nũc aũt postulatur,vt ex illo creati iudicium populi rescindatur. Item ar-

guit per locum à natura, & consuetudinē populi. Cum Laterensem pulcherrime consolatur ostendendo in rebus ta libus populi consuetudinem, & naturam, & vt propter eam non debeat commoueri, cum non semper comitiis iudicet populus, sed moueatur plerunque gratia, cedat precibus. faciat eos plerunque à quibus sit maxime ambitus, cum etiā si iudicet non delectu, aut sapientia ducatur ad iudicandum, sed impetu nonnunquam, & quadam etiam tenuitate: cum in eo non sit consilium, non ratio, non discrimen, non diligentia. Item arguit per locum à iudicato, cum dicit sapientes dixisse esse ferenda etiam, sed non laudanda, quæ fecisset populus. Deinde ostenso quod hæc accusatio potius sit in populum quam in Plantium, arguit iterum per locum à consuetudine & natura pro populo, & Laterēsem cau te mitigat, & solatur, ostendens qualiter se soleat habere populus in comitiis AEdilitiis. Tunc dicit studium eius in talibus esse solere, non iudicium: & illa potius eblādita, quàm enucleata suffragia, & eos qui ferant suffragium deliberare sæpius quid ipsi debeant, quam quid è Repub. debeatur. Et ob id contradicit, quod si adhuc iudicium populi maius esset, ferendum esset. & hoc confirmat per locum à cō suetudine clarissimorum, & sapientissimorum ciuium, qui tulerunt. Item arguit per locum à natura, cum dicit, conditionem illam esse populorum liberorum, & maxime populi Romani, vt dare, detrahere cui velint possint &c. nec esse fas potestatem ciuium impugnare quod fecerunt, sed allicere voluntates, placareque turbatas &c. Venio nunc ad ipsius populi partes &c. Prosequens Cicero in constitutione eadem, videlicet iuridiciali absoluta, vt magis appareat causam plus populi esse, quā Plantii, orationem fingit qua vti contra Laterensem ipse populus videatur, in qua quod fecit ipse populus magna cū arte defendit, & primo Laterensem mitigando, eo quod non in eius contumeliam prælatus est Plātius, sed quia obnixius supplicabat, arguit istius rationis efficaciā per locum à natura, & cōsuetudine sua, cū dicit sibi semper supplicari voluisse, & se rogari, & ostēdit sine discrimine personarū se in AEdilitate posse præferre quos velit, &

hoc per locũ à consuetudine, cũ dicit sæpe in similibus hoc fecisse, vt viri clarissimi in AEdilitatis petitione præponerẽtur ignauis, & exempla connumerat, M. Seii, C. Sereni, Cn. Mãlii, qui homines ignaui fuerũt in AEdilitia dignitate maximis & amplissimis viris prælati Marco Pisoni, Quinto Catulo. deinde populus quasi Laterensem mitigans, & ostendens causam, quia ei non contulerit dignitates, ne dicere possit Laterensis populum ipsum iniuria fecisse, quod fecit, eum ad petendum hortatur, & admonet vt meminerit popularis illius naturæ, quæ vult vt sibi diligentius supplicetur, per locum à natura sua arguens se iure Laterensi Plantium prætulisse, qui melius naturæ populi satisfecisset, quia scilicet curiosius & diligentius supplicauit.

HAEC oratio populi est, mea vero &c.) Ostẽso ex præcedenti populi oratione ipsius iure absoluto in mandandis honoribus, prosequitur Cicero confirmationem suam, quã orationem à sua ipsius persona continuat, & ostendit in eadem iuridiciali constitutione absoluta non solum populum creare potuisse quem voluit, sed etiam præterquã in casu largitionis factæ populum in iudicium aduocari nõ posse. Arguens per locũ à consuetudine publica, quam frangi oporteret omnimode si aliter fieret. quod demõstrat aperte cũ dicit, quod si quotienscunq; præteritus erit is qui non debuerit præteriri, toties oportebit eum, qui factus erit condemnari: nihil iam opus erit quod supplicetur populo, neq; opus erit suffragiis, & renunciatione, & illis omnibus quæ consueta sunt fieri. Itaq; contra omnẽ consuetudinem simulatque professi erunt aliqui, subito cognosci poterit ex gradu familiæ, quis debeat obtinere, & sic erunt suffragationes extinctæ, & similia studia cum populi libertate in mandãdis magistratibus. multaq; quæ enumerat acciderẽt cõtra solitum, in quibus hoc erit, quod nulla erit amplius varietas comitiorum, vt scilicet esse consueuit. Et si Laterensis vellet opponere, & dicere, quod tamen comitia tractari possent cũ consilio & ratione, vt digniores præferrentur: contra hoc arguit per locum à consuetudine, dicens, quod persæpe accidit, vt aliquos factos esse, aliquos nõ esse, mirentur, quod hic cõsue

tudine tritum ſit. Et contra idē arguit etiam per locum à natura comitiorum, cū campum comitiorum cōparat pelago fluctuanti, & mari profundo, atq; æſtuanti: ſic vt in illo tanto impetu, & motu non poſſint eſſe, nec modus, nec ratio, nec conſilium. Deinde arguit per locum à natura populi, & conſuetudine cāpi comitiorum, non debere rem hanc in iudicium aduocari. Cū enim dicit gratam eſſe tabellam populo, quæ hominum mentes tegit, vt ſcilicet poſſint vnum pro mittere, aliud facere, oſtendit naturam popularem. Et argumentum concludens interrogat cur exprimat Laterenſis in iudicio, quod non fit in campo, videlicet hæc, hic quam ille dignior, oſtendit conſuetudinem campi comitiorum, & ſic tandem concludit, quod non ſit in campo quærendū æquū aliter quàm quia factum à populo eſſet ſi non ſit recte factū, qui populus potuit facere, quod voluit etiā ſi non debuit: & ſic ſimiliter non ſit quærendum aliter in iudicio.

CONFIRMATIO Coniecturalis.

QVID ſi populi quoq; factum, &c.) Poſtquam ſuperius Cicero artificioſiſſime confirmauit in conſtitutione iuridiciali abſoluta demōſtrādo populum potuiſſe creare quē voluit: Hic incipit confirmare in alia conſtitutione, videlicet coniecturali Plantium non largitione, ſed meritis AEdilem factum. Etenim quod dicit ſe velle defendere factum populi, hoc eſt rite factum eſſe, & docere Plantium non obrepſiſſe ad honorem, ſed eo veniſſe curſu, qui ſemper patuerit hominibus ex Equeſtri loco. Hoc enim curſu legitimo nihil aliud intendit facere niſi negare ſimpliciter largitionem aliquam fuiſſe. hoc enim nullo melius modo negat quàm ſi rationes alias oſtendit, quibus Plantius factus AEdilis ſit, ſed negare ſimpliciter largitionem fuiſſe, eſt cauſam trahere ad conſtitutionem coniecturalē, quoniā negatio facti eſt, vt clare patet in arte. Eſt ergo pars iſta confirmationis in conſtitutione coniecturali, cuius cōſtitutionis locis vſus eſt hic Cicero, vt materia paſſa fuit. Hoc dico quia non tot locis cōiecturalibus tractari poteſt iſta cauſa, in qua cauſa accuſatur, negaturq; largitio, quot potuit cauſa Miloniana tractari, & cauſæ aliæ in quas multæ & variæ ſuſpitio-

nes incurrũt. Hic enim fere sufficit demõstrare rationes, qui bus Plantius factus sit AEdilis, vt omnis sit largitionis extincta suspitio. Sed ad nostrũ propositũ procedamus. Cum enim in cõiecturali cõstitutione accusatio suspitiosa esse debeat, defensio vero attenuatiua suspitionũ, Cicero hic primũ, vt accusator accusationis Laterensis eã suspitionẽ cõmaculat dicens, se mirari cur hũc potius accuset, quàm alios cõpetitores filios Equitum Romanorũ, vt est Plantius: qui etiã ab eo longissime absfuit, neq; tantũ impediuit, vt reliqui. quasi velit Cicero in hac sua admiratione accusationẽ Laterẽsis criminari, quod videlicet ob aliam potius causam instituta sit ab eo, vt etiã inferius apertius dicet. Nã ex hoc tantum obtinet Cicero quod ostendit non solum fuisse largitionẽ quam aduersarii criminãtur, sed etiam ipsos aduersarios nõ putare eam fuisse, qui insimulentur propter aliud accusare, &c.

SED TAMEN hæc tibi est prima &c.) Hic tanquam defensor Plantianæ causæ, vt suspitionem largitionis attenuet, & extinguat, rationes ostẽdit quibus potius AEdilis factus est Plantius quàm Laterensis. Et sic mira cum arte nunc descendit ad illam contentionem cõparationis vtriusque, quam velle videbatur effugere. Nunc enim eam tractat quando scilicet iam tractata defensione in iuridiciali absoluta cõstitutione, modo in coniecturali fructuosior sibi fiat illa contentio dignitatis, quam certe hoc loco fugere non poterat ostensurus merita Plantiana. Magnam enim auditorum sibi cumulasset inuidiam, nisi etiam Laterensis merita tetigisset, quæ esse magna ostendit. sed rationabiliter Plantiana gratia superata. Itaque primo arguit per locum à probabili causa demonstrans non expedisse reo peccare. hoc est non expedisse Plantio largitione corrumpere, cum ostẽdit, eum licet à Laterensi nobilitate generis superatum magna habuisse præsidia, propter quæ AEdilis fieri sine largitione potuerit. Isto enim modo vt defensor debet, ex arte negat fuisse causam maleficii, hoc est largitionis, quæ in causa ambitus maleficium est. Nã clare ostẽdit Plãtii adiumẽta, cũ dicit suffragia ei fuisse, quæ despiciat Laterensis, & conferendo vtriusque familiam signat tantam nobilitatem, non so-

lum non profuisse Laterensi, sed etiam nocuisse cum pauci sint, qui nobilitatem ament &c. Deinde summa cũ eloquentia serio commemorat adiumenta multa quidem & varia, quibus significat potius Plantium quàm Laterensem AEdilem factum, quæ cum omnia ad vnum & eũdem locum, & argumẽtum sumptum scilicet à probabili causa spectẽt, particulatim narrare non expedit. his siquidem omnibus Cicero vult habere non expediens fuisse Plantio largitione corrumpere, cui tanta fuerũt opitulata subsidia, & sic etiam omnia quæ de virtutibus & vita commemorat, ad eũdẽ pertinent locum. Nam vult ostendere Cicero nõ fuisse illi causam largitione corrumpendi, qui potuit in tanta virtute cõfidere. Itaque ista particula de ratione generis demonstratiui, vt dicebam cum loquebar de genere causæ, refertur ad defensionem.

EPILOGVS præcedentis partis coniecturalis confirmationis.

OMNIBVS rebus igitur ornatũ &c.) Hic est habitæ immediate in coniecturali constitutione Epilogus cõfirmationis, quo ex arte post firmissimã argumẽtationem vsus est Cicero. videns enim ipse varia & multa dixisse de meritis Plãtianis, & causis honestissimis dignitati suæ, vt ea animis figeret auditorũ ad hoc idoneo est vsus Epilogo, & eius parte illa, videlicet quæ enumeratio nuncupatur, per quã breuiter colliguntur in summa quæ dicta sunt, in ordine refertur quicquid est dictum, velut si respicias hic in textu accuratissime factum videbis.

CONFVTATIO.

HVNC TV VITAE splendorem &c.) Hic est confutatio pars vna orationis, in qua Cicero confutat egregie quæ obiecta sunt Plantio, quæ quidem à Laterense obiecta ad id videbãtur spectare, vt cũ Plãtius, tũ turpissimæ vitæ ratione, tum sordida patris Publicàni vita & arrogantia, nullo videri posset legitimo fretus auxilio, viderent solum largitione obtinuisse, & ob id causæ de ambitu condemnãdus.

hic ergo diligẽter confutat Cicero, ne aduersam própter istã suspitionem largitionem inducant, & ne per locum à probabili à causa possint ostendere expedisse reo peccare, id est largitione corrumpere, locum illum aduersariorum egregie confutando dissoluit.

CONFIRMATIO in Legitima Tralatiua Constitutione.

SED aliquãdo veniamus ad causam.) Postq̃ Cicero causam Plãtii in constitutionibus absoluta, iuridiciali, & coniecturali, multa arte, mirabili eloquio cõfirmauit, & obiecta aliqua in Plantiũ cõfutauit, vt superius est ostẽsum: nũc causam eandem alia in constitutione confirmat, legitima scilicet tralatiua, quam vt vides inter constitutionum aliarũ cõfirmationes immiscuit, quia per se habet hæc cõstitutio minus firmitudinis. Confirmatur autem assumpta alia aliqua constitutione, vt Cicero inquit in veteri, & recte. Nam niti solum in tralatione esset parua defensio, quæ cum aliis adiũcta fit valida, vt hic. Ostendens enim Cicero non esse editos iudices quos oportuit, inducit in Laterensem suspitionẽ diffidentiæ veritatis. Et sic etiam defendit crimen largitionis obiectũ Plantio, vt in veteri fieri docet. Dicit enim ibi, quod defensor criminibus defendendis coniecturali constitutione tralationem confirmabit. Et cum ex tralatione cõtrouersia nascatur, tunc aut tempus differendum aut accusatore m mutandum, aut iudices mutandos reus dicit, vt inquit Cicero in arte noua. Hic ex membro tertio nata est. Cũq; in hac constitutione ea quæ quærenda sunt, ista videlicet num aliquis eius rei actionem, aut executionem, aut petitionem habeat quam non habere oportet, num alio modo, tempore, loco, num alia lege. num alio quærente, aut agente reperienda sunt legibus, moribus, æquo & bono: quæ quidẽ sunt aliquæ partes ex quib. cõstat ius & ex quib. nõnulli fundãtur loci in absoluta iuridiciali: videamus hæc quæ ad cãm hãc incidunt, aut sunt à Cicerone potissimũ prædicata. Arguit per locum à lege editionem illam iudicum à Laterense factam, in qua esse eum ostendit cum alias tribus edidisset ad iudicãdum in hac causa, quam eas quas edere debuit ex Se-

natuſconſulto,quod erat,vt tribus illæ potiſſimum ederentur,quæ maxime dicerentur largitione corruptæ:ad hoc, vt illi iudicarent in cauſa qua poſſent ipſæmet eſſe teſtes,& iudices.Cum auté Laterenſis ab iis alienas ediderit tribus,criminatur eum Cicero,quod eos non ad legis ſententiam,ſed ad ſuam ſpem ſuóque iudicio delegerit, & ſic hanc eſſe iniquam editionem.Deinde per locum à bono,& æquo arguit editionem hác ſummam habere acerbitatem. Nam cum id ex æquo & bono ius conſtet,quod ad veritatem & commu-nem vtilitatem videtur pertinere (vt ait Cicero in arte noua)quid eſt magis contra veritatem decernendam, & per cõſequens contra ius huiuſmodi,quam deligere ad iudicandũ iudices paſſione adfectos?quod Lateréſem feciſſe Cicero criminatur,cum dicit illum ex omni populo deligere iudices, aut ſuos amicos,aut Ciceronis ĩimicos, aut quos exiſtimet crudeles,inorabiles,inhumanos, & aliter affectos, & cum eos effundat tam repente, aut ante conceſſum eorum iudiciũ videat,quam qui futuri ſint ſupplicari potuerint,& apud eos nullis reiectis cauſam de fortunis cogat dicere. ex quo apparere poteſt magna huius editionis acerbitas, cum editio contra ius nec ex bono & æquo taliter ſit confecta. Deinde arguit per locum à maioribus reiiciendos ex iudicibus editis à Laterenſe cum interrogatione, loquendo, nunquid ita ferret hos iudices editos ex omni populo,vt neminẽ reiiciat,cum clariſſimi ciues nuper nomen editi iudicis nõ tulerint?Cumque reiecerit reus ex c x x v iudicibus principalibus equeſtris ordinis quinque & ſeptuaginta,omniáque potius permiſerint quã ei legi conditioniq; parerent. hinc enim in hác cauſam ex tali clariſſimorum ciuium more ſibi trahit argumentũ. Deinde arguit iterũ per locũ à lege iniquitaté editionis,cũ dicit ſe nõ queri iniquitaté legis,ſed docere factũ Laterenſis, id eſt editioné à legis ſententia diſcrepare:& oſtendit quomodo diſcrepet, & quomodo legis ſententiam fugit,quia maluit vti ignotis iudicibus, & cauſam in tenebris quam in luce verſari, & inducit taliter in Laterẽſem ſuſpitionem diffidétiæ veritatis propter talẽ editionẽ, cũ ſapienter,& modeſte interrogãs, quid dicere poſſet apud

terribiles iudices suos,ex quibus nullum posset habere testẽ. Deinde approbato C. Afro in causa quæsitore edito,dicit à Laterẽse non esse seruatũ Senatus consultũ: & subiũgit causam,vt in ipsum suspitio transferatur diffidẽtiæ veritatis,vt sic editionis iniquitatẽ suspitione iniecta fortificet, dicens, Quis nũc te audiret illorũ?aut quid diceres? sequestrẽ ne Plãtium? Respuerent aures &c.hæc enim sibi futura fuisse prædicat si iudices debitos edidisset. Deinde ostenso quorsum ambire licet,& quæ in petitione dignitatum sunt notanda, & quæ non,inuitat Laterẽsem ad modũ debitũ agẽdi in hac causa,quasi velit in hac eadem constitutione legitima tralatiua reprehendere non solũ editionẽ iudicũ, sed etiã accusationis modũ.Nam demonstrans quæ à Senatu seueritatem bonorũ,vim ac dolorem excitarunt,ad ea docenda Laterensem inuitat,& vt in eo modo accusationis incumbat,vtque ostendat talia Plantium commisisse, id est conscripsisse, sequestrem fuisse &c. Quod si fecerit, se tunc miraturum dicit,cur nõ vsus est armis,quæ sibi dabat lex. quasi diceret, se modo non mirari,quod nõ sit vsus,quia videlicet ille mõstrare non poterat, & ideo ad alia se arma cõuerterit. In hoc enim maxime & tacite,vt vides,editionẽ suam suspitiosam reddit,quam vt etiam demõstret inutilem,quærit ab eo,cur fugerit illã rationẽ,scilicet agendi,& eos edere iudices voluerit,qui sciuissent iudicare, quid apud hos dicturus est iudices qui requirerẽt,cur sibi illud onus ĩposuerit, &c. Deinde ratione mõstrata perbreuiter Laterẽsi cur obtinuerit Plantius dicit Laterensi sic,vt ipse demonstret ea de quibus accusat eum,ad modum agendi in re istã debitum facũdis & validis inuitando rationibus.

CONFIRMATIO coniecturalis alia.

SED cur ego sic ago qua,&c.)Cõfirmata Plantii causa immediate superius in cõstitutione legitima tralatiua, nũc adhuc regreditur ad confirmationem in cõiecturali cõstitutione breuiter pertractãdã, nã cũ ex arte sua debeat ita argumẽta disponere,vt in principio,& in fine confirmationis argumenta, quæ validiora sunt collocet: in medio vero per se minus firma disponat: Ita hic egregie fecisse videtur.

Nam in primis posita confirmatione ille prævalida iuridiciali absolutæ cõstitutionis, & subsequenter confirmatione coniecturali,& deinde in medio inserta confirmatione minus firma constitutionis legitimæ tralatiuæ: nunc iterum in coniecturali constitutione confirmat,& ex loco forti quẽ non ante tetigit. Arguit enim Plantium non solum non verisimiliter debuisse,sed ne etiam tribus, & populum potuisse corrumpere,& arguit hoc per locum a signo ratione temporis,spatii,& occasionis. Cum dicit consulem rebus in omnibus summa authoritate, & ipsarum legum ambitus authorem habuisse comitia subito,& præter opinionem, vt si etiam cogitasset quispiam largiri ne daretur spatium comparandi,quia renunciare tribus &c. sic vt ne minima quidem suspitio largitionis esse potuerit. Deinde arguit per locum à probabili causa, nõ expedisse Plãtio largitione corrũpere, cũ dicit fuisse tantã vim in vna centuria prærogatiua,vt nemo prior eã tulerit,quin ipse renunciatus sit:aut his ipsis comitiis cõsul,aut certe in illum annũ. & ostẽdit nõ esse mirãdũ si Plãtius obtinuit,in quo nõ exigua pars populi,sed vniuersus populus voluntatẽ suã declarauerit. Et cuius in honore. &c. Mõstrat enim hoc cur non fuit causa Plãtio largiẽdi, quod supra etiã,vt patuit multis rationibus demõstrauit. Et sic ratione monstrata, qua obtinuisse dicit Plantium, dehinc demonstrat causam cur non obtinuit Laterensis, quia præ grauitate,& magnitudine animi noluit populo supplicẽ se exhibere &c. Omnia enim colligit, vt appareat causas fuisse alias præteritionis Laterensis, & vnam largitionem, quam criminabatur aduersarius,nullatenus adfuisse.

CONFIRMATIO in Iuridiciali absoluta alia.

QVAERIS ETIAM Laterensis,&c.) Hic Cicero multa cum arte regreditur breuiter ad cõfirmandum in constitutione iuridiciali absoluta,in qua causam Plantii sapienter,& caute confirmat per locum à consuetudine,& Laterẽsem indignantem se esse præteritum mirabiliter consolatur, eum excitando in spem maiorum dignitatum, cum exempla illa commemorat,& ostẽdit quot, & quanti viri repulsam AEdilitiam passi sunt, qui tamen facti sunt Consules.

CONFIRMATIO Coniecturalis.

ANTE illa argumenta duxerunt &c.)Regressus Cicero ad confirmationem, quia suspitiones quædam collusionis,quæ dicebatur facta à Plantio, iniectæ erant in Plantiũ à Laterense,primo confutat eas in constitutione coniecturali.Et quia ex paritate suffragiorũ,quia dicebantur ambo Tribus vna tulisse, suspitio inducebatur collusionis, arguit Cicero ex hoc non debere suspitionem collusionis induci per locum à probabili causa,ostendens hanc conclusionem sibi necessariam non fuisse, cum iam factis superioribus comitiis prope iam declarati venissent.& ostendit hanc etiam paritatem suffragiorum alia causa,quam per collusionẽ incidere potuisse.Hoc à casu cum dicit,quod nunquam fortiorem AEdilitiam constituissent,nisi posset accidere, vt competitores suffragiis pares essent:Deinde quia collusionis etiã suspitio inducebatur per dicta Laterensis:adserentis sibi prioribus comitiis à Plotio,& Plantio competitoribus concessas esse tribus,postea ne in angustum venirent, ab vtroq; euulsos esse, dictum hoc confutat Cicero per locum à probabili causa,cum ostendit quando sibi concessas dicat, tum fuisse maxime necessarias:quãdo vero dicat euulsas, tunc necessarias nõ fuisse,quia erant superioribus comitiis declarati, sic vt non factis appareat verisimile dictum suum.Deinde quia etiam suspitionem Laterensis inducebat à testibus,confutat Cicero per locum contra testes,cũ ostẽdit,aut eos fuisse corruptos,aut Laterensi suffragia nõ tulisse, quorum vtrumque & turpitudinem & inconstantiã contra testes arguit. Deinde Laterensis suspitionem largitionis induxerat adserendo nummos fuisse deprehensos in Circo flamminio: hoc confutat Cicero per locum contra rumores,cum de hoc rumorẽ falsum fuisse demonstrat: qui rumor cum primo caluerit nõ ita refrixerit,vt ipsius falsitas cognoscatur. Et ex hoc etiã quia illum qui dicebatur fuisse diuisor rerum ipse non fecit &c. Deinde in inuidiam deducens insimulat Laterensem, quod alia potius motus ratione Plantium accusauit. Deinde confutat per locum contra testes:ostẽdens eos cupide testificari, cum dicit eos cõmunes rerum omnium inimicos

ſemper de ambitu teſtimonium dicere, vt aut ſuis teſtimoniis amicos moueant, aut propter dignitatem à populo conſequendam, & demum vtitur artificioſe loco communi contra rumores, qui eſt, Credi rumoribus non oportere. Rogat enim iudices ne fictis auditionibus diſſeminato diſperſoque ſermoni fortunas innocentium ſuggerēdas putent, ſed inueſtigent fontem, & inueniant veritatem &c.

SED venio nunc ad Lucium Caſſium &c.) Proſequens confutationem ſuam ad L. Caſſium ſe conuertit, eique reſpõdet ad illa quæ in Plantium, & ſeipſum interrogando coniecerat. Verum lectori in hac cõfutationis parte ſufficiet eam apud Ciceronem videre. Nam nunc argumenta ex locis colligam, vt ſupra feci, nec quod eſt artis excutiam. Quanquam enim apud Ciceronem omnia plena ſunt artis, tamen pars iſta multum cum confutatione iudiciali cedit. Et ſolum in quibuſdam reſponſionibus magis in ratione demonſtratiui generis, quã iudicialis verſari videtur. Eſt enim vſus egreſſione, quam aliqui dicunt non debere alteri parti q̃ narrationi ſubiungi, illum ei locum propriũ aſſignantes, cõtra quos Quintil. & recte vt patet ex rationibus ſuis libro quarto oratoriæ inſtitutiõis cap. de egreſſione. Sed in hac egreſſione, ſicut ex arte debuit Cicero non tranſcendit in rem alienam, ſed in rem cauſæ coniunctam, vt ornaret, & locupletaret orationem ſuam, &c.

RESPONDEO nunc Laterenſis, &c.) Proſequens Cicero confutationem ſuam conuertit ſe ad Laterenſem, & ipſius in ſe obiecta confutat. Et ſimiliter in hac confutationis parte lectori ſufficiat in oratione videre, quod dicitur abſque locorum declaratione, ſecũdum quod immediate ſuperius dictum eſt. In vno enim niſus eſt Cicero in hac cõfutatione, vt propter gratitudinem, innocentiam, & virtutem Plãtii videatur eum tam accurate defendere. Cum aduerſarii contra iſta contenderẽt, vnde ipſe ſerio narrauit caſum ſuum, & in eo caſu ſingulare Plantii beneficium, quo pie & facunde narrato ſe conuertit ad deprecationem, vt mox videbitur.

DEPRECATIO.

NON ego meis ornatum &c.) Postquam superius Cicero confirmando,& cōfutando,& omnia pro dignitate, & salute Plantii faciendo,maximo ingenio,incredibili eloquētia,& peracuta vsus est arte,quemadmodum in expositione, quæ dictionis est species,ipse prædixerat se facturum,conuertit se ad deprecationem:quæ licet ad iudicium nō veniat per se, iuncta tamen cū aliis defensionibus maximā habet vim, & quasi ab ipsa natura concessam:vt cum aliis fuerit confirmationibus addita multum audiētes inflectat, & mulceat. quod & Cicero ipse in suo Oratore significat,ex ore licet alterius argumentans, facultatem eloquentiæ à natura profectam, eo testante maxime quod natura nos doceat, id quod intendimus confirmare, & quod contradicitur refellere, & ad extremum deprecari aliquid, & conqueri. Itaque, quod dicebam,deprecatio,conquestio in fine adiuncta maximam vim habet à natura datam. Et sic Cicero sæpe vtitur deprecatione in orationibus, & hic potissimum, vt vides.

Nam per narrationem immediate præcedentem demonstratis legitimis causis atq; iustissimis cur debeat pro Plantio deprecari,vt cum videantur constare multa in se effecta, Plantiana deprecatio ipsa honestior videatur,pie, & sine arrogantia deprecatur, & argumētis his vtitur magna ex parte quibus maxime docet ipse misericordia commoueri.cum patrem pro filio deprecantem ostendit, & aperit, quod fiet ab inimicis,& æmulis,nisi obtineat,& supplicat,& orat, vt vides,humiliter,& iudicum subiicit potestati.

EPILOGVS orationis.

PLVRA NE DICAM &c.) Quanuis probabiliter dici possit totam hanc deprecationē esse orationis Epilogum,& Conclusionem: cum præsertim epilogi proprium sit,vt in eo omnes effundatur affectus ad misericordiam cōmouendam,vt vult Quintil. lib. iiii. oratoriæ institut. cap. de exordio, & hoc notabiliter facit in deprecatione ista:Dicendum tamen videtur, & melius, quod hic est signanda conclusio, & artificiosus terminus orationis, quam cum in

deprecatione finiret,vti habuit conclusione quæ ex cōmiseratione constaret,quæ ex arte debet esse breuissima:sicut hic cum se dicit ne loqui plura possit præ lachrymis impeditū, commiserationem,inquit ipse, breuē esse oportet,nil enim citius lachryma arescit.

DE ELOCVTIONE.

VLTIMVM est vt de reliqua parte Rhetoricæ,videlicet de orationis Elocutione videamus, de qua per omnia sic dicendum,vt supradictum est in oratione Pompeiana.& similiter est de ipsis exornationibus perscrutādum.

COLORES.

CVI mea salus nō chara fuerit,&c.Dissolutū est. Nisi eius integerrimā vitā,modestissimos mores,&c. Articulus est. Et lubrica defensionis ratio &c.Tralatio est,cum appellat lubricam rationem. Qua se virtute,qua laude Plantius, qua dignitate,&c.Repetitio est. Tu continentiā,tu industriam &c.Repetitio est.Viri boni,sapiētes,iusti,graues. Articulus est.Sed mouetur plærunque gratia &c. Dissolutum est. Non ratio,non discrimen,non diligentia. Repetitio est.Item articulus. Studium esse populi non iudicum:& blandita illa,non enucleata esse suffragia,&c.Dissolutū est. Male iudicauit populus,&c.Subiectio est. Licet enim non interroget aduersarium quid dici possit ab illo, tamen quod dici potest inserit,& subiicit immediate,quod aduersarii dictum tollat,& per consequens ita videtur esse subiectio ac si interrogaret,aut quæreret. Etenim conditio liberorum populorum,&c.Distributio est. Allicere alienas,retinere partes,&c.Similiter cadens.Item similiter desinēs est.

Ego tibi Laterensis,&c.Hic est color conformatio,inducitur enim populus ad loquendum,& oratio ad suam dignitatem accommodata attribuitur eidem. Conuenit cum tropo, qui dicitur Prosopopœia. Homini nobilissimo, innocentissimo, eloquentissimo, &c. Articulus est. Deinde sentientem me virtutis tuæ,&c. Tralatio est augendi causa. Nihil est quidē quod iam populo supplicetur. nihil,&c.Repetitio est. Sunt omnes sine macula,sunt æque boni.Dissolutum est. Sublata sunt studia,extinctæ suffra

gationes,&c.Dissolutum est. Cur tu in iudicio exprimis, quod non fit in campo, Hic est interrogatio satis grauis & concinna, ante annunciare his quæ causæ aduersarii obsunt.

Quomodo est igitur æquum,&c.Subiectio est eo modo, quo supra in hac oratione,ibi videlicet,male iudicauit popu lus. Qui id putant esse pulcherrimum, qui imaginibus, &c.Repetitio est. Quorum honoribus agri prope dicam ipsi montésque fauerunt,&c.Superlatio est. Nam est oratio superans veritatem augendi causa.Conuenit cum tropo,qui dicitur Hyperbole. Num quando iudices Tusculani aliquem &c.Repetitio est.Non infuscasti maleuolentia nō assueta &c.Repetitio est. Nemo Arpinas,non Plancio,&c. Repetitio est. Flos enim Equitum Romanorum &c.Arti culus. Item Tralatio est. Nō enim opibus, non inuidiosa gratia &c.Repetitio est.Sed commemorationem beneficii,sed misericordiam.Repetitio est. Appellaui populum, tribubus me submisi,&c.Contrarium est. Quod Cneum Marium ciuili errore,&c.Repetitio est.Item similiter desinens in aliquibus verbis. Item est hic contrarium. Hanc fidem minimam virtutem,&c. Demōstratio est, & ponitur continens pro contento. Omitto illa quæ si minus &c. Occupatio. Cum patruo,cū affinibus, cum propinquis, Repetitio est. Occursatio,& blanditia popularis, Dissolutū est.Item similiter desinēs. Omnibus igitur rebus ornatū, &c.Frequentatio est vsque ad illum locū,hunc tu vitæ splen dorem. Municipum, vicinorum,societatum. Articulus est. Hunc tu vitæ splendorem maculis aspergis istis,&c. Tralatio est. De cuius vos pudore interrogate,religione. Articulus est.Patet vt in iudicio capitis, patet &c. Repetitio est. Turpissimus,sordidissimus. Articulus est. Valēt, valēt inquā cōmuni sensu omniū, Cōduplicatio est. Vt pater,vt auus,vt maiores.Repetitio est. Plurimarum rerum iustissimus,& sanctissimus iudex,maximarum societatū. Ar ticulus est. Tamen is oberit honestissimo filio pater cui, &c.Contrarium est. At id ipsum non est ferendum. ergo hi ferendi sunt,qui quærunt libertatem Equitis Romani se ferre nō posse,&c. Hic est Traductio,quoniam positum hic

idem verbum crebrius non modo non offendit, sed côcinniorem reddit orationē, vt patet. Vbi ille mos, vbi illa æquitas iuris, vbi illa libertas. Repetitio est. Virum omnibus ingenio, iustitia, integritate præstantem. Articulus est. Vt quæ fuit olim præconii in ridēdo. Contrarium. Si fortis nullum crimen in casu Cōsulis &c. Hic est color diuisio. Nā hic rem semouet à re, & vtrāq; absoluit ratio subiecta, tu Laterensis quas tribus edidisti, & subiectio est vsq; ad locū illū, Quid Plātio. Aut amicos tuos, aut inimicos meos &c. Cōtentio est. Quos inexorabiles &c. Repetitio est. Aut vero nuper clarissimi ciues. Contrarium est vsq; ad locum illū neq; nunc legis &c. Dissolutū. Itē similiter desinens. Aut qui dicent sequestrem ne Plantiū respuerēt, subiectio est vsq; ad illum locum. Noli enim putare &c. Ne obseruent tribules suos, ne diligāt &c. Repetitio est. Hæc enim plena sunt officii, plena obseruātiæ, Articulus, item repetitio est. Decuriatio tribuū, descriptio populi, suffragia &c. Articulus est.

Hoc doce &c. Dissolutum est. Decuriasse Plantiū, conscripsisse &c. Articulus est. Cur hoc sibi oneris imposueris &c. Repetitio, & similiter desinens. Quo tu si sodales vocas, diuisio est vsque ad illum locum, iam vt ego doceo.

Quod multis benigne fecerit. Articulus est. Noli extollere ex ordine nostro. Repetitio est. Quid taces? quid dissimulas? quid tergiuersaris. Repetitio. Etiam atq; etiā. Conduplicatio. Posco atq; flagito, Correctio. Vocate tribus latum suffragium. Dissolutum est. Licet verba non sint, subintelliguntur tamen, & incōiuncta. Vadit enim pater tuus vadit. Repetitio est. Itē exemplum, vt aliquæ quæ sequuntur in litera, L. Cæsaris, Cn. Octauiani, M. Tullii &c. Articulus est. Destitisti denunciasti. Dissolutū est. Quum conuenit nondum cognita populi voluntate. Contrarium est vsq; ad illum locum, & enim verebantur. Magnæ sunt in te opes, late patet gratia &c. Dissolutū est. Multi amici, multi cupidi. Repetitio est. Item Articulus est. Quis nostrū se dicit. M. Curio. Repetitio color. Africano, Marcello, Maximo. Articulus. Virtus, probitas, integritas. Articulus.

Vt nos in mancipiis parandis. Similitudo est. Nam tra

ducit ad rem aliquid simile ex re dispari. Frugalitatem,labore,vigilātiam.Articulus. Negotiationibus comis,mercationibus iustus. Articulus est. Feci vt postea quotidie præsentem.Dissolutum. Nisi forte,lege,necessitate. Articulus. At valuit assiduitate.dissolutum. Quanquam dissimilis est pecuniæ debitio,& gratiæ, Similitudo est ordinādi causa per contrarium.Vulnus illud Reipub.dedecus huius imperii.Articulus est. Viuis hic stante vrbe, curia,Articulus. Familiaritate,vicinitate,Articulus. Ego cū cæteri vera beneficia.Contrarium est. Cum eras mihi amicissimus.Repetitio est. Sed animo,copiis,corpore. Articulus est. Non facis finem,ferre non possumus. Dissolutū.

Tantum periculum,tantum laborem.Articulus. Hæc est enim vna virtus nō solū maxima. Hic est color sentētia; quē colorē in duabus prioribus orationibus nullo loco signaui,quod has sententias statuebam relinquēdas variis iudiciis variorū,propterea quod secundū varia instituta Philosophorum aliæ possunt appellari sententiæ, quæ apud alios non dicuntur: nunc deinceps consilium mature libuit, & quas ipse sententias esse credidero signare pro sententiis. Est ergo meo iudicio hic color,qui dicitur sentētia.est enim omnino sumpta de vita,quæ quid sit in vita breuiter ostēdit, & confirmatur ista sentētia subiectione rationis, vt patet in litera orationis.conuenit cum tropo, qui parabola dicitur.

Nimioque in eo ipso,Traductio est,cum iocunditate est ibi vna dictio reassumpta. Sed hoc nescio.Similiter desinēs in verbis tribus est. A Senatu,à Repub.à bonis omnibus.Repetitio est. Qui exercitibus,qui armis. Repetitio est. At tota Italia cōuenerat.Denominatio est.& sumitur continens pro contento. Sed erat non iure,non legibus. Repetitio.Item articulus. Armis fuit, armis inquam fuit. Conduplicatio.Vbi enim mihi præsto fuisset, vt causa fortis,&c.Exemplum est,vt aliqua quæ sequūtur. Graues aduersarios,paratos interitus.Articulus. Nam qui pro Republica vitam debeant. Sententia est. Vt iam mihi seruirem, consuletur meis. Dissolutum. Non dico authorem,ducem,defensorem,&c. Occupatio. Item articulus.

Hoc didici, hoc vidi. Dissolutũ est. Reip. status, indignatio temporum, ratio concordiæ. Articulus. Beneuolentiam in me, memoriam. Articulus. Audi audi atque attende, Conduplicatio. Cum tibi vigilãti. Articulus est. Hos hos quomodo enim &c. Cõduplicatio est. Quid me aspectus. Repetitio est. Desiderio, luctu, querelis, &c. Articulus hic est.

Non opibus contendo. Repetitio est. Item Articulus.

ARGVMENTVM ORATIONIS PRO P. SYLLA.

PVBLIVS Sylla, & Antonius Romani ciues potentes ambo Cõsulatũ per ambitionẽ obtinuerãt cõtra L. Torquatum patrẽ eius Torquati, qui hic accusator est Syllæ. Et ob id tunc de ambitu ambo damnati grauiterque mulctati fuerunt iuxta consuetudinem & leges Romanas, quæ hodie locum non habent, nec habuerunt, ex quo dignitates ad arbitria principum Romanorũ deuenerunt, sed mulctam illam acerbam superbe, & animo iniquo atque infesto tulit Antonius. Sylla vero cum maximo pudore, & magna modestia, & ex illo Torquati pater, & filius inimci Syllæ fuerunt. Vnde Torquatus hic iunior accusauit eum, quod fuisset in quadã cõiuratione, quæ antea fuerat facta patre suo consule designato, Lepido, & Volcatio consulibus. Et in ista oratione Q. Hortensius orauit pro Sylla non Cicero. nam illis temporibus Hortensius in Republica versabatur, & sciebat indicia illius coniurationis. quorum iudiciorum Cicero, quia tunc non ita erat in Repub. fuit ignarus. Et accusauit etiam Torquatus Syllam, quod simul cum Antonio erat de coniuratis in cõiuratione Catilinæ, qui Antonius de eo crimine fuerat damnatus. Et huius criminis Torquatus in Syllam visus est suspitiones adducere. Itaque in ipsum Ciceronem grauiter est inuectus, quoniã in crimine illius coniurationis Syllam defendebat. Cicero vero se honeste id facere arguit, & tanquam ille qui vere sciat veritatem de coniuratis in illa coniuratione, quam ipse Cõsul aperuit, & indicauit, Syllã hac insigni oratione defendit.

poris oratoris iudicio accommodata. Primo ſiquidem ponit exordium, deinde diuiſionem, deinde confutationem, per quam nunc in ſe, nunc in Syllam obiecta confutat: deinde concludit orationem in deprecatione, non enim hic pluribus orationis partibus vſus eſt Cicero exigente id cauſæ ratione, vt infra oſtendetur.

EXORDIVM.

MAXIME vellem iudices &c.) Hic oratio incipit, & orationis exordium, quod ex genere cauſæ, vt ſit artificioſe tractatum diſcutiendum eſt. Genus autem cauſæ dubium eſſe dicamus, vt eſt fere in omni defenſoria oratione Ciceronis, quam præ manibus habemus. Et ratio, quoniam in qualibet tali iudiciali cauſa ad quam ratio defenſionis admittitur, accuſatio, & defenſio criminis continetur: & pro quanto crimen accuſatur, apparet quædam turpitudo in cauſa: pro quanto vero refellitur, quædam interlucere videtur honeſtas, præſertim antequam ab vtraque parte ſit peroratum, auditoribus adhuc inter vtrunque pendentibus. quanuis enim in ſe & ſecundum veritatem cauſa eſt honeſta, vel turpis, ſicut omnis eſt cauſa, tamen pro dubia videtur habenda ante ſententiam, niſi veritas plane pateat, & tunc fere in quæſtionē res trahi poteſt. Sed ad cauſam quæ habenda pro dubia eſt, debitum orator ex arte accommodare debet exordium, verbi gratia in oratione præſenti. Cum P. Sylla eſſet omnium forte, quæ ſibi obiicerentur, ignarus, & innocens, ſua cauſa eſſet honeſta: ſi vero fuiſſet coniurationis conſcius turpis eſſet: ſed cum dubium hoc maneret apud iudices, habuit Cicero exordiri vt in genere cauſæ dubio, per exordiū ſcilicet beneuolentiæ captiuum, vt eleganter hic facit. Et omnibus illis modis quibus beneuolentia à perſona noſtra captatur, difficulter hic poſſet Cicero à Syllæ perſona captare, quoniā erat iudicio ſuperiore dānatus, afflictus, & miſer, quibus potuit modis captauit ex inimica Syllæ ipſius perſona, proferēdo ipſius incōmoda & calamitatē, cū mētionē facit de caſu ipſius infeſto, & de ſua euerſione, & fortunæ ſuæ reliquis miſeriis, & afflictiōibus: quæ mala ne videātur ſibi merito cōtigiſſe, & ſic nō ſolū nō captari propter iſtā beneuolē

nis possit intelligi,& possit etiam exordio cōuenire,melius; & proprius assignatur diuisioni,quam exordio. per hoc enī orationis pars vna cōficitur, & exordiū recedit à vitio prolixitatis, & sicut hic dicitur, ita dici posset in aliis quibusdam orationibus, quæ omnia speculabitur lector. Nos ad alia transeamus.

CONFVTATIO.

AT PRIMVM abs te &c.) Hic est cōfutatio pars vna orationis. Postq̃ Cicero debitū præmisit exordiū, & elegāter exposuit, se illico trāsfert ad hāc cōfutationē maximā omnium obiectorum,nequaquam narratione,& confirmatione separatim duabus partibus orationis inductis, cuius dispositionis, & modi aliqualis ratio reddēda est.Et de narratione primo.Cicero enim cum hic Syllā defenderet,nō habuit tractare seorsum illam narrationem super qua iudiciū fundabatur.Nam cum iam scirent iudices substantiam causæ ex accusatione Torquati, non habuit Cicero nisi per accusatorē narrata purgare. Præterea cum narratio illa in qua causa ipsa,& oratio totius cōtrouersiæ continetur,hic caderet aliquantulum offensoria,eo quod narranda fuissent illa per quæ in suspitionem coniurationis Sylla trahebatur, super quibus ratio controuersiæ fundabatur: habuit ex arte Cicero sic illa narrare,& exponere, vt præsto medicamentū vulneris esset,& odium statim defensio mitigaret. Et sic debuit membratim dispergere partes narrationis,& àd vnamquamque accommodare òrationē,vt in arte veteri fieri docet,& sic ita fecit elegāter. Nam de particula in particulam repetita accusatione Torquati rem ostendit,& purgat accusationem,vt clare apparet in litera orationis.Talis autē modus confutationis est proprius præsertim in statu causæ cōiecturali. Ipsa enim confutatio est dissolutio locorum aduersarii. Ergo se rite, non habita alia narratione, transtulit ad confutationem.Et quia non præmiserit aliam confirmationē facile est videre. Nā defendēti satis est diluere obiecta locósq; dissoluere,quibus impetitur: præsertim cū agatur cā suspitiōis,vt hic sufficit defendēti suspitiōes extinguere. Et pars defensoris tota est posita in refutatione,vt ait Quintil.

Præterea qui aliena confutat,sua confirmare videtur. Et sic sæpe istæ duæ partes orationis confirmatio, & confutatio permiscētur,& in arte etiam à Cicerone valde permixte tractantur,quoniā valde cognatæ, & finitimæ partes sunt.

Quod etiam patet ex dictis Antonii oratoris in libro de Oratore.dicit enim,Quia neque reprehendi quæ contradicuntur possunt,nisi tua confirmes: neque hæc confirmari, nisi illa reprehēdas:idcirco hæc,& natura,& vtilitate, & tractatione coniuncta sunt.Sed his omissis,videamus hanc cōfutationem. qua primū à Torquato in seipsum obiecta confutat,quæ pars,cum sit aliquantulum egressiua à causa,non est secundum propriam constitutionem tractata, ideo non opus est in hac arte disquisitione locorum secūdum artem, facit tamen etiam hæc pars ad causam,& constitutionē per hunc modum,quia demōstrata legitima ratione huius defensionis habitæ à Cicerone,& ab Hortensio, Sylla quodāmodo per locum à testibus defenditur,cum nec Hortensius pro prima cōiuratione, nec Cicero pro secunda tales viri defenderent,scientes ambo,qui in illa coniuratione nocentes fuerunt,nisi vterque cognosceret Syllam innocentem fuisse.

SED iam redeo ad causam &c.) Cicero prius reddita ratione cur tam multa de se dixit, adductas à Torquato in Syllam suspitiones extenuat.Et quoniam Torquatus per locum ab argumento ex interrogatione Allobrogum,& respōsione Cassii suspitionem conflarat in Syllam, Cicero illam confutando dissoluit per eundem locū. Argumētatur enim validis rationibus,aut dicta Cassii purgare Syllam, aut saltē non debere,nec posse clare suspitionem,vt patet clare in litera orationis.

EXCLVSVS hac criminatione,&c.) Cum Torquatus obiecisset Ciceroni eum iudicia de coniuratis falsa protulisse,per hæc intendens ostendere crimen Syllæ vitio Ciceronis occultatum,Cicero acriter,& facunde cōfutat, & hæc etiam pars confutationis permagna sui parte à proprio causæ statu egreditur,quare in ea non expedit locum constitutionis exquirere.Illa tamen pars valde facit ad causam,qua Cicero veritatē iudiciorum probat.Nam si fuerunt iudicia,

neq; in his nominatus est Sylla, ipse innocēs demōstratur.
AT accusat Cornelii filius &c.) Confutat hic Cicero suspiciones iniectas in Syllam in constitutione coniecturali, quæ huius constitutio causæ est. & primo repudiato iudicio Cornelii tacite confic̄to & ex actione filii arguit, & ostēdit Syllā nō fuisse de cōiuratis Catilinæ per locū ab argumēto, prout hic sumitur argumētū pro vna ex illis sex partibus ī qua est cōiecturalis cōstitutiōis ratio distributa. & arguit ex his quæ cōsiderātur in præterito tēpore, cū ostēdit Syllā nō fuisse cum Catilina, nec cū Antonio eo tempore quo comitiis Consularibus impetum facere conspirarant, & cū his verisimiliter esse debuerat, si in eadem causa fuisset &c. Deinde hic idē arguit per eūdē locū, cū ostēdit nocte illa periculosissima in toto tēpore cōiurationis, & ipsius cōiurationis æstuāte feruore Syllā non fuisse cū coniuratis nec in vrbe, nec in exercitu Catilinæ, nec in aliquo loco suspecto: sed tunc fuisse Neapolitana in ciuitate, & in ea Italiæ parte quæ maxime ea suspitione caruit. Deinde confutat suspitionē adductā ex emptione gladiatorum &c. ostendens verā causam qua empti sunt: & sic per locum contra argumēta illa, & signa, quibus hæc suspitiosa dicebatur, suspitionem hāc diluit. Deinde suspitionem adductā ab aduersariis per locum ab argumēto profectionis Quintii amici Syllæ in Hispaniam vlteriorem confutat, & diluit per locum cōtra illud argumentum, & signum, ostendēs profectionem illam fuisse tempore nō suspecto. Cuius etiam legitimam causam reddit, magnā scilicet rationem cum Mauritaniæ rege contractam. Deinde arguit non esse illum Quintium criminosum per locum à probabili causa, cum ostendit sibi non expedisse peccare ea causa quæ cæteros impellit in facinus, cupiditate videlicet retinendæ possessionis. Nam in illo cupiditas ista non fuit, qui æs alienum dissoluit prædiis diminutis. Deinde suspitionem adductam ex Quintii profectione in Hispaniā confutat per locum à signo, ostendēs non verisimiliter debuisse esse quæsitam hanc perficiendi facultatem per talem profectionem, immo si Sylla erat coniuratus, ipsum verisimilius debuisse tenere quencunq; penes se, quàm infructuo-

se eũ in terras vltimas trãsmãdare. Deinde etiã Quintiũ purgat à suspitione huius sceleris per locũ à probabili causa, cũ primo eius integritatẽ, & honestatẽ ostẽdit, simulq; ex honestate familiæ, & patris fide corroborat locũ istũ: & deinde significat cupiditatẽ illam retinẽdorũ prædiorũ, quæ vnũ hominũ genus faciebat horribile, & pertimescẽdum in Quintio non fuisse, qui se ex suspitione tanti sceleris, & ex hominum etiam sermone nõ armis, sed patrimonio vendicauit. Deinde suspitione aducta de dissidio Pompeianorum &c.) confutat per locum ab argumento, demonstrans nihil horum fecisse, aut apparauisse quæ sibi obiiciãtur, cum pari studio sibi adsint Pompeiani, atque Coloni, de quibus nunquã fuit illa suspitio &c. Deinde quia aduersarii L. Cecin. fratrem Syllæ criminabantur, dicentes propter suæ legis rogationẽ gladiatorum vim esse comparatam: hæc cõfutat Cicero per locum ab àrgumento, demonstrans non sic facta esse, quæ dicerent &c. Deinde suspitionem eam quam Torquatus ex epistola Ciceronis adduxerat, cõfutat per locum à collatione, cum ostendit alios quod dicat à Sylla factum, facere potuisse, Cn. Pisonem, Catilinam, Vargõteium, & Antroniũ: & cum ostendit ex ipsius Torquati dictis id maleficiũ alteri quam Syllæ fuisse profuturũ, videlicet Catilinæ, propter cuius Cõsulatum dixerat coniurationẽ alias esse factam &c.

NEQVE ISTORVM FACINORum tantorum &c.) Postquam superius Cicero suspitiones ex locis variis, vt ante ostensum est, hic multum late cõfutat easdem per locum à probabili à vita Syllæ. quem quidem locum quando ipse est in hac constitutione q̃maximus, & multum commendatus ab arte, late & serio pertractat, primum ostendendo quantum sit huic loco fidẽdum ab exemplis Catilinæ & coniuratorum: deinde significando integritatem, honestatemque vitæ Syllæ in vtraque fortuna. quæ omnia ad hoc spectant, vt ex anteactis moribus Syllæ nemo debeat suspicari eum vnquam coniurationis facinus concepisse.

QVAESTIONES nobis seruorum &c.) Quoniã aduersarii videbantur adfectare quæstiones, & tormenta ser-

uorũ,ideo hic Cicero caute dicit contra quæstiones. si enim res quæstioni subiecta fuisset,& ex hoc esset aliqua cõtra Syllam extorta confessio,aliter ipse confutasset secundum regulas suas in arte,secundum quas ibi docet dicere contra quæstiones confessione iam facta:sed hic,quòd tantum inferretur timor quæstionis,cautissime dixit,vt nulla vereri videretur,etsi confessio extorqueretur.Postea cum iam sufficienter ostendisset veritatem non rite quæstionibus inueniri: deinde ostendit hanc veritatem melius per locum à probabili à vita haberi , cum dicat nihil orationis , vel obscuritatis esse posse in causa,si audiatur illa vox quæ debet esse grauissima, vox scilicet,& conditio vitæ præteritæ.

NVLLVM in causa testem timemus &c.)Postquam futuræ quæstionis,quam aduersarii minabantur,vim exhausit per locum contra quæstiones, & mõstrauit plus loco per probabile à vita,quàm quæstionibus fidei dandum,ita similiter hic est vsus contra testes,vt nec vereri testimonia videretur:& si aliqua adducerẽtur postea, iã ante sufficienter ostẽdisset per locum contra testes non esse credẽdum : sed in his magnis disquisitionibus argumento per locum à probabili à vita vtendum,cui loco,vt multum fidei dari debeat eleganter ostendit.Et dicit valde prudenter,& modice propter arrogantiæ euitationem authoritatem defendentium debere valere,quasi per locum à testibus argumentans.

ACCVSATI sunt vno nómine &c.) Hic confutat aliqua obiecta in consulares,& in seipsum,& hæc pars cõfutationis egressiua est à statu causæ iuridiciali: ideo eã sine locorum & argumentorum disquisitione pertranseo.

DEPRECATIO.

NIHIL video in hoc P.Sylla &c.) Postquam Cicero confutauit in constitutione coniecturali,vt sæpe in iuridicialibus causis solet, se vertit ad deprecationem: qua tamen nõ ita vtitur,vt Syllam peccasse,& consulto fecisse fateatur,& tamen postulat sibi ignosci:sed hic ita semper hac vtitur,vt sine confessione criminis deprecetur.ideo ex stricta descriptiõ

ne vocabuli per eum in arte data, non esset proprie deprecatio nominanda, sed ipsa in orationibus aliquando vsus est Cicero aliter, quā in arte descripserit: & hic, vt in aliis locis. Quando enim in arte deprecationem descripsit, considerauit differentiam propter quam deprecatio à purgatione distincta est, cum essent illæ duæ concessionis partes tanquam species sub genere proprietate differentes sua. Nam cum species vtraque fateatur, illa crimen in prudentiam, necessitatē fortunamque reflectit, quarum rerum nihil hic facit, & tamen postulat sibi ignosci. At licet non tam stricta sit hic deprecatio, est tamen prout humiliter deprecatur ex locis deprecationis ipsius in arte descriptæ, deprecatio nominanda. Illa enim stricta deprecatio in iudicium venire non potest: sed accepta largius est, vt supra dixi in Plātiana, etiam in causis iudicialibus naturalis. Itaque sic illam hic inducit egregie locis multis ac validis, quibus in arte docuit misericordiam cōmouere: ostendens quid sibi, & familiæ suæ, parentibus, & amicis futurum sit, nisi obtinuerit, cum dicit ideo se supplicare, ne æterna, & turpis infamia suo generi inuratur. &c. Et aperit in quanta sit calamitate constitutus: ad quem locum, quia valet multum ad misericordiam commouendam, sæpe redit, vt facile est ex oratione percipere. & vtitur illa rerum commutatione, cum docet in quantas lachrymas à quanta dignitate peruenerit, quod argumentum per communem locum tractari docet in arte &c.

CONCLVSIO.

SED IAM impedior &c.) Cum terminaret Cicero orationem hanc, in deprecatione optime conclusit, conclusione quæ ex cōmiseratione constaret in qua, vt debet: ex arte, se iudicum subiicit potestati: eosque cōcilians humiliter deprecatur, vt hic clementiam suam ostēdant. Posset etiam dici, totam illam partem quam immediate superius pro deprecatione signaui cum hac simul esse orationis Epilogum & proprie conclusionem ex commiseratione ad misericordiam commouendam.

DE ELOCVTIONE.

VLTIMVM est vt de reliqua parte Rhetoricæ vide-

licet orationis elocutiõe videamus, de qua plane per omnia sic dicendum, vt in Pompeiana est dictum, & de huius est exornationibus perscrutandum.

COLORES.

INFLAMMANDAE ciuitatis, huius extinguẽdi imperii.) Articulus est. Honore hæc, authoritate, virtute, &c.) Articulus. Qui adsunt, qui laborãt, &c.) Repetitio est. Item dissolutum. Quis nostrũ seruũ Syllam, &c.) Repetitio est. Item Ratiocinatio, vt patet clare. Ratio R. P. religio priuati officii, &c.) Articulus est. Quod nondum positus in R. P. &c.) Repetitio est. Qui interfuit, qui cognouit.) Repetitio est. Item dissolutum. Quæ facta contra nos, delata ad vos, &c.) Hic est Articulus. Qui vobis in consilio fuerunt, &c.) Repetitio est. Hunc defendunt huic adsunt.) Dissolutum est. Multa cum essem Cõsul de summis R. P. periculis audiui, &c.) Repetitio est. Itẽ Dissolutum. Consilio inuestigasset, virtute aperuisset.) Dissolutum est. Ille ambitus iudicium, &c.) Contentio sententiarum est vsq; ad locum, At vero in coniuratione, &c. Infesestus bonis hominibus, patriæ, &c.) Articulus est. Quod flagitium Lentulus, &c.) Repetitio est. Illum Allobroges &c.) Repetitio est. Item contentio sententiarum vsque ad locum illum, Propter hanc igitur causam tantam. Nemo insimulauit, nemo nominauit, &c.) Repetitio est. Item Dissolutũ. Cornua, tubas, falces, &c.) Articulus est. Ille relictus, &c.) Similiter cadens est. Item Articulus. Veniebat enim ad me, vt sæpe veniebat Antronius.) Conduplicatio est. Cum discipulum in pueritia, &c.) Articulus est. Cum mihi patriæ nostrorum periculorum, &c.) Repetitio est. Suscepi causam indignitate, suscepi, &c.) Conduplicatio est.

Si falsum dixerim te in eos dixisse, &c.) Diuisio est. Si iam hoc tibi concedam, &c.) Repetitio est. Vter tandem rex est? &c.) Interrogatio est grauis & concinna, enumeratis antẽ his quæ causæ obsunt aduersarii. Nemo enim istud, &c.) Repetitio est. Etiam atque etiam puto, &c.) Conduplicatio est. Sibi habere honores, &c.) Repetitio est.

Si ille labor meus pristinus,&c.) Repetitio est. Deseruiunt amicis,præsto sunt omnibus,&c.) Dissolutum est. Fortissimi Consulis,constantissimi senatoris,&c. Articulus est.

An vero clarissimum virum,&c.) Contentio sententiarũ est. Sententiæ tumultu,sine delectu,sine armis,&c.)Repetitio est. Ego vitam omnium ciuium,statum orbis terræ, &c.) Articulus est. Auditor,adiutor,particeps extitit &c. Articulus est. Maximi animi,summi consilii,&c.)Articulus est. Studio, consilio,authoritate,&c.) Articulus est.

Si nobilitas hominis,&c.) Repetitio est. In me irruit, me accusat,&c.) Dissolutum est. O dii immortales vobis tribuam, &c.) Exclamatio est. Vos profecto animum meum,&c.)Repetitio est. Patrimonio naufragium, &c.) Tralatio est.Item Articulus. Dicta,interrogata, responsa, &c. Articulus est. Memoria,scientia, consuetudine, &c.) Articulus est. Non occultaui, non continui domi, &c.) Dissolutum est. Diuisi toti Italiæ,diuisi in omnes prouincias,&c.) Dissolutum est. Lecto,descripto,diuulgato, &c. Articulus est. Quieueris,tacueris, &c.) Dissolutum est.

Fero te Torquate,iam dudum fero, &c.) Conduplicatio est Permitto aliquid iracundiæ tuæ,&c.) Dissolutum est.

Noli hac noua leuitate abuti, &c.) Repetitio est. De me esse omissum,si quid est tibi remissum &c.) Agnominatio est.Iratus animus tuus,ætas,amicitia nostra,&c.)Articulus est. Neq; vero si quid mihi irascare intelligere possum &c.)Cōtētio sētētiarũ est.Inimicum,inquis,accuso meũ, &c.) Contentio similis mox præcedenti. Item Subiectio est vsque ad locum illum, Ac si considerare cœperis. Consulatum nobis eripiebant, honori vestro pugnabant, &c.) Hic est color interpretatio. Commutat enim quod dictum est alio verbo, quod idem valet. Item dissolutum est. Cur ab eo diffidebat, &c.) Repetitio est. Cum omnia ordinarentur, instituerentur, pararentur,&c.) Dissolutum est.

Vbi fuit Sylla Cornelii,&c.) Interrogatio est illa vere grauis & concinna, antea enumeratis, quæ causæ aduersariorum obsunt. Agro Camerti, Piceno, Gallico, &c.) Articulus est. Hominem amantissimum sui familiarissi-

mũ &c.) Articulus eſt. Officiis vſi,conſuetudine,&c.) Articulus eſt. Qui adſunt,laborant.)Diſſolutum eſt. Promulgarit ĩpulſus amore fraterno,deſtiterit &c.Diſſolutũ eſt.

Nec ego tãtũ fraterno amori &c.)Hic eſt ſentẽtia. Improbis largitionibus reſtitit,&c.) Diſſolutum eſt. Eius voces,eius minæ,&c.Repetitio eſt. Cócurſatio, ſtipatio,greges hominum &c.) Articulus eſt. Quid quiſque nouerit,cogitarit, amiſerit,&c.) Diſſolutum eſt. Quis enim contra patriam &c.) Repetitio eſt. Semper audax,petulans &c.) Articulus eſt. Dignitatem, liberalitatem,moderationem,&c.) Articulus eſt. Quæ domus,quæ celebratio quotidiana &c.) Repetitio eſt. Non inquam cadit in hos mores.) Repetitio eſt. Si ĩ extremo diſcrimine.) Repetitio eſt.Gubernat dolor, moderatur natura &c.) Diſſolutũ eſt. Nunquam occultatur libido &c.) Repetitio eſt. Nihil quenquam ſcire &c.) Repetitio eſt. Munire communem artem bonorũ &c.) Diſſolutũ eſt. Defendebant amicum,aderant ſupplicia &c.) Diſſolutum eſt. Nũquam meliores,fortiores,&c.) Articulus eſt. Quis non de cómuni ſalute &c.) Repetitio eſt. Plus virtutis, plus amoris, &c.) Repetitio eſt.Item Articulus. Omni ſtudio, virtute,authoritate &c.) Hic eſt Articulus. Adeo ne vobis alienus &c.) Repetitio eſt. Vt cum Conſul bellum geſſerim &c.) Contrarium eſt vſque ad locum illum,Si mediusfidius &c. Non in ea Republica verſor,non &c.Repetitio eſt.

Qui inueſtigauit coniurationem,qui &c.) Repetitio eſt.

Non dico id quod graue eſt,&c.) Occupatio eſt. Cum quærerem omnia, multa audirem &c.) Diſſolutum eſt.

Qui huic vrbi,atque huic imperio &c.) Repetitio eſt.

Nihil ad hoc Conſul &c.) Diſſolutum eſt.Reipub.præcipitanti ſubueni,patriam,cum &c.) Diſſolutum eſt.Itẽ interpretatio. Omnis generis,nominis, honoris &c.) Articulus eſt. O miſerum & infelicem illum diem &c.)Exclamatio eſt. Spoliato honore,fama,fortunis,&c. Articulus eſt. Vrget eadem fortuna,&c.)Diſſolutum eſt.

ARGVMENTVM ORATIONIS PRO A. LICINIO ARCHIA POETA.

A. LICINIVS ARCHIAS POEta Antiochiæ natus, Romæ vixit in amicitia & gratia multorum clarissimorũ virorum ciuiũ Romanorum, præcipue Lucullorum, & à nonnullis Græcis populis honoratus, & eorum ciuitatibus donatus fuit, Ciceroni etiã apprime familiaris, & charus. Hic poeta cũ decederet è Sicilia cum L. Lucullo Heracliam venit, & adscribi etiam in eadem voluit ciuitate: quod cum sua virtute, tum Luculli authoritate ab Heracliẽsibus impetrauit: itaque adscriptus est ciuis lege Syllani, & Carbonis, &c. Deinde ei de ciuitate lis mota fuit. Cicero vero eum hac pulcherrima, & placida oratione defendit, & laudat, & hinc multa agit honorifice de poetis. Sed cur hæc fuerit mota causa Licinio, siue odio, siue inuidia, siue aliqua alia ratione non explicat hæc oratio, nec alibi memini me legisse. Accusator siue petitor, aut actor videtur fuisse quidam nomine Gracchus, ad eum siquidẽ specialiter loco vno in hac oratione Cicero verba diuertit: sed quicunque fuit, non potuit esse non impius, qui poetã charum omnibus, ocio & musis deditum vexarit, & à curis altissimis, Pieridumq; dulcedine, & à summo ac sacro studio ad dicendã causam verterit. Sed Cicero summus orator pro poeta suo digne ac ornatissime causam egit. qua quid effecerit, sum dubius. at puto virtuti poetæ, qui hoc solo nomine omnia merito debuit consequi, & eloquentiæ Ciceronis nihil non impetratum fuisse.

GENVS CAVSAE.

HAEC oratio est potissimum in iudiciali genere constituta. habet enim hæc causa accusationẽ, siue petitionem, siue aliquam alterius nominis actionem. Et habet defensionem, vnde iudiciale fit genus. nam A. Licinius Archias poeta cum ciuitatis iure per actionem aduersarii expelleretur, hac insigni oratione pro eo iure conseruãdo, à Cicerone de-

fenditur. Attamen genus demonſtratiuum hic incidit, cum Licinius commendatur & poeticum nomen extollitur. in quo quidem licet pars magna orationis verſetur, non tamē eſt ipſum principale genus cauſæ, quoniam id totum refertur ad aliud, puta ad defenſionem Archiæ, vt ſcilicet videatur indignum talem hominem tali inſtitutum diſciplina à ciuitate repelli.

CONSTITVTIO CAVSAE.

QVIA tales videri poſſunt in hac cauſa intentio atq; depulſio, non es iure ciuis Heracliæ ciuitate donatus, ideo ex hac intentione, & depulſione conſtitutio videtur exiſtere iuridicialis abſoluta, quoniam in hac conſtitutione quæritur, iure ne aliquid factum ſit. itaq; cū cauſa hæc huiuſmodi diſpoſitionē habere poſſit, videlicet an Archias iure ſit ciuis Heracliæ, cōſtitutio eſſe apparet huiuſmodi. poſſet tamē videri alia ratione coniecturalis, vt ſi talis eſſet intentio, talisque depulſio, Non es ciuitate donatus, ſum ciuitate donatus: itaq; quæſtio facti eſſet, An eſſet Archias ciuitate donatus. Et ad hoc faciunt multa argumenta in cōfirmatione orationis habita, quæ quidem ſunt de ratione coniecturalis cōſtitutionis. Et contra videntur fuiſſe argumenta aduerſarii, de ratione iuridicialis abſolutæ, cum diceret eum non eſſe ciuem, quia domiciliū Romæ non habuit, & quia non fuit profeſſus apud Prætorem: ita quod vtraque poteſt eſſe conſtitutio, ſed de principaliori difficile eſt iudicare, quia nō plane patet accuſatoris intentio, vt in cōfirmatione, prout erūt loci, & argumenta tangentur, ſic, vt ſingula poterunt referri ad conſtitutionis propriæ rationem.

DE RHETORICAE partibus.

DE inuentione, memoria & pronūciatione dicēdum eſt, vt dictū eſt ſuperius in Pōpeiana, ſed cōſideremus Diſpoſitionem orationis. Diſpoſitio quidem eſt in partibus orationis, non ab inſtitutione artis profecta, ſed ad caſum temporis iudicio oratoris accommodata: non enim hic vtitur omnibus partibus orationis. quare & ſi in his partibus quibus vtitur ſit ordo ex artis inſtitutione ſerua-

acturus ostendit. quod facere ex arte debuit, existente genere causæ honesto. Præterea cum esset in demonstratiuo genere magnam orationis partem acturus in laude Licinii, beneuolentiam hic captauit iuxta doctrinam de exordiis in genere demonstratiuo datã. Nam à persona sua Cicero beneuolentiam captat ostendendo officiose facere se quod facit, quod scilicet causa necessitudinis intercedit, vt apparet cum se obnoxium Archiæ ostẽdit. Itẽ ab auditorũ persona vltima particula exordii captat se sperare quod intẽdat iudicibus facile persuasurũ, &c. Nec vitio venit in parte vna affectus exordii plures inducere. Et hoc de exordio breuiter dictum sit.

NARRATIO.

NAM vt primum ẽ pueris &c.) Hic est narratio pars vna orationis, per quam narratur vita Licinii & ostenditur qualiter ciuis Heracliæ factus fuit: & est, vt esse debet, breuis, dilucida, & verisimilis. Incipit enim narrare de Archia, vnde necesse erat non videlicet à natiuitate, vel infantia, sed ea ætate qua se contulit ad scribẽdum. fuisset enim superfluum priora narrare. & vsque eo quo opus erat prosecutus est narrando, vsque ad tempus quo ipsi ciuitas Heracliensis est data. Nam transire vlterius fuisset in hac causa superfluum, in qua causa agebatur an illa ciuitas data esset. nec transitionibus vtitur, nec deerrat ab expositione rerũ, & vitæ Archiæ, quas incœpit exponere, & prætereunda præterit, nec bis aut sæpius idem dicit. Quæ omnia sic seruata breuẽ faciunt narrationem, necnon etiã vt quicquid primo gestum est, ita primum exponit. Nam primo narrat vt se primo Antiochiæ vbi erat natus ad scribendum cõtulit. Deinde qualiter se habuit in Asia. Deinde vt fuit à Græcis ciuitatibus honoratus, deinde, vt iam notis omnibus Romam venit, & qualiter vixit: postremo vt sibi Hæracliæ ciuitas data est. & sic rerũ ac temporum ordinẽ seruat, vt gesta res, & vita Archiæ fuerũt. nec perturbate, nec contorte, nec ambigue quicquam dicit. nec trãsit in rẽ aliam, nec ab vltimo repetit, nec longe prosequitur, quoniam non incipit ab infantia Archiæ: nec prosequitur vltra ciuitatem datam. Et seruat quæ dantur pro breuitate præcepta, vt ista narratio dilucida sit. quæ quidem est,

vt supra diximus, etiã verisimilis. Dicit enim, vt natura postulat, & opinio, & mos: nã ipsa vera videtur appetere, vt poetæ summis colãtur honoribus, & exaltentur illustriũ hominũ familiaritate & gratia, q pro poetis & æterna fama res dignas agunt. hoc more seruatum est. hoc hominum opinione consensum. Præterea cõstant hic dignitates personarũ, rationes cõsiliorũ, & oportunitates, quibus possit euidẽter apparere Archiã ciuitate donatum fuisse, sic vt refelli non possit homines ipsos hæc facere non potuisse, vt patet clare in litera orationis, & sic valde verisimilis fit ista narratio.

CONFIRMATIO cum confutatione.

SI NIHIL aliud &c.) Hic est confirmatio cum cõfutatione simul habita, nã vt supra dictum est, partes istæ finitimæ, & connexæ sunt, vt merito possint tanquã vna pars simul induci. Hic loci sunt, & de ratione constitutionis coniecturalis, & de ratione iuridicialis absolutæ. Primo enim arguit per locum à testibus, Archiæ ciuitatem datam cum M. Lucullum hominem grauissimũ interfuisse, & vidisse dicit, & legatos Heracliensium hoc testari. Locus autem, hic pertinet ad rationem coniecturalis status. Deinde redarguto aduersario, quod his non stet, & petat, quæ sciat exhiberi non posse, descendit ad confutandum duo argumenta aduersarii quæ sunt de ratione iuridicialis absolutæ. Nã obiecerat aduersarius primo, quod quando Archiæ ciuitas data est, Heracliæ fuit, non habebat domicilium Romæ. Item quod non fuerat professus apud Prætorem, vt tenebatur ex lege. Quæ argumenta de ratione iuridicialis absolutæ cõstitutionis, in qua consideratur quid fiat secundum legem, aut contra: sed hæc negando confutat, & ostendit Archiam Romæ habuisse domicilium, & vt debuit fuisse professum, & per consequens fecisse secundũ legẽ, ac ideo sibi iure ciuitatem datã: nec eo dubitandũ, qui aliis ciuitatibus sit adscriptus, & ostẽdit non esse mirandũ si homines, qui ciuitatẽ minus dignis dabant digniorem ciuitate donauerunt, qui locus pertinet ad absolutã iuridicialem, quoniam arguitur ex consuetudine, quæ est vna pars iuris (vt ait Cicero) vbi agit in arte de absoluta iuridiciali. & roborat istũ, vt vides, per illum locum,

Si de communis &c. Deinde redarguit aduersarium quærentem census, & ostendit per locum ab argumento temporis præteriti, non præiudicare Licinio si census non fuit, quia absens fuit, &c. Qui locus pertinet ad coniecturalem. Deinde ostendit, cum cẽsus nihil aliud operetur quam quod confirmat, & indicat censum hominem se gessisse pro ciue, hũc effectum ex aliis argumentis haberi posse, vt ex confutatione testamenti, & hæreditatum aditione.

QVAE res à nobis &c.) Hic Cicero mirabilẽ diuináque penè literarũ cõmendationẽ adiũgit, & poeticũ nomẽ extollit, quæ licet de demõstratiuo sint genere, tamẽ ad iuridiciale referũtur, vt scilicet propter has laudes, & disciplinã singularẽ videatur Licinius nõ esse de datæ sibi ciuitatis iure eiiciẽdus: sed pars hæc cõstitutione causæ remota est, nisi cũ arguit per locũ ab occasiõe præterita, vel omissa, qui locus est de ratione coniecturalis cõstitutionis. Nã ostendit Archiã si ciuis non fuisset, potuisse hoc multoties impetrasse, & à Sylla, & à Quinto Metello pio familiarissimo suo.

CONCLVSIO.

QVARE cõseruate iudices.) Hic est cõclusio pars vna & artificiosus terminus orationis, in qua cõclusione vsus est enumeratione: per quã (vt vides) colligit & cõmonet, quibus de rebus verba fecit: ita breuiter, & eleganter, vt quodãmodo renouata oratio nõ integrata videatur. Hic enim memoriã artificiose eorũ quæ dixerat renouat auditoribus. Nã vt ordine quæque orata sunt repetit, & cõcludit, deprecãs, vt potius sua humanitate leuatus calamitate Archias quam acerbitate violatus esse videatur, simulque sibi in fine conciliat iudices, & Prætorem. Omni enim in parte quod possimus hæc facere mouemur ab arte, licet exordii proprium sit.

DE ELOCVTIONE.

VLTIMVM est vt de reliqua parte Rhetoricæ, videlicet orationis elocutione videamus. de qua plane per omnia sic dicendum vt supra dictum est in Pompeiana, & de huius similiter est partis exornationibus perscrutandum.

COLORES.

IN QVA me non inficior mediocriter esse versatũ &c.) Hic est color Diminutio,cum id quod egregium in se est ne significetur arrogans ostentatio orationem attenuat atque diminuit. potest conuenire cum Liptote. Vt famã ingenii expectatio hominis,expectationẽ ipsius &c.) Gradatio est. Erat temporibus illis iocundus,&c.) Dissolutum est. Quid enim horũ infirmari gratis potest &c.) Subiectio est ampla valde vsque ad locum illum,& non cum mediocribus multis,&c.) Quid cum cæteri non modo post ciuitatem datã.)Contrarium est. Aut ocium meũ abstraxerat, &c.) Similiter desinens est. Quantum cæteris ad suas res obeundas,&c.) Repetitio est. Hæc studia adolescẽtiam agũt, &c.) Dissolutũ est. Nec sensu modo gustare,&c.) Hic tralatio est.) Quoties ego hunc vidi cum literam,&c. Cõduplicatio est. Saxa & solitudines voce respondent &c.)Cõtrarium est. Homerum Colophonii ciuem esse suum,&c.) Dissolutum est. Ergo illi alienum,&c.) Contrarium est.

Nostra sunt trophæa,nostra monumenta,&c.) Repetitio est. Maximi,Marcelli,Fuluii,&c.) Articulus est.

Quid noster hic magnus,&c) Exemplum est. Neque enim dissimulandum,neque obscurari potest, &c.) Sententia est. Nulla enim virtus aliam mercedem,&c.) Sententia est,ratione subiecta. Quæ beneficia legis authoritate, municipii,&c.) Articulus est. Qui vos,qui vestros imperatores,qui P.R.res gestas.) Repetitio est.

ARGVMENTVM ORATIONIS DE LAVDIBVS CAESARIS, OCCASIONE M. MARCELLI PER CAESAREM RESTITVTI.

M. MARCELLVS ciuis Romanus amplissimus atque clarissimus in dissensione ciuili fuit cum Pompeio,quemadmodũ & Cicero cum multis aliis Senatoribus ciuibusque Romanis. Confecto autem bello Cæsar victor multos ex inimicis suis fautoribûsque Põpeii in patriã restituit,& ad pristinã dignitatẽ, inter quos Ci

ceronem,& poſtmodum deprecante Senatu Populóq; Romano reſtituit & Marcellum, & ad patriam, & ad priſtinã dignitatem:non obſtante,quod Marcellus Cæſarem offendiſſet,& quod Cæſar adhuc ſuſpicari ſe diceret de voluntate Marcelli, tamen ſua illa benignitate notiſſima ſuæ priuatæ volũtati publicam antepoſuit voluntatem. Vnde hanc Cicero orationem agit ad Cæſarem,qua ipſum de illa ſua humanitate diuino prope ore commendat: oſtẽdens eum eſſe per ſuam clementiam in reſtitutione Marcelli ſummam atque immortalem gloriam conſecutum. Deinde oſtendit multis rationibus non debere Cæſarem de aliquo ſuſpicari,& tamẽ eum rogat,vt pro ſalute publica vitam ſuam cuſtodiat, ſine qua non poſſit dignitas Reip. nec reſtitui,nec ſeruari.

GENVS CAVSAE.

TOTA hæc oratio eſt in demonſtratiuo genere conſtituta,& in ea parte qua ſolum in laude verſatur. Nam ſumme laudat hic Cæſarem pro reſtitutione Marcelli, vnde eſt attributa in alicuius certæ perſonæ laudem : propter quod fit,vt demõſtratiuo in genere laudet ſumme Marcellum, vt Cæſaris factum laudabilius videatur tali homine patriæ reſtituto:nec illa pars in qua Cæſarem admonet de cuſtodia & cura vitæ principale mutat genus cauſæ.omnia enim ad laudem Cæſaris referuntur,vt planum eſt: ſic quod hæc oratio,vt dixi,in demõſtratiuo genere tota eſt,& ſeparatim tractata,quod non ſæpe accidere dicit Cicero . demõſtratiuum ſiquidem genus ſæpius in cauſis cum aliis duobus commiſcetur,vt ex dictis ſuperius in multis locis apparere poteſt.

CONSTITVTIO CAVSAE.

VIDERI poteſt hic conſtitutio iuridicialis, cum Cicero laudat hic Cæſarem, quod in reſtituendo Marcello id clementer fecerit,quod non ſolum iure, ſed pie ac ſancte facere debuerit. Notandum tamen quod in huiuſmodi genere vbi controuerſia nulla eſt, non ſic aperte, & facile conſtitutio cauſæ emergit,vt in cauſis apertarum controuerſiarũ, quales ſunt iudiciales,& nõnũquam deliberatiuæ. Vt enim ait Martianus,in demonſtratiuo genere quemadmodũ ſtatus emergat non eſt facile commemoratu.

DE INVENTIONE, memoria, & pronunciatione dicendum hic, vt supradictum est. Dispositio autē nō est ab institutione artis profecta, sed ad casum temporis oratoris iudicio accommodata in partibus orationis. Nam si esset ab institutione artis profecta, non solum ordinem partium orationis, sed etiam numerum cōtineret oratio iuxta sententiam Ciceronis in arte noua capite de dispositione. Sed hic primo fit exordium, deinde confirmatio, deinde cōclusio. Potest etiam notari propositio quædam loco narrationis, vt ostendetur infra. Mera enim narratione, diuisione, & confutatione, nequaquam est vsus, eas non exigente causa. Interiectæ sunt breues quædam cōclusiones, vt causæ genus postulabat, quæ infra ostendentur.

EXORDIVM.

DIVTVRNI silētii &c.) Incipit hic oratio, & orationis exordium, in quo Cicero laudaturus Cæsarem pro restitutione Marcelli, beneuolentiam captat, & animos audiētium facit attentos, & dociles. Captat enim à persona Cæsaris, cum ostendit finem sibi silentii, quo vti consueuerat, illo die mansuetudine, & beneficio Cæsaris factum esse, & ne irritare videretur inuidiam contra Cæsarē, quia videlicet posset intelligi se cōsueuisse silere propter metum, interpositione artificiosissime euacuauit hanc suspitionem de causa timoris, & causam hanc contulit in dolorem, & verecūdiam, res non tam inuidiosas. Nam plane fatetur se vehemēter de Marcelli exilio doluisse, vt etiam se magis gratum faciat Cæsari, cum ostendat etiam finem suo dolori eiusdem clementia factum esse. Item captat beneuolentiam à persona Cæsaris, cum dicit se clementiam eius, & mansuetudinem inauditam, & in summa potestate tam modestam, tamque incredibilem, & diuinam sapientiam nullo modo posse tacitam prætetire. Itē attentos facit auditores, cum pollicetur se de mandatis inusitatis, atque diuinis virtutibus locuturum. Item dociles facit, quia facit attētos. Inquit enim ipse in arte, docilis est qui attente audit. Nec est in hoc exordio cō

siderandum,an genus causæ sit honestum,turpe,an dubiū, quia nihil hic defendit,nihilque oppugnatur,vt in iudiciali,& in deliberatiuo. Et quando separatim ab illis tractatur demonstratiuum genus,quod raro accidit,hic non sumitur præceptio exordiendi ab honestate,vel turpitudine,vel dubietate causæ,potest dici hoc esse exordium terminatum ad eam partem subsequētem. Marco enim Marcello, &c. & ibi est Propositio,qua vtendum est aliquando, cum narrationem causa ipsa non postulat,vt vult Quintilianus de Institutione oratoria,capite de narratione. & hic nullam. fuisse narrationem necessariam manifestum est,cum dicat Cicero in arte noua,In demonstratiuo genere principio tractato narratio nulla est,quæ necessario consequatur. potest videri etiam exordium terminari ad eam partem, Nullius tātum flumen ingenii &c. Est enim eadē in hac parte pro conciliando auditore sententia,quæ ad proprietatē exordii pertinet:quanq̄ oratio ista tota videri possit eiusmodi, eo quod tota ad laudationem Cæsaris facta est,per quam laudationē eius conciliatio comparatur. Quare proprietas hæc exordii,quæ est conciliare animum auditoris,male potest à reliqua oratione distingui,cum sit oratio pure demonstratiua: apud eum præsertim habita, cuius laudationem continet. Hac tamen parte potest exordium à confirmatione distinctum videri. vbi enim incipit per rationes ostendere,quā in facto hæc gloria Cæsaris magna sit,quod quoniā facere incipit loco illo,Nullius tantum flumē ingenii,&c. ideo ibidē confirmatio demōstratiua notanda merito visa est. Diuisione etiam non est vsus hic Cicero,vt supra dictum est. Nam cum diuisio pars vna orationis, aut aperiat quid conueniat nobis cum aduersario,& quid in controuersia relinquatur, aut fiat per distributionem enumerando de quo,vel exponēdo,de quibus rebus sit dicturus orator,pro prima eius parte locum hic non habuit diuisio, vbi cōtrouersia nulla erat. Distributio autem non repugnabat generi causæ, cum dicat Cicero in demōstratiuo genere exponendas esse in diuisiōe res,quas aut laudaturi, aut vituperaturi sumus. Sed hic opus non fuit, quia in exordio sufficienter dedit intelligere

quibus de rebus esset Cæsarem laudaturus, cum dicit tãtam eius mansuetudinem, tam inusitatam, inauditámque clemẽtiam, tantum in summa potestate rerum omnium modũ, tam denique incredibilem sapientiam, ac pene diuinam tacitum præterire nullo possum modo, &c.

CONFIRMATIO.

NVLLIVS tantum flumen ingenii &c.) Cum in genere demonstratiuo in laudatione confirmatio, & in vituperatione contraria confutatio orationis aduersarii intelligatur, vt vult Cicero in arte noua, hic merito dici potest esse confirmatio huius orationis, vbi per efficacissimas rationes incipit summa, & singularis Cæsareæ clementiæ commendatio demonstrari. & laudatur Cæsar à rebus externis dum sæpe cõmemorat Cicero victorias eius, & fortunam, & triumphos, hæc cum aliis eius actibus & virtutibus de mãsuetudine, & benignitate manantibus comparando. & laudatur maxime à rebus animi, & potissimum propter Marcelli restitutionem de misericordia, clementia, lenitate, mansuetudine, modestia, & sapientia singulari, ac pene diuina, vt clare patet.

NVNC veniam ad grauissimam, &c.) Pars ista licet videatur refellere, & confutare suspitionem, & exhortari Cæsarem ad custodiam vitæ suæ, & restitutionem Reipublicæ, tamen se tenet ex parte laudatoriæ cõfirmationis. Nam oĩa ista ad laudem Cæsaris principaliter dicta sunt. Confutatio autem siqua in hac causa inducenda fuisset, oportuisset eam fieri per vituperationem contrariã laudationi, sic quod fuisset facta dissolutio locorum cuiuspiam laudationis, vt in hoc genere fieri debet. quod quia hæc non postulauit oratio, ideo confutatio nulla fuit, sed tota confirmatio dici debet vsque ad conclusionem orationis, quæ statim in fine notabitur. & ista similiter orationis pars Cæsareæ potissimum inducitur, vt superior à rebus animi. Nam æquitatem, & lenitatem eius commemorat, & supplicat, vt virtute, & consilio Remp. constituat in statu optimo.

CONCLVSIO.

SED vt vnde est orsa, &c.) Hic est cõclusio oratiõis, ĩ qua

Cicero eleganter agens gratiarum actiones, & cōmemorans lætitiam ciuium Romanorum, & suam pro M. Marcello restituto, terminat eo fine, quo debuit istam orationem, scilicet in gratiarum actione. Nam oratio habita fuit pro collato beneficio & populo, & sibi. Ergo merito post laudationē gratias agere debuit vice populi, & vice sui, quod eleganter hic facit, nec minus quam in arte docuit, in hac oratione eleganter exercuit. nam cum dicat in arte, in hoc genere demonstratiuo conclusionibus breuibus est vtendum, vsus est egregie locis aliquibus, ibi scilicet, quare gaude tuo, &c. omitte istam quæso, & ibi, quare omnes te qui salua hæc.

DE ELOCVTIONE.

VLTIMVM est vt videamus de reliqua parte Rhetoricæ, videlicet Elocutione, de qua per omnia sic dicēdum vt supra in Pompeiana, & de huius similiter est exornationibus perscrutandum, &c.

COLORES.

NVLLIVS tantum flumen ingenii, &c.) Tralatio est. Tanta vis, tanta copia, &c.) Articulus est. Omnes nostrorum imperatorum, &c.) Repetitio est. Militum virtus, locorum oportunitas, &c.) Articulus est. Nihil sibi ex ista laude centurio, &c.) Repetitio est. Tibi cedit, tuam totam ei propriam fatetur.) Dissolutum est. Nunquā enim temeritas, &c.) Sententia est. Immanitate barbaras, multitudines innumerabiles &c.) Articulus est. Animum vincere, iracundiam cohibere, &c.) Sententia est. Aduersariū nobilitate, ingenio, virtute, &c.) Articulus est. Clementer, māsuete, iuste, moderate.) Articulus est. Toties de maximis tuis beneficiis, &c.) Repetitio est. Quæ nō modo bona, sed nimirum audebo, vel sola dicere, &c.) Sententia est ratione subiecta. Sed quis est iste tam demens, &c.) Subiectio est. Constituenda iudicia, reuocanda fides, &c.) Articulus est. Quæ quidem nunc tibi omnia belli vulnera, &c.) Tralatio est. Omitte istam quæso, &c.) Dissolutū est. Si quidem gloria est, &c.) Hic est color definitio. Hic enim proprias gloriæ amplectitur potestates breuiter &

absolute, conuenit enim cum etymologia. Imperia, prouinciâs, Rhenum, oceanum, &c.) Articulus est. Erat autē obscuritas quædam, &c.) Dissolutum est. Multi dubitabant, &c.) Repetitio est. Cū id sollicitudine, cura, labore, Articulus est. Magnis curis, molestiis, doloribus, &c.) Articulus est.

ARGVMENTVM ORATIONIS PRO Q. LIGARIO.

QVINTVS LIGARIVS ciuis Romanus cum C. Confidio Cōsule profectus est Legatus in Aphricam ante belli ciuilis principium. Deinde prouincia decedente Cōsidio, Ligarius præfectus prouinciæ mā sit in Aphrica. Postea quum bellum exarsisset inter Cæsarē & Pōp. Ligarius nullo negotio se implicari passus est, vt dicit Cicero. Nam P. Accius Varus, qui Prætor Aphricā obtinuerat, Vticam venit, & arripuit imperium ad clamorem multitudinis imperitæ ad eum facto concursu: & Ligarius aduentu suo quieuit, sed necessitate mansit in Aphrica, quæ prouincia contra Cæsarem tenebatur. ad quam prouinciam bello ardente L. Tubero cum iusto imperio sibi à Senatu, & sorte, vt moris erat, dato, venisset, eam intrare nō potuit prohibente Ligario, vt adferebat ipse Tubero, vnde ad Pompeiū iuit in Macedoniam, & apud eum de iniuria questus est, vt dicit Cicero, & cum eo fuit in bello ciuili: quo bello finito Cæsar victor Tuberoni & multis aliis patriam restituit: sed Ligarius exulabat, domi manentibus duobus fratribus Ligarii, qui cum Cæsare semper fuerant. & cū Q. Tubero filius L. Tuberonis Ligariū apud Cæsarē accusauisset, quod cōtra Cæsarem fuisset in Aphrica, quodque ipsum cum patre suo prouincia prohibuisset, Ligariū Cicero hac insigni oratione defendit, & pro ipso gratiam Cæsaris nititur impetrare.

GENVS CAVSAE.

HAEC oratio est in iudiciali genere cōstituta. Habet enim hæc causa accusationem cum defensione. nam accusatus apud Cæsarem à Tuberone Ligarius, à Cicerone hac oratione defenditur.

CONSTITVTIO CAVSAE.

QVODLIBET genus causæ cõstitutionibus tribus absoluitur, coniecturali, legitima, & iuridiciali. In omni etenim causa in qua est accusatio cum defensione, aut quod accusator intendit, defensor depellit negando simpliciter, & sic status in causa coniecturali habet locum: aut fatetur factum, sed iure factum asseuerat, & tunc habet locum iuridicialis. & quia sæpe nascitur à scriptura, locum in hac sibi legitima constitutio vendicauit. Itaq; in aliqua harum trium cõstitutionum præsens oratio sit oportet. Est autem in iuridiciali constitutione, quia in hac causa conceditur factũ, hoc est Ligariũ fuisse in Aphrica, sed an iniuria Cæsaris factũ sit, quæritur: quod asseuerat Tubero, Cicero pro Ligario cõtradicit. Et cum iuridicialis cõstitutio diuidatur in absolutam & assumptiuam, dicendum quod hæc oratio in parte assumptiua cõficitur. Est enim in cõcessione, vt apparebit statim, quæ concessio est species adsumptiuæ, ergo est in adsumptiua. patet enim sic esse per assumptiuæ descriptionẽ. Adsumptiua est enim pars, inquit Cicero, in qua cum per se defensio infirma est, sed adsumpta extranea re cõprobatur. Adsumitur siquidem necessitas mansionis, in Aphrica ad cõprobandam causam Ligarii, quæ aliis pro se videri posset infirma apud Cæsarem, cum nititur Cicero per purgationem Ligarium ipsum defendere, & adsumitur etiã deprecatio pars vna cõcessionis. itaque, vt dicebatur, apparet, oratio hæc esse in parte adsumptiua, quæ pars in particulas quatuor est diuisa, videlicet cõcessionem, remotionem criminis, tralationem criminis, & comparationẽ. Est igitur hæc oratio in aliqua istarum constituta. Est enim in concessione, quæ fit quã do reus postulat sibi ignosci. Hoc enim fit cum obnixe admodũ petit Cicero, vt Ligario ignoscatur à Cæsare. Et cũ species, siue particula ista concessio subdiuidatur in purgationẽ & deprecationem, dicendum est, quod hæc oratio ita in concessione versatur. Nam vt ignoscatur Ligario petitur per ambas partes concessionis, purgationem scilicet & deprecationem. Negat enim Cicero in Aphrica fuisse Ligariũ cõsulto, & ex voluntate, sed per necessitatem: vnam videlicet par-

tem seu locum purgationis, & etiam si peccasset, & cōsulto fecisset Ligarius, quicquid fecerit artificiose postulat Cicero, vt Cæsar misereatur Ligarii, & sic oratio in purgatione, & deprecatione versatur, vnde per dicta patet quæstio causæ constitutio, in qua hæc habetur oratio. sit iuridicialis adsumptiua in concessione per purgationē à necessitate, & per deprecationem. Nunc transeamus ad reliqua.

DE RHETORICAE partibus.

DE INVENTIONE, memoria, & pronunciatione hic est dicendum, vt est dictum in Pompeiana. Dispositio autem hic est in partibus orationis non ab institutione artis profecta, sed ad casum temporis oratoris iudicio accommodata. Primo siquidem ponit cū exordio simul duo adiumenta causæ fortissima quibus maxime vtitur in oratione. deinde ponit narrationem, deinde confirmationem. deinde reuertitur ad exordii sententiam. deinde ponit confutationē. postea vtitur alia parte cōcessionis, scilicet pura deprecatione, & in fine concludit, vt infra ostendetur.

EXORDIVM.

NOVVM crimen C. Cæsar &c.) Hic oratio incipit & orationis exordiū, quob ab ironia incipit, vt adserit Martianus in Rhetoricis, & quod est duobus fortissimis adiumētis istius causæ vallatum. duo siquidē sunt in quibus oratio ista maxime niti videtur, humilis scilicet impetratio veniæ cum misericordiæ postulatione, quæ pars deprecatio nominatur, & est pars vna concessionis. aliud est ostensio culpæ similis. in accusatore autem est grauioris, & ipsius nonnulla donatio, quod quidem est valde efficax adiumētum, & ipso valde vtitur Cicero in locis suis. Incipit autem ab his duobus adiumentis causæ tanquam ab argumentatione firmissima, quod fieri debere causa postulante docet in arte. Et causa quidem hæc optime postulabat. nam causa hæc certe difficultatē habere apud Cæsarē videbatur, cōtra quē à Ligario retēta Aphrica dicebatur. Ne igitur aures Cæsaris offēsæ essent, puro exordio vtitur nulla alia ratione firmato, ꝙ narrationis īpatiētes & intractabiles īcœpit ab his adiumētis

orationẽ super quib. est eã potissimũ fũdaturus. Nã cõfessus est subito cum ironia crimen deprimens. Quam diuinã ironiam Quintilianus appellat: & recte. & ita confessus est, vt veniam postularet, & facilius impetraret à Cæsare. Deinde ad adiumentum aliud se conuertit, ostẽdens simile quid commissum esse à L. Tuberone patre Q. Tuberonis qui Q. Ligarium accusabat. & hic Cicero (vt Quintiliano placet) vsus est clausula dicens, Itaque prius de vestro delicto confiteamini necesse est Ligarii, quàm vllam culpam reprehendatis. Sciebat enim Cicero tantam Cæsaris esse clementiam, quod vnusquisque qui se peccasse confiteretur, & errati veniam postularet, non modo suas aures non offenderet, sed sibi conciliaret. & verisimiliter cogitabat tantã illius esse iustitiam, quod pro causa eadem non plecteret accusatũ, pro qua non fuisset ab eo punitus accusans. Ideo sic incepit, vt his duobus adiumentis primum animo Cæsaris confirmato, & ob clemẽtiam, & ob iustitiam orationem demum ipse perficeret benignius audiendam, nec in isto principio alias complexus est exordii proprietates, cũ esset causa suadente ad exordii sentẽtiã reuersurus, vt infra apparebit.

NARRATIO.

QVINTVS igitur Ligarius, &c.) Hæc est insignis narratio orationis, quam post valida illa duo adiumenta in exordio supra habita ponit Cicero. Quia autem habet hæc causa difficultatẽ, vt supra dictum est, proposuit exordiũ taliter firmatum, vt ad eius proprietates alias, & sentẽtiam re uersurus. Ipse enim inquit in arte, Si causa nostra magnam difficultatem videbitur habere, vt nemo æquo animo principium possit audire, à narratione cũ inceperimus, ad principii sentẽtiam reuertemur. Tale igitur principium habuit, vt in eo vis quædam animum Cæsaris commoueret, & idcirco cum esset tam difficilis & offensiua, vsus est in hoc procemio Apostropha, & Ironia, quibus præceptores multi artis in procemiis vti vetant. Sed Quintilianus libro quarto oratoriæ institutionis, capite de Insinuatione,

ita concedit vtendum, si causæ vtilitas postulabit, vt in hac causa Ligarii postulasse commemorat, & eam ipsam narrationem postposuit supra habitis adiumentis, suspicans forte ne parum ipsa probabilis auribus Cæsaris videretur: atq; ideo illa duo adiuméta præposuit. nam dicit in arte, Si narratio parum probabilis est, exordiemur ab aliqua firma argumentatione. & licet ista adiumenta causæ non videantur in exordio per modum argumentationis indici, tamē iuxta materiam & conditionē orationis non videtur incōueniens, quod illamet de ipsis fiat consideratio, quæ fieret de argumentatione directe deducta. Sunt enim ad persuadendū efficacia, & ponuntur in confirmatione firmissima orationis istius. itaque quanq̃ postulatio veniæ non sit in argumētum, tamen est firmissimum adiumentum, quod est in hac causa valde efficax, ad quam causam magna ex arte adducitur deprecatio. & quanq̃ etiam per se non possit videri bonum argumentum alterius culpæ reprehensio, quia qui accusat alterum, innocentiam suam non probat, sed alienū detegit crimen: tamen est argumentū ad hominem, & in hac causa bonum adiumentum. Vnde apparet quod id quod de firmissima argumentatione præponéda docet Cicero, cū in arte loquitur de dispositione, referri debet ad hæc etiam adiumenta, quæ hic eadem ratione ante omnia collocātur. qua ratione docet ibi argumentationē firmissimā collocari. Sed vt ad narrationē, de qua hic agitur, veniamus, dicēdū quod narratio ista valde subtiliter & artificiose cōfecta est. exponēdo enim rem gestam, hoc est profectionem, & mansionem Q. Ligarii in Africa, vnūquodque (vt vides) trahit ad vtilitatem suā causa vincendi, hoc est suum propositum obtinendi, quod in causa deprecatoria vincere est. Et narratio breuis est, dilucida, & verisimilis. Breuis primo, quia vnde necesse est incipit narrare: incipit siquidē à profectione Ligarii tempore non suspecto, vt profectio illa non videatur auribus Cæsaris odiosa: & sic, vt clare patet, nō ab vltimo initio repetēs summatim narrauit quousq; opus erat prosecutus, scilicet ad aduentum Accii Vari, & quietē Ligarii: vt Cæsari notū fiat alio obtinēte imperiū Africæ à tumultu & bello cōtra ipsū

Cæsarē quieuiſſe Ligariū. Nec tranſitionibus vtitur, nec deerrat ab eo quod íceperit exponere, & omnia certe quæ proſint cauſæ aperit, & prætcrit inutilia. Dilucida autē eſt. Nā vt quicquid primo geſtū eſt, exponit: primo, videlicet profectionem: deinde manſionem, & cauſam manſionis: deinde repentinum metū belli ciuilis: deinde in eo ſtatu rerum voluntatem Ligarii ad redeundum, deinde aduentum Vari, & concurſum gentium ad eum: deinde Ligarii quietem à rebus tumultuoſis. Et rerum ac tēporum ordinē ſeruat iſta narratio, ita explicans res, vt geſtæ ſunt, non contorte, aut aliqualiter vitioſe, nec in aliam trāſit rem, nec ab vltimo repetit, nec lōge proſequitur, nec præterit pertinētia, & breuis eſt: vnde fit dilucida. Veriſimilis autem eſt quia dicit, vt mos poſtulat. Mos enim erat, vt legati cū cōſulibus in prouincias irent, vt iuit Ligarius, vnde narratio rei a more non abhorret. Et cum Quintilianus libro quarto de narratione nos doceat inſerere expoſitioni narrationē breuem re poſcēte, & factorū rationē ad veriſimilitudinē ad augendū: videamus hoc eſſe in iſta narratione à Cicerone ſeruatum. nā (vt adſerit ipſe Quintilianus) rei ordo per ſe talis eſt, Ligarius Legatus cū Cōſidio profectus eſt, &c. Quid M. Tullius? Quītus Ligarius cū eſſet nulla belli ſuſpitio legatus in Africam cū Cōſidio profectus eſt. & alibi, nō modo vllum ad bellū, ſed ne ad minimā quidē ſuſpitionē belli &c. Et cū eſſet indicaturus ſatis, quod Ligarius nullo ſe implicari negotio paſſus eſt, adiecit domum ſpectans, & ad ſuos redire cupiēs. Ita exponebat, & ratione fecit credibile, & affectibus quoq; impleuit, & ſpatia temporum congruunt, vt veriſimilis ſit ratione temporū & profectio in prouinciā, & in ea manſio neceſſaria. & conſtat hic perſonæ Ligarii dignitas, qua factum eſt, vt ſatisfieri non poſſet prouincialibus, niſi poſt Cōſidiū Ligarius permaneret in Africa: ſimulq; conſtat ratione conſiliorum Ligarii, & cæterorū qui in hac narratione nominātur. Itaq; vndequaq; veriſimilis eſt. vſus eſt etiā Cicero í hac breui narratione cōmunicatione, quæ nō inutilis eſt in parte narrationis extrema, quādo ſcilicet in lōgū exegerit ordo rerū, vt ait Quintil. lib. 4. de narratione. hic autem & ſi non

esset longa rerum expositio, vsus est tamen in parte illa vltima narratiõis, Adhuc C.Cæsar, Q.Ligarius omni culpa caret, domo est egressus, nõ modo vllum ad bellum, sed ne ad minimam quidem suspitionem belli &c. Et hæc commonitio Epilogum spectat. CONFIRMATIO.

A N si ille potuisset, &c.) Hæc est confirmatio quam mox post narrationem collocauit. Narrato enim negotio, vt scilicet Ligarius iuit, & mansit in prouincia, & profectione & mansione in extrema commonitione purgatis, & sic Cæsaris animo conciliato, cum ei liquido fuerit ostensum prius in narratione comprehensa Ligarium non contra se, non consulto prouinciam tenuisse: incipit narratam mãsionis necessitatem confirmare per coniecturas: cum dicit, Nũquid si ille euadere potuisset, Vticæ potius q̃ Romæ, cum P. Actio quam cum concordissimis fratribus, cum alienis esse q̃ cum suis maluisset? quasi dicat nõ maluisset. & hic per cõiecturalem locũ ita arguit necessitatem remanendi incubuisse Ligario. docet enim in arte suspitiones ex cõstitutione cõiecturali trahi, vt per eas significetur, an aliquid necessario factum sit an consulto. Et ne forte argui possit, sua culpa Ligariũ in hanc manendi necessitatem incidisse, ante monstrauit profectionẽ non fuisse culpabilẽ, quia non turpẽ, ex qua profectione secuta est necessitas mãsionis. Et nota quod nõ fuit opus diuisione in hac oratione, quia non enumerantur de quot, nec exponẽdo de quibus esset hic acturus, eo quod cõstabat per accusatorẽ Tuberonẽ apta iã ipsius causæ substãtia: vnde nõ habuit locũ expositio, pars vna diuisionis. & etiã in extrema parte narratiõis admonitio, videlicet de parte in partẽ absoluit narratã causam, eã purgando per tẽpora vt patet. & cõfutãdo respondet etiã de parte in partem, vnde ablata fuit enumerandi necessitas, quæ magis videtur accusanti conuenire quam defendenti. patefecit enim accusatio certa vestigia defensori, quibus sibi est insistendum. vnde raro sibi necessaria fit determinatio per expositionẽ, vel enumerationem, nec ea diuisionis parte fuit opus quæ aperiret, quid cum aduersario conueniret, & quid in controuersia linqueretur, quia vnum tantum conueniebat, mã-

sio scilicet Ligarii in Aphrica:quam mansionem in principio orationis Cicero fuit cōfessus:cætera vero in quibus aduersatur Cicero Tuberoni particulatim dissoluit, ipsa oratione.

CONCLVSIO Confirmationis.

NVLLVM igitur habes,&c.)Hæc breuissima conclusio confirmationis breuiter pertractata,vt patet.

EXORDII SENTENTIA.

CVIVS ERGO causam, &c.) Cum Cicero summus orator in principio collocarit duo causæ adiumēta fortissima, & deinde narrauerit ad commodum causæ omnia contrahendo, & demum pernarrata breuiter confirmauit: Nunc antequam veniret ad confutationem in qua sciebat magnam vim causæ contineri (Nam cum ipse dicat in arte totam spem vincendi rationemque persuadēdi positam esse in confirmatione,& confutatione, maxime in confutando poni debet tota vis, & potentia defensoris) antequam ergo ad partem hanc laboriosam veniret, vt dixi, voluit per exordii proprietatem sibi beneuolum Cæsarem comparare. Itaque reuersus est ad exordii sententiam, quia id non modicum sibi commodum iudicauit. Et nota quod huius causæ genus dubium est,quia causa partem habet honestatis, tū ratione personæ Ligarii, tum ratione facti. Nam causa profectionis suæ fuit honestas,& mansionis etiam honesta necessitas. Et contra quodammodo dici potest hanc causam partem turpitudinis continere,licet non simpliciter, tamen respectiue ad Cæsarem,quem offendisse videbatur,in prouincia sibi inimica, cum aduersariis permanendo.Omne enim quod in aliqua causa animum auditoris offendit,potest quodammodo turpitudo in causa illa dici. Etenim ad hoc solum turpitudo facit dubium genus causæ, quia offendit animum quem sibi opposita honestas valde conciliat. Est itaque in hac causa,tam quod offendat Cæsarem mansio scilicet Ligarii in prouincia sibi infesta. Est item quod conciliet, scilicet profectionis honesta causa,& necessitas mansionis.dubium igitur,vt dixi,genus est causæ.ideoq; ne pars illa offendens sibi posset obesse,auditoris animum alienādo,

egregie Cicero per hanc exordii proprietatem Cæsaris bene uolentiam captare summa arte conatus est. Captat enim à persona Cæsaris auditoris in principiis suam admirabilem clementiam cum exclamatione extollendo, per quam clemẽtiam dicit se posse defendere alium nõ fecisse, quod ipsemet confitetur fecisse. Hoc est in voluntate aduersa Cæsaris perstitisse. Captat enim affectũ liberalitatis, & sapientiæ Cæsareæ demonstrando cum clarissime confitetur se fuisse contra Cæsarem iudicio & voluntate. & hoc facit magno cũ artificio, vt cum cõfessus fuerit se voluntate offendisse Cæsarem, magis clementiam & mansuetudinem Cæsaris videatur extollere. Vt enim ait Quintilianus libro nono de figuris sententiarum, cum dicit Cicero pro Ligario, Suscepto bello Cæsar, gesto iã ex parte magna, nulla vi coactus ad ea arma profectus sum, quæ erant sumpta contra te: non solum ad vtilitatem Ligarii respicit, sed magis laudare victoris clementiã non poteſt. hæc Quintilianus, & recte sic est, significãdo præsertim postea nullam sibi pœnam à victore Cæsare datã esse, immo sibi vitam, & patriam cum honore, & dignitate integre restitutam. Quo loco dicens, Apud quem igitur hæc dico? apud eum &c. vtitur figura interrogationis ad seipsum, & responsionis, vbi non ingratæ vices solent esse, vt placet Quintiliano. Itaque captat egregie beneuolentiam illius de se mansuetum magnificumque iudicium proferendo. Tacite etiam innuit quæ expectatio debet esse, & quæ existimatio iudicii in causa præsenti, quando Ligarius non offendit ex voluntate, cum fuerit tam mãsuetum, tãq; munificũ Cæsaris iudiciũ erga Ciceronẽ, qui Cæsarẽ offẽderat ex sentẽtia.

CONFVTATIO.

VIDE quæso Tubero, &c.) Hic Cicero ad Tuberonẽ conuersus incipit suam accusationem artificiose confutare: & incipit hæc pars ab illo adiumento fortissimo primæ partis orationis. Ostendit enim ipsum Tuberonem accusatorem, & ipsius patrem eadem contra Cæsarem, & peiora fecisse quàm Ligarium, & tamen petere, vt Ligarius puniatur, quod magnum facinus sit necesse est. quod vt in Tuberone extollat magis vtitur hoc loco amplificatione per congeriẽ,

Quid enim tuus ille Tubero districtus ĩ acie Pharsalica gladius agebat?cuius latus ille mucro petebat?qui sensus erat armorum tuorum?quæ tua mens,oculi,manus, ardor animi? quid cupiebas?Ac etiam vt Quintiliano placet, hic est interrogatio figurata sciscitandi gratia adsumpta, sed instandi. Simulque hic Cicero est vsus Apostrophe aduersarium inuadendo. deinde confutans ibi improperat eius crudelitatem quam odiosam Cæsari esse monstrat.Est enim oratoris boni non solum in refutatione,vt hic Cicero,sed in toto actionis genere cõtra crudelitatem inuehere.Hæc autem Ciceronem fecisse hic agentem contra Tuberonis inhumanitatẽ Quintilianus ait libro quinto de refutatione.Deinde confutat nomen sceleris ab aduersario culpæ, & facto Ligarii impositũ,ostendendo quod non debeat scelus appellari: & vtcunq; sit in eo ipso vel scelere,vel culpa fuerit Tubero. Transit inde ad maiora obiecta Ligario à Tuberone. Et quia ista defensio Ligarii in iuridiciali adsumptiua constitutione, & in concessione propter purgationem ex parte necessitatis fit pro parte vna, & pro altera fit per deprecationem, vt infra apparebit: Videamus quam bene seruauit, & considerauit Cicero in parte ista necessitatis, quod in arte docuit simili in casu esse considerandum. Docet enim esse quærendum quomodo vis illa siue necessitas vitari potuerit, quod hic quærit egregie cum comparat factũ Q. Ligarii cũ facto L. Tuberonis patris Q.Tuberonis accusantis,ostẽdẽs quod id quod fecit Tubero, quãdo scilicet iuit in Aphricam fecit ex voluntate,eo quod Senatui paruit,quando non erat periculum non parere:quod vero Ligarius fecit, ex necessitate fecit,eo quod ipse senatui paruit,quando parere erat necesse:tamen laudat obedientiam etiam Tuberonis eo tẽpore,vt fortius excusare, & etiam commendare intelligatur obedientiam Q. Ligarii alio tempore.Et vt Ligarius reprehendi non possit de eo propter quod est Tubero cõmendandus,ac etiam vt videatur maior Ligarium necessitas obligasse, ostendit etiam Tuberonem aliquali necessitate cõtra suã voluntatem fuisse commotum, propter sanctissimum Reipublicæ nomen,&c.sic vt in illam necessitatem nõ Ligarius

non venisse sua culpa intelligatur, cum fuerit virtus obedire senatui. deinde explicato facto Tuberonis à Ligario crimen remouet volūtatis, ostēdēs quod si fuit crimē in volūtate Ligarii, fuit etiā in voluntate Tuberonis, quā ex ipsius actione criminatur summa cū arte. vt enim Quintilianus ait, artificis est inuenire in actione aduersarii, quæ inter semetipsa pugnēt, aut pugnare videantur, quæ aliquando ex rebus ipsis manifesta sunt, vt in causa Cæliana Clodia aurum se Cælio commodasse dicit, quod signum magnæ familiaritatis est: venenum sibi paratum: summi odii argumentum est. Tubero Ligarium accusat quod is in Aphrica fuerit, & queritur quod ab eo tempore in Aphricam non sit admissus. Hæc Quintilianus, & recte. Obtinere siquidem eā voluit prouinciam Tubero, quod tamen iure imperii noluit Ligarius, sed Varus, qui se pro vero Imperatore gessit ī Aphrica. Et sic in Ligario non fuisse criminosa monstratur voluntas, sed sola necessitas. Deinde confutat respōsionē, quæ posset fieri à Tuberone. posset enim dicere, Ipse non veniebat in Aphricam, vt esset contra Cæsarem, sed vt traderet prouinciam Cæsari. hoc sibi tollit Cicero, & artificiose per ea quæ sunt ab eo gesta cōcludit, Tuberonem hoc non fuisse facturum, vt potest apparere per argumenta Ciceronis ad hoc deducta magna cum arte, & ingenio.

DEPRECATIO.

ITA VNDE TIBI, &c.) Cum Cicero fuerit vsus confirmando, confutando, in hac oratione vna parte concessionis, quæ est purgatio: nunc ad reliquam se conuertit, quæ deprecatio nominatur. Quæ licet (vt ait Cicero) iudicialis fieri non possit, tamen hic in iudiciali genere inducicitur. sed notandum quod pura deprecatio per se iudicialis proprie esse non potest, quia deprecari proprie non est defendere, & sine defensione genus iudiciale non fit. Habet enim ipsum accusationem cum defensione: præterea non iudicis, qui proprius est auditor in causa iudiciali deprecatione moueri, & sic non potest intendi finis oratoris ex ipsa deprecatione apud iudicem. & ita intelligendum est, quod

deprecatio iuridicialis esse non potest, scilicet pura per se, tamen adiuncta cum alia defensione mere iuridiciali, vt & pura purgatiõe in iuridiciali etiã causa, tractatur deprecatio. Et tunc illa confessio culpæ quæ præsupponitur in deprecatione fit cõditionalis: vt si primo purgando dixeris, nõ peccaui, quia per necessitatẽ hoc feci: deinde subiũgas, & tamen si ex volũtate peccassem, veniam peto: & ores postea, vt debet orari in deprecatione. Et sic fit in ista oratiõe iuridiciali in qua etiã vberior deprecatio ĩduci potuit, quia causa apud principem agebatur, nec ex lege iudicanda per subditum legis, vt est merus iudex. & dico merus ad differentiam eius, qui iudicis, & principis locum tenet. Sentit hoc etiã Quintilianus lib. 5. de refutatione, Deprecatio quidẽ, inquit, quæ est sine vlla specie defensionis rara admodũ, & apud eos solos iudices, qui nulla certa pronunciandi forma tenentur: quanq̃ illæ quoque apud C. Cæsarẽ, & Triumuiros, pro diuersarũ partium hominibus actiones, etiam si precibus vtũtur, adhibent tamen patrocinia. nisi hoc non fortissime defendẽtis est dicere, Quid aliud agimus Tubero, nisi vt quod hic potest nos possemus? &c. Ecce quomodo vult esse hic deprecationem cum defensione coniunctam. Illa siquidẽ sententia, vt Quintil. ait lib. 9. de figuris sententiarum, admirabiliter vtriusque partis facit bonam causam. Cicero itaque defendit Ligarium in hac causa per purgationem, ostendendo, quod id quod fecit, necessario fecit, & vtitur simul deprecatione cum Cæsaris clemẽtiam deprecatur, vt adhuc si Ligarius fecisset ex voluntate, quod fecit per locos deprecationis, dignum ostendat venia. Itaque adserit nunc se omnia velle referri ad summam vnam scilicet clementiæ, & misericordiæ Cæsaris, quod dictum quantũ ad sententiam, primo fuit in orationis principio collocatum tanquam vnum fortissimum adiumentum, in quo hæc oratio niteretur. valde siquidem nititur hæc oratio in veniæ petitione, & post purgationẽ in deprecatione, vt appareat specialiter ĩ ea parte in qua ostendit se non agere apud Cæsarẽ tanq̃ apud iudicẽ, sed tanq̃ apud parentẽ, & tamen colligit adiumenta, quæ vale-

rent etiam apud iudicem, per ea monstrans innocentiā Ligarii. & quasi non velit curare de ipsis tendit ad deprecationē: cui studens, vt vides, fatendo, & veniam postulando, & quantum potest Cæsarem ad misericordiam commouēdo. quæ misericordia quoniam potissimum commouetur hac ratione, vt Cicero inquit in arte, quādo aperitur quid proximis & cæteris nostris necessariis casurum sit, per nostras calamitates: ideo nunc ostendit in quanta miseria futuri sint, & quanto nunc squallore teneantur multi. Q. Ligarii necessarii propter ipsius exiliū, & quomodo duo eius fratres exulaturi sunt exulāte Ligario: & quomodo hi qui pro ipso deprecantur sint nobiles & probi, & quanto, & quam iusto dolore moueantur. quæ omnia multum valēt ad misericordiā commouendam. & cum fuerit Cicero confessus, vt haberet misericordiam, deprecatur ne in pura conditione aliqua persisteret, sed vt cum conditione fateretur: quod fit, quando adiuncta deprecatio purgationi, vt supra dixi. Ostendit iterum Ligarium tempestate, & vi quadam à Cæsare dissensisse, & demonstrat propter tantam fratrum illorum cōcordiam si potuisset, futurum fuisse cum Cæsare cum quo reliqui fratres fuerunt. nec per hoc curat regredi ad purgationem iam â necessitate tractatam: sed vult ex hoc descendere ad cōfessionem illam conditionalem, vt facit cū dicit, qui si consilio id fecisset &c. Et cum doceat in arte Cicero deprecantē ostēdere debere si pro causa aliis quoque sit ignotum, hoc etiam ostendit dicens, si adhuc voluntate peccasset, similis esset eorum quos tamen Cæsar voluit saluos esse. Et cum similiter doceat deprecantē inde veniam postulare, & allegare si plura, aut maiora officia quàm maleficia videbuntur constare, beneficia fratrū Ligarii olim facta in Cæsarem allegat, quos fratres, vt melius misericordiam moueat, ostendit Cæsarem deprecari, & virtutem, voluntatémque deprecantiū pro Ligario sæpe in hac deprecatione commemorat, vt facere debet ex arte. Cumq; Cicero in arte nos moneat, vt deprecantes significemus nullam à ciuibus nostris, aut ab aliis gentibus vituperationem suscipere posse illū quem deprecamur, si concesserit veniam, eleganter locum illum hic tractat, ostē

dendo Cæsarem non solum non posse expectare ex hac venia data vituperationem aliquam, sed summam sibi gloriã, & gratiam populi cumulaturum, & talem qualẽ accepit in restitutione Marcelli, & vt illi sæpissime quærat simile, exhortatur.

CONCLVSIO.

LONGIOREM ORATIONIS &c.) Cum terminaret Cicero orationem in parte deprecationis, conclusit recta conclusione, quæ ex commiseratione constaret, in qua breuiter misericordia cõmouetur. Mouere enim studet Cæsarem ad misericordiam, cum in fine demõstret salutem daturum illis præsentibus, qui pro Ligario precabantur, si Ligario dederit. vnde seruat id quod docet in arte. Nã dicit, captari misericordiã, si ostẽdamus quid sit nostris euẽturũ, si obtinuerimus aut si nõ obtinuerimus salutẽ, siquidẽ dicit daturũ Cæsarẽ Ligarianis obtinẽte Ligario. Et simul debet intelligi ipso nõ obtinẽte Cæsarẽ illos præsentes Ligarii amicos, & necessarios adflicturum à summa misericordia. Posset etiam tota deprecatio pro conclusione notari. Est enim hæc pars signanter affectuum efficax, vt alias dictũ est, & propterea male potest per aliquas proprietates à deprecatione distingui.

DE ELOCVTIONE.

VLTIMVM est vt de reliqua parte Rhetoricæ videlicet orationis Elocutione videamus, de qua plane per omnia sic dicendum, vt supra est dictum in Pompeiana, & de huius similiter est exornationibus perscrutandum.

COLORES.

QVI CVM hoc sciret, tum me &c.) Repetitio est. Quæ tua mens oculi manus ardor.) Articulus est. Item amplificatio per congeriem iuxta Quintiliani sententiam. Italia prohibetur, exulat &c.) Dissolutum est. Noui enim te, noui patrem, noui domum, &c.) Repetitio est. Itẽ Dissolutum. Virtutis humanitatis doctrinæ &c.) Articulus est. Caue credas, caue ignóscas, &c.) Repetitio est. Item Dissolutum est. Caue credas, fuit in Africa Ligarius, tulit arma contra te. Dissolutum est. Spem, cupiditatem,

odium,pertinaciam,&c.) Hic est articulus. Fuerint cupidi,fuerint pertinaces,&c.) Dissolutum est. Item Repetitio. Furoris,parricidii &c.) Articulus est. Liceat Cn. Pompeio mortuo,&c.) Dissolutum est. Item Repetitio.

Vestro generi familiæ disciplinæ,&c.) Articulus est.

Aliena voluntas conuentus firmi,&c.) Articulus est.

Cessit authoritati amplissimi viri,&c.) Dissolutum est.

Quæ fuit igitur in illo homine tanta constantia? Dico constantiam. Nescio an melius patientiam possem dicere,&c.) Dubitatio est. Nobilitas,splendor,ingenium, &c.) Articulus est. Nunc quæro vtrum vestras iniurias an Reipublicæ persequamini,si vestras &c.) Diuisio est.

Ignoscite iudices,errauit,lapsus est.) Articulus est. Nō fecit non cogitauit,&c.) Dissolutum est. Dic te Cæsar de facto Ligarii,&c.) Dissolutum est. Ligarius ante bellum profectus,&c.) Articulus est. Tametsi totus animo, & studio dirus,&c.) Precisio est.Conuenit cum Eclipsi figura, & cum Liptote,& cum Aposiopesi, cum qua etiam conuenit significatio per abscisionem. An sperandi Ligario causa non sit, &c.) Contrarium est. Totûmque agrum Sabinum,&c.) Denominatio est, continens pro contento: Item articulus. Quam patria, quam domus,quam dii penates,&c.) Repetitio est. Moueant te horum lachrymæ,&c.) Dissolutum est. Hunc splendorem, hunc L. Marcum,&c.) Articulus est. Sed ierit ad bellum, dissenserit,&c.) Dissolutum est. Nihil est tam populare quam bonitas,&c.) Sententia est ad rem tantum relata, vt ait Quintilianus. Homines ad deos nulla re propius accedūt quā salutem hominibus dando,&c.) Sentētia est. Nihil habet, nec fortuna tua maius, quàm vt possis, nec natura melius, quàm vt velis cōseruare quàmplurimos, Sentētia est ad personam versa. Nam hic Cicero quæ erant rerum propria fecit hominibus,vt ait Quintilianus.

ARGVMENTVM ORATIONIS PRO REGE DEIOTARO.

DEIOTARVS REX amicissimus populo Romano bello ciuili cum Pompeio fuit. & post pugnam Pharsalicã se contulit domum, atq; deinde C. Cæsari bella gerenti subsidiis adiuuit. Quare ab ipso Cæsare relictus Rex fuit in regno suo aliquantulum ab eo, quia sibi Pompeium in amicitia prætulisset, rerum suarũ parte mulctatus. Is Deiotarus post per Philippum medicum seruum suum (quem Romam cum legatis suis miserat) accusatus est apud Cæsarẽ, quia cũ ipse Cæsar diuersaretur ĩ hospitio apud Deiotarum in castello Luceio eũ rex interficere per insidias voluerit, collocatis primũ armatis in loco vbi erat regia dona daturus Cæsari. Deinde in balneo compositis insidiatoribus cum Cæsar ire percurauisset, dicitur ab accusatore non voluntate Deiotari, sed sua fortuna esse seruatus. Etiam accusatus est Deiotarus ab eodem, quod fuisset semper aduersus Cæsarem animo impio atque alieno, quodque exercitum contra ipsum cõparauisset, quodq; nuncios ad Cæliũ quendã inimicũ Cæsaris destinare voluisset, quodq; equites nõ bonos Cæsari misisset, & in his seruũ quẽdã iudicatũ: quodque bello Aphricano audiens Domitium perisse naufragio, Cæsarem obsideri, versum Græcum dixisset diræ atque suspectæ sententiæ, quodque præ illa lætitia vino obrutus in conuiuio saltauisset: quodque Blesamius legatus, & amicus regius regi scripsisset probra de Cæsare. Has accusationes Philippus ille seruus & medicus intẽdit cõtra Deiotarum dominum suum, vt dicit hic Cicero, corruptus & subornatus à Castore quodam adolescente Deiotari, ex filia nepote & auo suo inimicissimo. Contra quas accusationes inductas Cicero coram Cæsare hanc orationem habuit.

GENVS CAVSAE.

HAEC EST IN iuridiciali genere constituta: ha-

bet enim hæc causa accusationem. cum defensione. accusatus enim Deioratus à Philippo quod propter insidias C. Cæsarem necare voluisset, hac egregia oratione apud ipsum Cæsarem à Cicerone defenditur. De demonstratiuo quod incidit dicendum, vt supra in aliis orationibus dictum est.

CONSTITVTIO CAVSAE.

HAEC oratio in coniecturali constitutione conficitur. Patet enim ex contextu, & serie orationis accusatoris in tentio, ista videlicet, Cæsarem occidere voluisti, fuisti contra Cæsarē animo impio, atque alieno &c. & sic de aliis accusationis partibus dicendū, quod sint simpliciter negatæ, vt patet in litera orationis vnde cōstitutio causæ coniecturalis est.

DE RHETORICAE partibus.

DE INVENTIONE, memoria, & pronunciatione hic dicēdum, vt supra in Pompeiana dictum est. Dispositio vero sic est. Posito exordio, narrationem quandam ponit antefactorum regis Deiotari, & simul antefacta purgā do in fine huiusce narratiōis, proponit breuiter causam qua arguit in præsens, deinde confirmat, post confutat, post diuiuidit quæ purganda restant, postea purgat & confutat, post extenuat antiquam suspitionem quæ posset in mente Cæsaris residere. Post adducens aliqua argumenta cōcludit, omnibus maxima arte suo ordine collocatis.

EXORDIVM.

CVM IN omnibus causis grauioribus, &c.) Hic est orationis exordium, in quo est considerandum, quod cum huius causæ dubium genus esset, vt quia foret turpis accusatio, sed accusati singularis honestas, quod quodāmodo in hac causa turpitudo accusationis cum accusati honestate pugnaret, vnde redditur dubiū genus causæ, maxime opus fuit, vt orator beneuolentiam captaret auditoris, ne quid illa turpitudinis pars sibi posset obesse: quæ quidem pars cū in omni causa maxime obesse possit, tum plurimum in hac causa, in qua erat auditor iudex, is cōtra quem insidiæ factæ dicebantur. Quapropter ne persisteret animo alienato propter accusationem turpem, summo studio fuit Cæsar ad be-

neuolentiam reuocandus. Itaque si cuiquam longiusculum hoc videatur exordium, non miretur, aut damnet. Nam, vt ait Quintilianus, modus in principiis adhibendus est pro conditione causarum, quia breue principium simplices, longius perplexæ suspectæque, & infames desiderant. Lector peritus ergo consideret potius quanta arte, quanto ingenio vtẽdum fuit in causa præsenti, in qua de insidiis contra Cæsarẽ agebatur. Cicero parti suæ beneuolum Cæsarem comparat, quod elegantissime facit. Nihil enim omittit ex his quæ possint, nedum homines alienatos à nobis, sed lapideos prorsus ac ferreos ad beneuolentiam commouere. Captat autem hic beneuolentiam à persona Cæsaris auditoris, & à persona Deiotari, à persona aduersariorum ipsos in odium, inuidiam, & contemptionem adducẽdo. Arte autem ipsa in hoc exordio beneuolum sibi Cæsarem facere non poterat. Nam res ipsa, & causa per se ipsam considerata, potius sibi alienũ reddebat, præsertim antequam esset veris, aut probabilibus rationibus confutata, quod nondum in exordio factũ erat sed ipsa re, & causa beneuolentiam post captauit quam ocyssime potuit: prima videlicet particula cõfirmationis breuissime absoluta, cum incipit rationes aduersariorum cõfutare: vbi ait, En crimen, en causa. Cur regem fugitiuus, dominum seruus accusat &c. Ibi aduersariorum causam per contẽptionem deprimendo beneuolentiam à re captat. nec enim conuenit eam captari alia in parte quam in exordio. Nam licet attentos, dociles, & beneuolos facere affectus sint magis cõuenientes exordio, possunt tamẽ immo debent in qualibet alia parte orationis re id permittente, comparari, vt vult Cicero, Quintilianus, & alii, Itaque captat eleganter Cicero beneuolentiã à persona Cæsaris, cũ dicit rẽ insolitã, inauditã, regem scilicet esse reum capitis, in suo duntaxat periculo: sic esse inquam. per hoc enim occulte Cæsarẽ super cæteros homines extollit, cum ostendit in suo nõ solum periculo licere, quod alias non liceret. Item cum dicit se timore iusto ex consideratione suæ præstantis singularisque naturæ liberari, quod enim per se consideratum graue sit iniquum dicere, scilicet apud eum de facinore contra quem arguatur faci-

nus esse factum per Cæsaris patientiam fieri dicit æquissimum. Item cum dicit se iam timere quid sit de Deiotaro iudicaturus, quam intelligere, quid vellet de seipso iudicari, apparet hic quæ expectatio iudicii Cæsaris sit, & quæ sit existimatio de eius voluntate. Item cum dicit se in vultu oculisque eius acquiescere, quum solus ipse Cesar suppleat effectum concursus populi Rom. & vnus ipse pro vniuerso populo satis sit: item cum per fidem, constantiam, atque clementiam suam implorat, & per dexteram suā nō tam in præliis, quàm in promissis, & fide firmiorē: item cum dicit eum solere facile & semel exorari, nec vllum inimicum eū placasse, qui senserit postea in animo eius simultatis reliquias resedisse. Sic in hoc exordio beneuolentiam captare studet Cicero à persona Cæsaris. Et cū nos Cicero doceat beneuolentiam à nostra persona captare, intelligamus contineri personam illius pro quo oratur sub oratoris persona, sic quod præcepta eadem in vtraq; persona sumēda sint. Hoc tamen sciendum quod eorum pro quibus dicimus debemus vberius laudare, vel facta, vel vitam: personarum vero rerūque laudatio moderate tractanda est. Itaque cum modo captat beneuolentiam à persona Deiotari, his idem vsus est modis quos instituit in arte seruandos, cum à nostra persona essemus beneuolentiam capaturi. Captat enim primo, cum officia regis in Rempublicam dicit esse collata, eūque ob merita illa assuetum ornari à cuncto Senatu, & cum profert incommodum illud, quod talis rex modo defenditur contra crimen atrocissimum. Item cum dicit, omnes ciues si in foro dicerent: illi regi esse fautores, qui in bellis Romanis suam consumpsit ætatem. Item cum dicit sibi recordanti beneficiorum deorum immortalium, & senatus in regem Deiotarum nullo modo orationem posse deficere. Itē cum incommoda regis profert ostendens eum esse affectum nonnullis incommodis & detrimentis propter offensionē animi Cæsaris, & hac spe fretus inimicos regis eum accusare. Item cum Cæsarem deprecatur summisse pro rege Deiotaro & hospitii sanctissime celebrati cum eo memorem facit. A persona autem aduersariorum beneuolentiam captat, addu-

cendo ipsos in odium, cum eorum crudelitatem & impietatem exprobrando commemorat, & cum malitiam corrupti serui confidentiámque insidiosam, atque improbam eorum significat: item in inuidiam adducendo cum ostendit eos plus in Cæsaris ira, & sua cum illo amicitia, quam causæ veritati confidere: item in contemptum adducendo, cum eos dicit non valere, neque ingenio, neque vsu, neque exercitatione rerum, & cum vilitatem conditionis seruilis improperat. Sic exordium hoc conficit Cicero ingenio, atque arte mirabili, quæ facilius intellectu percipere possumus, quam scriptis exprimere. omnia enim plena sunt artis, & dicendi inæstimabilis facultatis.

NARRATIO.

QVANQVAM cui sunt inauditæ, &c.) In hac oratione in qua negatur factum, opus nulla narratione defendenti fuit. Et exordio posito potuit aut diuidere, aut cõfirmare aut confutare. Nam illa narratio quæ aperit causæ substãtiam, accusanti magis est propria, quã positam ab accusatore non debet orator idoneus in defensione repetere, faciens de ipsa vnam separatam partem orationis: sed decet per singulos locos ire diluendo quæ ab aduersariis sunt narrata, eámque causæ narrationem particulatim explicare cõfirmando, aut confutando: quo facto inuenisse orator expressisséque totam narrationis seriem, eámque simul agendo aliud in rem suam couertisse. Cum igitur Cicero in hac oratione non haberet integram accusationem post exordium in narratione repetere, alia vsus est narratione antequam veniret ad confirmationem, quæ quidem narratio sibi vtilis visa est: vt si Cæsar haberet animum iratum contra Deiotarum propter anteacta Deiotari, quia aliquo tempore fuisset contra Cæsarem cum Pompeio, ipse animum suum hac prius rei expositione in qua narrat, & excusat anteacta Deiotari, vt postea ad hanc causam non sic difficilem eius animum inueniret. Itaque alicui forte potest hæc quã voco narrationẽ plus habere de exordii ratiõe, eo quod ani-

mum præparet,& conciliet auditoris,vel plus habere de ratione confutationis,eo quod ea quæ obiici possent purgat. Sed nec conciliatio,nec purgatio hic auferũt talis narrationis naturam:quoniam narratio vna est,vt ait Cicero,cũ exponimus rem gestam,& vnumquodque trahimus ad vtilitatem nostram vincendi causa,quæ narratio pertinet ad eas causas de quibus iudicium est futurum. Et hæc est illa narratio quæ principaliter spectat ad causam,in qua cognosci causa non potest. Aliter est narratio quæ incurrit nonnũquam aut fidei,aut criminationis,aut tralationis,aut alicuius operationis,aut laudationis causa. Et huiusmodi est ista narratio,quam hic præposuit,vt anteacta purgando animum Cæsaris appararet. & est diuisa in partes duas. Nam narrata causa qualiter Deiotarus cũ Pompeio fuit, ostenso quod post fuerit amicus Cæsaris,& ab ipso Cæsare remuneratus proponit breuissime principalem partem accusationis. quæ quia grauior est causa, primo incipit purgare. pars ista est ibi, Is igitur non modo à te periculo liberatus, vbi proponit hanc partem principalem super qua vult fundare confirmationẽ. Et est siquidem ista narratio illustris & clara, & artificiose cõposita. Nã est & breuis,& dilucida,& verisimilis, & per partes singulas cum artificiosa purgatione coniuncta, vt apparere potest eam accurate consideranti.

CONFIRMATIO.

VOD tu nisi cum furiosissimum,&c.) Hic est confirmatio parua vsq; ad eum locum,Cum in castellum,&c. Vbi incipit confutatio. exponit enim hic aliqua argumẽta,cum adseueratione. In sequenti autem parte dissoluit locos cõtrarios. Quapropter particulã hanc à sequenti distinxit,in qua arguit Cicero per probabile à vita Deiotari,cum ipsius integritatem, & honestatem vitæ,mores,constantiam,probitatem,religionem,& fidem prædicat. arguitque per probabile à causa,cum ostendit Deiotarum solum ex cogitatione tanti sceleris fuisse contra summum omnium gentiũ ac populorum arma excitaturũ,& per consequens in maxima incõmoda prolapsurum. Fit ex arte enim defensio per probabile à causa,cum defensor negat causam sibi fuisse maleficii, aut

illā extenuat. Quanto ergo magis erit ista defensio per probabile à causa, cū defensor hic Cicero ostendit non solū causam fuisse Deiotaro Cæsaré occidendi, quia vel appeteret cōmoda, vel declinaret incommoda. sed hanc vnam fuisse causam sui exitii, videlicet si fecisset, vel si cogitasset hoc scelus, nec ipsum Deiotarum hoc ignorare potuisse demonstrat, cum prudentem eum prædicat.

CONFVTATIO.

CVM inquit in castellū, &c.) Hic incipit Confutatio, quæ est vsq; ad eum locū, Reliqua pars accusationis, &c. vbi incipit diuisio eorum, quæ purganda restant in cōiecturali constitutione, per quam confutando suspitiones oppositas extenuat & dissoluit. Ideo hic Cicero bonā partem orationis in confutando cōsumpsit. Diluere itaque incipit primum locū, qui videtur esse grauissimus, & principalis accusationis. Et cum huius constitutionis ratio, vt ait Cicero, in sex partes distributa sit, videlicet probabile, collationem, signum, argumentum, consecutionem, & approbationē, quibus partibus vti debet accusator accusando, defensor defendendo: videamus quomodo partibus his, & harum particulis arguat Cicero. Arguit siquidem primo in genere signi ex parte occasionis idoneæ non quæsitæ, & idoneæ præteritæ, vel omissæ, & cum dicit id maleficium occultius, & magis idonee potuisse fieri per venenū, & tamen illo modo nō esse nec dici esse tentatum, arguit per probabile à causa, vt supra fecit in confirmatione, cum dicit si eum palam interemisset, omnium fuisse in se odium excitaturum. Arguit iterum in genere signi ex parte spei celandi, cum ostendit spem celandi in beneficio esse potuisse, in eodem vero nō potuisse, & tamen non veneficium accusari. Arguit iterum ex genere signi, ex parte loci, temporis, & spatii, cum dicit nō fuisse retentos vsque ad aduentum Cæsaris ad eum locum: neq; causam fuisse loci mutandi, & spatii prolatandi à lotione ad finem cœnæ. Et arguit etiam in genere argumenti prout sumitur argumentum pro vna parte ex illis superius nominatis, in quas ratio coniecturalis constitutionis distributa est, cum Cæsarem obsecrat, vt illius temporis repetita memo-

ria, si ibi vbi dicant insidias collocatas à Deiotaro aliquid tumultuosum aut trepidum sensit, vel potius vidit ac sensit omnia quieta ac placata, & ex hominis grauissimi, & sanctissimi disciplina. quod esse profectò nō potuisset animis maculatis, & ad insidias apparatis. Nam insidiarum ipsarum signum aliquod visum esset. Arguit etiam in genere approbationis per locum contra testes, cum confutat dictum Philippi Medici, qui se omnium conscium esse dicebat. Nam ostendit eum scire non potuisse, quia rex sapientissimus nō misisset eum Romā si fuisset conscius tanti sceleris. nec fratres eius, vt dicebat, carcere multasset.

DIVISIO PVRGANDORVM.

RELIQVA pars accusationis, &c.) Hæc est diuisio eorum, quæ purganda extant, quæ est vsq; ad locum statim subsequentem, De exercitu dicam breuiter, &c. vbi incipit confutatio diuisorum. Hic notandum est quod cum diuisio pars orationis ad hoc sit inuenta, vt per eā aperiamus quid conueniat, & quid in controuersia sit, & per eam exponamus, quib. de rebus simus acturi: prima parte in hac oratione vti opus non fuit, in qua factum prorsus negabatur. secus autem est in iuridiciali constitutione, in qua factū conceditur, sed quæritur, an iure sit factum. ibi enim orator dicet aduersario, conuenio tecum in hoc, quia factum esse confiteor. Non conuenio, quia iure factum esse defendo. tu iniuria factum dicis, hoc autē hic Cicero facere non potuit propter status causæ naturam. Sed etiā nec reliqua vsus fuit post narrationem incipiens confirmare, vel confutare. vt enim intelligere possum, videtur Cicero tali fuisse ratione cōmotus. considerauit enim vim totius periculi in illa causæ parte consistere, qua accusabatur Deiotarus, insidias vitæ Cæsaris construxisse. Ideo subito primum exordium, & narrationem ad illam partem purgandam obrepsit, quæ magis animum Cæsaris offendebat, vnde se contraxit ad illum locum, vt in eo sufficienter absoluta spatiosa oratione ad libitum vteretur. sic ergo superfluum iudicauit enumerare, quot de rebus, aut exponere de quibus rebus esset acturus, cum quasi rem vnicam cordi haberet, illam videlicet gra.

tissimam & principalem partem accusationis, quam bene tunc exposuit dicens, Is arguitur te domi suæ interficere voluisse, &c. Et immediate purgare incœperit ibi, vt dictũ est, qua parte non sufficienter per confirmationem, & confutationem absoluta, reliquas partes accusatiõis diuidit per enumerationem, & expositionem. nam duas reliquas partes accusationis enumerat, & quæ sint exponit.

CONFVTATIO diuisorum.

DE EXERCITV dicta breuiter, &c.) Hic incipit confutatio partium reliquarum accusationis in diuisione supra positarum. Et licet plura purgari videãtur quam in hac diuisione sint posita, tamen aduertendum est quod diuisio illa omnia quodam generali modo complexa est: vna enim pars fuit quod rex comparasset exercitum contra Cæsarem, & istam plane confutat, vt vides. altera pars diuisionis fuit in speculis semper fuisse regem, cum esset animo à Cæsare alieno, & illa pars est valde prægnans & generalis. Nam omnes accusationis particulæ quæ inferius diluũtur, videlicet missio nunciorum ad Cælium, transmissio malorum equitum Cæsari, exhilaratio in aduersis Cæsaris, & scriptio probrorum de Cæsare ad regem pro parte Blessamii sub illa parte generali de alienato animo in Cæsarem: quasi voluerit accusator his particulis adductis probare partem illam generalem, quod rex in speculis fuerit, cum habuit animum alienum. Itaque has partes singulas purgat Cicero, & ostendit non habuisse regem animum alienum à Cæsare, sed feruentissimum in eius commoda, & promptissimum ad subsidia administrãda. & hæc est confutatio vsq; ad locũ, Nihil a me arbitror præteritum &c. vbi extenuat & cõfutat tacitã suspitionẽ quæ versari possit in mente Cæsaris, ne Cæsar existimaret Deiotarum sibi inimicũ esse propter mulctã sibi impositã à Cæsare. hanc itaq; suspitionem diluit & purgat Cicero eleganter, vt vides, subiunctaque sibi vna ratione firmissima: ibi, sed cum de illo labore &c, accurrit ad locum proprium defensoris, cum misericordiam Cæsaris captare niti-

tur,cũque accusatores calumniari ostendit, cum legati regii velint sua corpora obiicere ad detegendam accusatorum malitiam,& regis innocentiam demonstrandam.

CONCLVSIO.

QVOcirca C. Cæsar.&c.)Hic est conclusio,artificiosus orationis terminus.Et nota quod Cicero hanc orationẽ iuxta exigentiam causæ conclusit. Nam cum ipse dicit in arte noua,Conclusiones tripertitæ sunt,quoniam cõstant,aut ex miratione,aut amplificatione,aut commiseratione,exigẽte materia conclusionem hic assumpsit quæ ex commiseratione constaret.nam ostendit quantam calamitatem sententia Cæsaris allatura sit regibus, aut quantam iucunditatem, quorum alterum optare sit inimicorum regis, alterum suæ clementiæ. cum enim dicat in arte,Si comparatione,ostẽdemus,quæ nobis futura sint,nisi causam obtinuerimus, auditorem ad misericordiam comoueri.hoc facit eleganter vt vides.& quia commmiserationem(vt ipse ait) breuẽ esse oportet,quia nihil arescit citius lachryma, partem hanc breuissime absoluit. Potuisset etiam videri Epilogus incipere ab eo loco, Laboro equidẽ regis Deiotari causa.&c. Ab hoc enim loco ad finem vsque intentus est ad misericordiam commouendam,quod est proprium Epilogis,in quibus toti debent adfectus effundi.

RESTAT vt hic argumentationẽ Rhetoricam ostẽdamus,ex quinque partibus constitutam,quæ post narrationem in confirmatione tractata est,cuius quidem argumentationis propositio est expositio illa grauissimæ, & principalis accusationis cum ante factorum Regis narrationẽ in coniuncta illa videlicet particula,Is igitur non modo à te periculo liberatus sed honore amplissimo ornatus arguitur te domi suæ interficere voluisse,&c. Particula siquidem ista est propositio argumẽtationis quam licet probare nollet eiusq; oppositũ demonstrare,per eã tamen clare ostendit summatim quid sit,quod probare velit,nẽpe eius falsitatẽ. Et propositione sic posita rationes principio confirmationis adducit,ibi,Quod tu nisi eum furiosissimũ &c. Hic enim est ratio.Nam hac breui subiectione quod intendit verum esse

demonstrat. Demonstrat siquidem contrarium opinionis, quam intendit Cicero, non posse Cæsarem cogitate, nisi furiosissimum illum existimet qui est prudentissimus. Vt enim omittam cuius tanti sceleris, &c.) Hic est confirmatio rationis, nam pluribus argumentis confirmat breuiter expositam rationem. quod facile apparet cum dicit, post positis aliis argumentis, Quanta fuisset dementia id appetere, eo quod omnium contra se vnum regum ac gentium animos incitaret, quæ dementia in rege prudentissimo esse nō poterat. Quanquam hoc loco &c.) Hic est exornatio qua vtitur in hac magna materia rei honestandæ & locupletãdæ causa. confirmata iam argumẽtatione, vt vides honestat causam suam, cum de singularibus regis moribus probitate constãtia, atq; honestate commemorat. Quod igitur facilius &c.) Hic est complexio, quæ concludit breuiter partes argumentionis, vt clare patet. & est vsque ad confutationem sequentem. Quæ nominari potest etiam complexio argumentationis Epilogus siue conclusio confirmationis: licet id non dixerim, cum de confirmatione tractarem.

DE ELOCVTIONE.

VLTIMVM EST VT DE reliqua parte orationis Rhetoricæ, videlicet de orationis Elocutione videamus, de qua plane per omnia sic dicendum, vt supra in Põpeiana est dictum. De his similiter est hic exornationibus perscrutandum.

COLORES.

FVGITIVOS AVTEM DOMINVM accusantes, & dominum absentem, &c.) Conduplicatio est.

Cum videbam, cum verba audiebam, &c.) Hic est similiter desinens. In tuis oculis, in tuo ore, &c.) Dissolutũ est. Spectarem curiam, intuerer forum, &c.) Dissolutum est. Ista inquam differam, &c.) Conduplicatio est.

Sed omni metu liberauisti, hospiti ignouisti, regem reliquisti, &c.) Dissolutum est. Item similiter desinens.

Nihil ille de conditionibus tuis, &c.) Repetitio est.

Ignoſce,ignoſce Cæſar,&c.) Conduplicatio eſt. Quanti honoris P.R.quanti Senatus, &c.) Repetitio eſt. Itaque Cn.Pomp.bella, victorias, triumphos, &c.) Repetitio eſt. A Pompeio diſceſſit, ſpem infinitam proſequi noluit &c.Diſſolutum eſt. Ille exercitum Cn.Domitii,&c.)Repetitio eſt. Vt enim mittam cuius tanti ſceleris, &c.)Occupatio eſt. Cuius tanti ſceleris fuerit, &c.) Repetitio eſt.

Item Diſtributio. Omnes reges, quorum multi erant finitimi,&c.) Repetitio eſt. Quis conſideratior illo, quis rectior &c.)Repetitio eſt. Nota tibi eſt hominis probitas,C.Cæſar,noti mores,&c.) Diſſolum eſt. Deiotari integritas,grauitas,virtus,fides,&c.) Articulus eſt. Quod igitur conari occultius,&c.) Contrarium eſt. Qualis rex Attalus in populum Aphricanum fuit, &c.) Exemplum eſt.

Repeto illius temporis memoriam,&c.) Diſſolutum eſt. Num quæ trepidatio,num quis tumultus, &c.) Repetitio eſt. Non quæro quaſi veriſimile non ſit, &c.) Occupatio eſt. Non arbitror, non audiui, &c.)Diſſolutum eſt.

Pecuniam dedit,exercitum aluit,&c.) Diſſolutum eſt.

In regem iuſtum,ſeuerum,grauem,fortem, &c.) Articulus eſt. Qui igitur adoleſcens non tanta gloria præditus, &c.)Contrarium eſt. Quod ſe iactare quam oſtentatione &c.)Repetitio eſt. Non fictum crimen inſectari, &c.) Repetitio eſt. Sit in dominatu ſeruitus,in ſeruitute domi natus, &c.) Contentio eſt. O tempora, o mores,&c.)Exclamatio eſt. Cn.ille Domitius,&c.) Exemplum eſt. Cõſulem,cenſorem,Pontificem maximum,&c.) Articulus eſt.

Sed tamen ille inimico ſeruum,&c) Contentio ſententiarum eſt,vſque ad eum locum, Ac ſemel iſte eſt. Nonne cum eſſet productus &c.) Repetitio eſt. Vexatos,verberatos,&c.) Articulus eſt. Et quem vos liberi in ſumma Reipublicæ libertate,&c.)Cõtrarium eſt. Et enim ſi Anthiocus,&c.) Exemplum eſt. In Aſia,Cappadocia, Põto, &c.) Articulus eſt. De magnitudine animi,grauitate, conſtantia, &c.) Articulus eſt. Memoriam tuam implorat, &c.) Diſſolutũ eſt.

ARGVMENTVM ORATIONIS PRO A. CLVENTIO HABITO.

A. CLVENTIVS Habitus, & Statius Albius Oppianicus Romani ciues, ambo ex municipio Larinate fuerũt, inter se inimici. Nam cum Cluentius matrem haberet nomine Sassiã, mulierem libidinosam atque impiam, & sibi etiam inimicam, eo quod contra fas, & familiæ decus eiecta per diuortiũ filia sua sorore Cluẽtii, ipsa generi sui A. Melini adolescẽtis nuptiis immixta, nõ vt mater iam habebatur, & colebatur à filio matris impudicitiæ non amico: cum inquam haberet hanc matrem Cluẽtius Melino illo adolescente iam mortuo, & per scelus Oppianici trucidato, ipsi Oppianico matrimonio copulatam, & Oppianicus vellet Martiales quosdam deditos sacris matris liberos Romanósque ciues esse defendere contra ius & voluntatem Larinatium: Cluentius vero causam hanc ageret contra Oppianicum vehementer, Oppianico factus est inimicus: vnde vt Cicero adserit, ac vt multa bona Cluentii ab intestato deuoluerentur ad Sassiam suam vxorẽ matrem, eũ veneno curauit tollere. quod cum Cluentio esset indicatum, comperto apud Scamandrum libertum Fabritiorum veneno, accusauit primo Scamandrum & obtinuit. Deinde accusauit illum Fabritium patronum Scamãdri, & iterum obtinuit. itaque patrono libertóque damnatis, cum huius causa veneficium hoc fieri dicebatur, Oppianicum accusauit. Oppianicus accusatus Staleno iudici pecuniam grandem dedit ad quosdam alios iudices corrumpendos. quam pecuniam, cum Stalenus aliquibus iudicib. promisisset, deinde abnegauisset, adserẽs se ab Oppianico destitutũ, vt eos Oppianico infestos faceret, pecuniã ipse sũpsit, & Oppianicũ cõdẽnauit. malebat enĩ, vt dicit Cicero Oppianicũ dãnari, pro se solo retẽta pecunia, q̃ ea distributa per re-

liquos iudices eum absolui, & sic Oppianico à Staleno, & ab aliis omnibus præter quinque damnato, cum fama esset illo in iudicio versatam esse pecuniæ mentioné, ingens inuidia est in Cluétium suggestionibus L. Quintii Tribuni plebis, & defensoris Oppianici concitata. iactabat enim Tribunus in populo hominem innocentem per pecuniam condemnatum. Cicero itaq; cum Cluentius annos octo hac flagrasset inuidia, feréque in opinione hominum fixum esset innocentem Oppianicum pecunia Cluentii cõdemnatum, hac ipsum oratione nobili purgat à crimine. Cũq; Cluétius accusaretur aliis criminibus matris eius impulsu, vt quod videlicet Oppianicũ iam damnatũ, & exulé veneno necari fecisset, quodque idem facere voluisset in filio Oppianici adolescéte, Cicero ipsum egregie hac insigni oratione defendit.

GENVS CAVSAE.

HAEC oratio est in iuridiciali genere cõstituta. Habet enim accusationem cum defensione. Nam accusatus Cluétius, hac oratione à Cicerone defenditur. quanquam Demõstratiuum etiam de vituperatione Oppianici, & laude Cluétii incidat.

CONSTITVTIO CAVSAE.

VT PLANE intelligamus, in qua constitutione hæc oratio habeatur, videamus quæ intentio, quæve depulsio sit in causa. Intétio accusatoris hæc est, Iudicium pecunia corrupisti A. Cluenti, vt tuus inimicus Oppianicus damnaretur. Item vt de omnibus obiectis criminibus vnam faciamus intentionem, A. Cluenti hunc adolescentem Oppianicum in eius nuptiis veneno tollere voluisti: patrem huius iam damnatum Oppianicum de medio sustulisti. Depulsio vero Cluentii ad hæc talis esse potest, Iudicium non corrupi: tollere hunc adolescentem Oppianicum veneno nolui: patrem huius Oppianicum iam damnatũ veneno nõ sustuli. quare cum sit simplex hic negatio facti in depulsione ad principalem intentionem accusatoris, apparet, quod constitutio principalis est coniecturalis: iuridicialis autem absoluta, & legitima ex scripto & sententia constitutiones hic incidunt, vt suis indicabitur locis.

DE RHETORICAE PARTIBVS.

DE inuentione, memoria, & pronunciatione &c, dicendum, vt supra dictum est in Pompeiana. Dispositio autē sic, Primo ponit exordium insinuationi permixtum. deinde diuisionem. deinde narrationem cum quadam cōfirmationis parte coniunctam. deinde puram confirmationē, deinde confutationem. deinde regreditur ad confirmationem in constitutione legitima ex scripto & sententia. deinde inserit confutationem ad quædam obiecta. deinde confirmat in constitutione principali causæ, videlicet cōiecturali. deinde cōcludit, sed conclusionis finis, & orationis nō habetur.

EXORDIVM.

ANIMADVERTI Iudices, &c.) Hoc orationis exodium, quod mirabile est, & incredibili ministerio atque arte confectum. Nam cum esset dubiū genus causæ, eo quod hinc suspitio corrupti iudicii Iuniani, & cæteri veneficii crimina obiecta Cluentio ante ipsorum dissolutionem, quandam turpitudinem ad causam videbantur adferre, hinc honestas ex persona Cluentii, & persona Tullii defensoris ipsius oriri videbatur in causa. vt enim vult Arist. i. Rhetoric. Orator apparens, qualis quidem hic est, amicus, & bonus melius persuadet, fert quidem per se qualitatis speciem, quæ honestat causam suam: & iuxta Quintiliani sententiam nō solum aduocati defensionem, sed etiam testis fidem adfert. Cicero itaque talis orator & vir quid mirum si honestatem adferre posset ad causam quam ipse defenderet. quanquam in hac causa Cluentiana ipsum fuisse gloriatum tenebras offudisse iudicibus Quintilianus ait libro quarto. Cum igitur vt dixi, esset dubium genus causæ, & ad hoc accommodandum exordium beneuolentiæ effectiuum. cūq; iam in animis hominum insedisset opinio Tribunitia suggestione cō flata, corruptum istud à Cluentio fuisse iudicium, & ob id ex arte insinuatione foret vtendum, Cicero duplici ratione exordium, cum insinuatione permiscet, cum in genere causæ dubio nil obstaret, quin exordiri aperte posset, immo ex arte deberet, & opinio illa quæ quodammodo fixa in animis iudicum timebatur, insinuationem requireret. Primo

itaque per insinuationem ad se audiẽdum allicit auditores, pollicendo de eo quod aduersarii firmissimum sibi adiumẽtum putarint, se esse dicturum, cum adserit se animaduertisse orationem oratoris contrarii in duas partes esse diuisam: quarum altera niti & cõfidere magnopere videbatur in inueterata inuidia iudicii Iuniani: & parte alia, in qua non ita videbantur confidere, breuiter recitata, dicit se velle seruare eãdem distributionem in respondendo, vt omnes intelligãt nihil eum subterfugere voluisse reticẽdo, nec obscurare dicẽdo. Sic igitur cũ ostẽdit se velle ad illa adiumenta aduersariorum firmissima, & secundum eorum ordinem respondere, vsus est vno ex modis insinuandi, qui in arte ab eo docetur auditore persuaso. & etiam iuxta Quintiliani sententiã hic est vsus insinuatione, & partitione dicendorum, vt insinuaret vtilius. Deinde aperto exordio beneuolentiam captat ab auditorũ persona, aperiendo quæ de his existimatio, & quæ iudicii expectatio sit, simulque proferendo eorum laudabilem consuetudinem iudicandi, cum causæ difficultate monstrata aperte testatur rem illam, seque in illa difficultate consolari quòd ita audire de criminibus cõsueuerunt, vt eorum dissolutionem quærant ab oratore, &c. Et vt attẽtos faciat, exponit qualiter sit acturus, captata auditorũ beneuolentia, cum dicit neminem ciuem sine suo ac talium hominũ subsidio inuidiæ posse resistere. deinde, vt insinuando, & beneuolentiam simul ab auditorum persona aperte captando ad se auditores alliciat, primo dubitatiõe vtitur quid potissimũ sit dicturus, aut cui loco responsurus cum admiratione, cũ dicit se quo vertat nescire, per figuram diaporesin ad faciendam fidem efficacissimam. Nam, vt ait Quintilianus libro 9. adfert & aliquam fidem veritatis credulitatis dubitatio, cum simulamus quærere nos, vnde incipiendum, vnde desinendum, quid potissimum dicendum, an omnino dicendum. cuiusmodi exemplis plena sunt omnia, exemplum huius loci Ciceroni, subiungens. Deinde enumeratis quæ negare non potest, & quasi formidata difficultate euellẽdæ illius opinionis, vt iudices sibi conciliet, sese ad id impotentem ostẽdit, cum dicit non esse sui ingenii, sed auxilii ipsorũ

iudicum, ipsius innocentiæ, sic in hac calamitosa fama quasi in aliqua peniciosissima flamma atq; cõmuni incendio subuenire. Deinde ostenso, quod in iudicio falsa inuidia valere non debeat, rogatisque iudicibus, vt huc nihil præiudicati adferant, eos sibi facit attentos innuẽs se dicturum, quæ ante non sciuerint. Cum eos deprecatur, vt patiantur eum suũ dicendi ordinem conseruare, & perorata causa si quid erit præteritum tunc requirant, quasi per hoc innuens nihil relicturum, sed omnia patefacturum, quibus vere poterunt remota inuidia iudicare. Deinde etiam, vt sibi valde attentos ac dociles auditores compararet, cum demonstrauerit scire se ad quantum difficilem causam accedat, dicit, si quis deus ad se audiendum beneuolentiam iudicum conciliarit, effecturum se vt intelligant, nihil tam timendum quam inuidiam, nihil tam optandum quam æquum iudicem, deinde iterum à persona iudicum, auditorum beneuolentiã captat, aperiendo quæ expectatio sit eorum iudicum, dicit se sperare locum illum atque consessum quem inimici fore Cluentio horribilem putauerant, miseriæ illius futurum portum atque perfugium. deinde facit attentos, ac dociles rogando, vt attente audiant &c. Et hæc pauca de hoc artificioso principio dicta sint.

DIVISIO.

CORRVPISSE DICITVR A. Cluentius, &c.) Hic est diuisio, qua hic est vsus breuiter & absolute, cum se dicit ostensurum neminem vnquam grauioribus testibus in iudicium vocatum. Deinde facta ea præiudicia, vt absolui nullo modo Oppianicus potuerit. Deinde his demonstratis ostensurum, quod requiri intelligat pecunia tentatum esse iudiciũ, non ab Cluentio, sed contra Cluentiũ: & facturum, vt intelligant quid in ea causa tota ipsa res tulerit, error adfinxerit, cõflarit inuidia &c. Quibusdã tamẽ nõ placuit ista partitio, vt ait Quintilianus, qui cũ eis cõtra Cicero nẽ hoc loco sentire videtur. Nã vult ipse in vnius criminis varia defensiõe superuacuã esse partitionẽ, omnes modos defensionis colligẽtẽ: vt si quis ita partiatur, Dicã non talẽ esse hũc quẽ tueor, vt incredibile videri possit homicidium: dicã

occidendi causam hic non fuisse: dicā hunc eo tempore quo homo occisus est trans mare fuisse. Et ideo paulopost hoc subiungit ipse Quintilianus. Itaq; non defuere, qui Ciceronis illam pro Cluentio partitionē improbarent, qua se dictu rum esse promisit, Primū neminē maioribus criminibus, grauioribus testibus in iudicium vocatum, quam Oppiniacū: deinde præiudicia facta ab his ipsis iudicibus esse à quibus condēnatur. Postremo iudicium tentatū pecunia non à Cluentio, sed contra Cluētium: quia si probari potest, quod est tertium, nihil necesse fuerit dicere priora. Hæc ille libro quarto de partitione. cuius etsi me valde ratio moueat, vt cū eo sentiam, tamen ita me flectit, & vincit authoritas Ciceronis, vt cogitare nō possim quicquam in eius orationibus vitiosum. præposuit vero de industria partē hanc narrationi quam sequi decebat ordine per artem: quia est eiusmodi narratio, vt in ea multa confirmatio misceatur. Si ergo volebat prius quid esset confirmaturus exponere, opus erat, vt partē hanc præponeret narrationi.

ABS te peto Oppiniace, &c.) Antequam Cicero veniret ad causam, vt vitaret inuidiam, quia contra mortuum diceret iam damnatum, ab eius filio veniam petit, ostendens necessitatem dicendi: & ad narrationē à longo repetendam illico defensurus, ne id moleste patiantur iudices deprecatur. curauit enim summo studio, vt narraturus inueniret animos sine vlla inuidia præparatos.

NARRATIO.

AVLVS Cluentius fuit pater, &c.) Hic est narratio, cuius initiū sumpsit Cicero à persona posita cū accidētibus suis, quod fieri debere ex arte quando id profuturum est, & ideo hic factum esse, memorat Quintilianus libro quarto de narratione. & licet longa sit illa narratio, non est tamen aliena à præceptis de breuitate narrationis. Si quis enim consideret, quāta, & quam probabili narratione fuit opus, vt rem & causam iudicibus comprobaret, nō mirabitur paulo longius exordium rei demōstrandæ causa petiisse, quod fecit, vt ipse testatur, vt cognitis principiis facilius extrema cognoscerentur. Est ergo breuis dicenda narratio, non quidem se-

cundum se,sed respectu materiæ,& causæ.est dilucida, & verisimilis. Primo enim vnde necesse erat incipit. ac ne quis obiicere possit principii ratioñe remotioreñ, & quasi ab ouo hoc est vltimis,remoto principio ipsum inutiliter incepisse, cum incipiat à patre Cluentii:sciẽdum quod incipit ab eius morte,vt ostendat primo fomenta maternarum inimicitiarum cum Cluentio.quæ sciri non possent,nisi nuptiæ Cluẽtiæ sororis Cluentii secutæ mortem patris vtrinq; narrarentur.circa quas nuptias narrando vsus est Cicero excursione artificiosa dicẽs,O mulieris scelus incredibile, & præter hãc vnam in omni vita inauditam. O libidineñ effrenatã. & hac excursione demonstrauit elegãter se vi quadam esse adfectũ, sicut fieri oportere in huiusmodi excursionibus Quintiliano placet. Artificiose enim auditorum animos impleuit adfectibus, qui quidem in animis concitandi sunt ab oratore per sermones affectibus conuenientes,vt vult Aristoteles in Rhet. Insuper operæpreciũ est in hac causa, cognoscere matrem inimicam esse Cluentio.& quia contra parentes agentibus callida opus est arte,facit Cicero, vt ipsum maternum nomen cõtra Sassiam matrem animosq; magis accenderet; quam contra Cluentium. De quo loco non inutile est videre quid sentiat Quintilianus lib.xi. Vnũ iam igitur huic loco,quod est sane summæ difficultatis, addẽdum videtur, vt quibus ea quæ sunt natura parum speciosa,quæque non dicere,si vtrumlibet esset liberum maluissemus,non tamen sint indecora dicẽtibus. Quid asperioreñ habere frontem potest, aut quid aures hominum magis respuunt, quam cum est filio filiive aduocatis in matrem perorandum? aliquando tamen necesse est vt in causa Cluẽtii Habiti:sed non semper illa via qua contra Sassiam Cicero vsus est: non quia ille non optime,sed quia plurimum refert qua in re & quomodo lædat. Itaque illa cũ filii caput palam impugnaret, fortiter fuit repellenda.duo tamen quæ sola supererant diuine Cicero seruauit,primum ne obliuisceretur reuerentiæ,quæ parentibus debetur. Deinde vt repetitis altius causis diligentissime ostẽderet quam id quod erat in matrem dicturus non oporteret modo fieri,sed etiam necesse esset. Primaque hæc expositio,

quãquam ad præsentem quæstionem nihil pertinebat: adeo vt in causa difficili atque perplexa nihil prius intuendũ credidit, quam quid diceret, fecit nomen parentis non filio inuidiosum, sed ipsi in quam dicebatur. Hæc Quintilianus elegantissime. Etiam Cicero narrationem quantum opus erat extendit, nempe ad Oppianici damnationem, & inuidiam cõcitatam, & ea quæ id iudiciũ sunt secuta q̃ breuiter omnia quamque dilucide narret, apertum est. Nam vt quicquid primo gestum est, ita primum exponit, & rerum ac temporum seruat ordinem, & reliqua adimplet, quæ pertinent ad narrationem dilucidam faciendam. Quamque verisimilis sit etiã, vt mos, vt natura, vt opinio postulat, spatia temporum, personarum dignitates, consiliorum rationes, locorũ oportunitates constent, videre est facile orationẽ legẽti. Ego vero pertranseo tantum ne sim in re non necessaria longior: tamen quia illa tractantur ex locis confirmationis, quæ cũ ipsa narratione miscentur in hac oratione, cumque hæc causa esset huiusmodi, vt si Cicero narrationem plane simpliciterque voluisset, exponere forte maiorem offensionẽ animorũ maioremque inuidiam cumulasset contra Cluentium, sic argumentando, & causam ipsam agendo narrauit. Sic deniq; partes rei gestæ ipsis continuo argumenta subiiciẽs dispersit atque firmauit, vt ad vnamquamque confestim accommodet rationem, quo vulneri præsto esset medicamentum: & odiũ opposita defensio mitigaret, vt exigẽte causa fieri docet in veteri, & Quintilianus adfirmat libro quarto de narratione, dicens inserendum esse expositioni defensionem re poscente, & factorum rationem pro verisimilitudine rei agendæ. & sic à Cicerone fit hic, neque enim narratio hæc reperta est, vt tantum cognoscat iudex, sed aliquanto magis vt consentiat, vt ipse ait Quintilianus ibidem.

NVNC IAM SVMMATIM exponam, &c.) Recitatis in superiori parte fundamentis, atque causis inimicitiarum Sassiæ matris atque Cluentii filii, ita, vt vnũquodque dictum tractum videatur ad vtilitatem causæ: descendit hic ad eam partem narrationis, in qua multa con-

firmatio commiſcetur. Nam cum velit oſtẽdere in hac narratione incorruptum à Cluentio fuiſſe iudicium, habet oſtẽdere Oppianicum veris & grauibus criminationibus fuiſſe damnatum, & hoc narrare ſimpliciter & pure nihil eſſet apud animos, præſertim in oppoſitum perſuaſos. oportet ergo, vt narrando permiſceat argumenta, & coniecturales locos, cum cauſæ conſtitutio ſit coniecturalis. Videamus itaque quã breuiter fieri poteſt nonnullos locos, quibus cauſam hanc Cluentianam narrando ſimulque confirmando narrata corroborat. ſummatim enim expoſitis hac in parte, & crimine veneficii & cauſa ſeu ratione, quibus Cluẽtius accuſauit, & oſtendit Oppianicum fuiſſe culpabilem, ingreditur narrationem de vita & ſceleribus Oppianici, quæ conducit cauſæ Cluentii per locum à probabili à vita, demonſtrans eum fuiſſe iuſte damnatum, cum à ſimili turpitudine nunquam abfuerit: cumque talia ſciuerint iudices, qui damnauerint.

HVNC tu hominem, &c.) Poſtquam late ſuperius Cicero monſtrauit narrandò Oppianici multa flagitia, & ſic per locum à probabili à vita cauſam Cluentii roborauit, hic deſcendit ad cauſam inimicitiarum inter Oppianicum atque Cluentium: & deinde illud crimen veneficii contra Cluentium, pro quo crimine Oppianicus potiſſimum damnatus fuerat. Et nota, quod illæ pro cauſa Martialium inimicitiæ ſuſceptæ, & alia maior cauſa, ſpes ſcilicet hæreditatis Cluentianæ, ſi fuiſſet Cluentius mortuus inteſtatus, trahuntur in argumentum pro cauſa Cluentii, ad oſtendendum per locum à probabili cauſa Oppianicum voluiſſe tollere veneno Cluentium, & per conſequens eum iuſte damnatum. Cum de hoc crimine cauſam dixerit, & ſic non fuiſſe per corruptum à Cluentio iudicium condemnatum.

Multa dici poſſunt, quare, &c.) Superius demõſtratis inſidiis Oppianici contra Cluentium, deſcendit ad oſtendendum à quo corruptio iudicii profecta ſit, & probat primo per locum à probabili cauſa fuiſſe non à Cluentio, ſed ab Oppianico profectum: deinde vt eſt profecta, demonſtrat: & interim, vt attentos iudices ad narrationem

habeat,eos vt attente audiant deprecatur. Cum enim in omni parte orationis studendum sit,vt auditores habeamus attentos,hic Cicero potissimũ postulabat,& merito in narratione tam longa,vt ait Quintilianus de institutione, iudices & in narratione nonnunquam,& in argumẽtis,vt attendant,& vt faueant rogamus,& sic facit hic Cicero.

CONFVTATIO PVRA.

NEQVE me pœnitet hoc potius tẽpore,&c.)Postq̃ superius Cicero rem narrauit,& narrando ita esse monstrauit,fuisse videlicet Oppianicum iuste damnatum, & ab eo pecunia iudicium fuisse tentatum,fuisséque in suspitionem illius corruptionis Cluentium verisimiliter à Tribuno deductum,nunc ad puram confirmationẽ accedit,in qua breuiter Cluentium purgat,nam cum ostenderit quare libentius nunc tractat hanc causam quam antea tractauisset, accedit ad confirmandum Oppianicum corrumpere voluisse iudicium,Cluentium vero non voluisse:& hoc per locum à probabili causa. & vterque ad loquendum inductus ostẽdit vni Oppianico corrumpendi iudicium fuisse causam,Cluẽtio non fuisse.vel videri potest locus à collatione,cũ vtrique sermone ad inuicem posito,& comparato ostendit id quod aduersariũ fecisse criminatur alteri nemini bonum, nisi ipsi aduersario fuisse.deinde per locum ab argumento, & suspitione magis firma demonstrat Oppianicum iudicium tentauisse pecunia, cum ostendit & Oppianici tabulis hoc haberi,quod Staleno iudici nummos dedit,&c.& cum demõstrat fautores Oppianici Stalenum ad iudicium flagitasse, &c.Simúlque,quod obiici posset, de condemnatione Staleni purgat ratione in narratione iam dicta.

EPILOGVS.

QVARE cum istinc causa corrũpendi,&c) Post narrationem plenam argumentis,& positam supra confirmationem hanc breuem,Cicero hic vsus est Epilogo, quo breuiter & in summa dictorũ argumentorũ memoriã reuocat.

CONFVTATIO.

AT ENIM pecuniam Staleno,&c.) Hic est confutatio,in qua rationẽ,pecunia tradita Staleno iudici ab Op-

pianico.primo confutat, cum oſtendit id non fuiſſe poſſibile, & per locum ab argumēto ſuſpitioſam facit pecuniam apud iudicem, præſertim talem virum ſordidiſſimum, qualem conſtaret fuiſſe Stalenum: ipſamque pecuniam ſuſpitioſam reddit ex numero minime ad conciliationem gratiæ, ſed aptiſſime ad corrumpendum tot iudices comparato.

ATENIM iudicia facta permulta, &c.) Pergit Cicero confutando quæ fuerant ab aduerſariis allegata, contra Cluentium, nempe iudicia facta de hac re: & ſic per locum à iudicato cauſam eorum artificioſe confutat. & quia locus à iudicato proprius eſt conſtitutionis iuridicialis abſolutæ, dicendum eſt quod iſta cōfirmationis pars, quæ per huiuſmodi locum innuitur, in iuridiciali abſoluta conſtitutione verſatur, quæ ſic in cauſam hanc incidit. Intenderet enim aduerſarius iure contra Cluentium iudicatum eſſe debere: Cicero pro Cluentio ſic depellit, iure contra Cluentium iudicatum eſſe non poſſe. Omnia illa iudicia qualia fuerint excutit, & monſtrat non fuiſſe iudicia, vel Cluentio non obeſſe. & primo iudiciū, quo C. Iuni⁹ dānatus eſt, labefactat Cicero per locum à conſuetudine, & lege: cum id oſtendit non lege & more ſeu conſuetudine fuiſſe tractatum: ſed vi & tempeſtate Tribunitia fuiſſe confectum. Præterea ſi ex lege ſubſortitionis fuit ille damnatus, non eſſe cum Cluentii cauſa coniūctum. Deinde labefactat, & per locum à iudicato adductum per aduerſarios contra Cluentium, ex damnatione aliquorum iudicum qui Oppianicum condemnarant, oſtēdens illa iudicia nihil ad cauſam Cluentii pertinere. Deinde arguit per locum à iudicato Cluentium non corrupiſſe iudicium, cum facit mentionem de illo iudicio, quo fuit Falcula iudicatus, gratis Oppianicum condemnaſſe, & ex Falculæ iudicio ſimilitudinem ad reliquos iudices trahit. Et hoc loco de induſtria, quod negari non poſſet, interrogans hoc modo, Dixit ne tandem cauſam C. Fidiculanus Falcula, figurate vſus eſt ardentiore prolatione, & ſpeciem maioris ſecuritatis exhibuit, quam ſi ſine interrogatione protuliſſet. Deinde locum à iudicato per aduerſarios adductum de exiſtimatione litis P. Septimio Scæuolæ confutat per lo

NN

cum à cõsuetudine. Sequitur illud iudicium,&c.) Confutatis nonnullis forensibus iudiciis,confutat hac in parte cẽsoria,quæ contra Cluentium adferebant.Primo ergo confutat illum aduersariorum locum à iudicato censorio per locum à consuetudine, & more maiorum,cum dicit maiores nunquam authoritatem censoriam, vt rem iudicatam obseruasse. & illud probat exemplis institutisq; maiorum.& nota quod in probationib.huius partis multa fungũtur proœmii vice,vt Quintilianus testatur, & ipse oratiõis cõtextus.

Quare qui vobis in mentem &c.) Hic ponit Epilogum huius partis confutationis qua censoria iudicia confutauit.

Quare cum ita sint,&c.) Pergit confutando iudicia illa censoria:non standum illis esse demonstrat per locum à bono & æquo,cum ostẽdit non pertinere ad communem vtilitatem tantam potestatem Censoribus dari,vt regiam licẽtiam quodammodo cõsequantur.quod fieret si suis scriptionibus,vt rei iudicatæ staretur, &c. Deinde ostendit quod si rei virtuti est standum,& non iudiciis Censorum, Oppianicus suspitiosus esse debet,Cluentius vero nõ.Et facit hoc locis coniecturalibus breuiter,& artificiose,quasi in Epilogum contractis.Deinde iterum labefactat iudicia censoria per locum à consuetudine maiorum, per aliqua eorum exempla couenientia. Vnum est quod de me maxime,&c.) Quod obiectũ erat de testamẽto Egnatii,Cicero hac ĩ parte cõfutat eleganti quodam & artificioso argumento,ostendens in accusatione aduersarii duo esse inter se ipsa pugnãtia:quod inuenire (ait Quintilianus) artificii est. fecit autẽ egregie hoc loco demonstrans cẽsoriam notã, & Egnatii testamentum, quibus duobus nihil magis Cluentio erat aduersum,inter se pugnare cum dicit, Sed Acci consideres censeo diligenter vtrum Cẽsorum iudicium graue velis esse,an Egnatii.

At enim Senatus vniuersus,&c.) Quia aduersarii arguebant contra Cluentium per locum à iudicato, Senatus iudicium allegantes,locum hunc Cicero confutat egregie ostendẽs Senatũ per cõditionẽ iudicasse,& per eũdẽ locũ à iudicato demõstrat,quod tũc iudicauit per furorẽ populi,cũ fuerit postea recisum,& volũtate populi quod fecit repudiatum.

EST ETIAM RELIQVA permagna authoritas,&c.) Quia inter cætera iudicata, Ciceronis ipsius adferebatur authoritas contra Cluentium, obiectionem illam Cicero, vt vides, conuellit egregie. Nūc quoniam ad omnia quæ ab se dicta sunt) Postquam Cicero maiora & inuidiosiora superius magna arte, & incredibili purgauit industria, hic (vt ait Martianus) coniecturæ partibus expeditis, ad perscriptionem legis accedit ordine videlicet commutato, si Cluētium legis adsertione defenderet, fugere causam ne diffidentia videretur. Itaque ne videatur Cluentius non causa & re, sed lege confidere, causam ex lege sic agit, hic Cicero, vt videatur non agere ex opinione Cluentii, vt ait Quintilianus libro quarto de partitione, Quædam interim nos inuitis litigatoribus simulandum est dicere, quod Cicero pro Cluētio facit contra iudiciariā legem. Sed videndum in qua causæ constitutione versatur hæc pars. & cum agatur hæc quæstio ex sententia legis & scripto, quia aduersarii velint legis sententiam trahere ad omnes ciues Romanos, Cicero vero persistat in scripto legis quæ loquitur solum de hominibus ordinis senatorii, vt apparet in cōtextu orationis, dicēdū est esse constitutionē legitimam ex scripto, & sententia. Itaque videamus, vt hic Cicero causam confirmauit ex locis constitutionis illius vt fieri docet in arte. Primo enim ostendens non secundum opinionem T. Accii causam agere ex lege, sed ex re ipsa, & quod hoc fecit voluntate Cluentii, qui non velit lege defendi, adducit locum illum communem à scripto, dicendum iudicium id si in ea ciuitate quæ legibus vtatur, agatur. Dehinc locum hunc multa ratione, & exemplo confirmat. Deinde, vt debet ex arte, vtitur illa crebra legis recitatione, & sententiam legis repetit, & ostendit id quod scriptum est dilucide, breuiter, commode, & perfecte scriptum esse, nec alligare Cluentium. Deinde ostendit quod periculosum sit, & indignum à lege recedere, cum dicit Cluentium non recusaturum, quantum ad ipsum attinet, quin ea lege rationem vitæ suæ reddat: & tamen iudices deprecatur, vt quoniam

à legibus omnia commoda ſua obtinent atque ſalutem, à legibus non recedant, quaſi per hoc velit innuere ea quæ per leges obtinent ſi ab eis receſſerint amittenda fore. & admonet quam ſit indignum, populum liberum & ſolutum per paucos iudices nouis legibus alligari. Deinde eam ſententiam à T. Accio excogitatam, & ſcripto attributam contemnit, & infirmat cũ T. Acciũ ſic agere cauſam dicit, ridendo eũ quod vt bonus diſcretusque adoleſcens velit intelligi omnes ciues ea lege teneri. Deinde oſtẽdit iterum quam periculoſum ſit à lege recedere, cum dicit videre ſe quanta, & quam periculoſa, & quam infinita quæſtio tẽtetur ab accuſatoribus, cum eam legem quæ in ſenatorio ordine ſcripta ſit, P. R. transferre conetur. Deinde iterum lege recitata ſententiam eius aperit, & quod inconueniẽs ex huius legis violatione ſequatur, cum oſtẽdit periculum eſſe paratum T. Accio authore, omnibus, qui de plebe Romana vnquam dixerint teſtimoniũ. Deinde quid iudicem ſequi cõueniat, late pulcherrimeque demonſtrat contra id quod T. Accius dixit, non oportere iudicem legibus eſſe deuinctũ. Quibus quidem locis docet in arte agere eum, qui cauſam à ſcripto defendit, vt ipſe hac orationis parte. Quibus de rebus mihi pro Cluẽtio.) Poſtquam Cicero in conſtitutione legitima & ſcripto, & ſententia demõſtrauerit Cluentium non teneri, hic ad confutãdum alia obiecta progreditur, quæ pars arte multa non indiget. fere enim tota negatur, & per eam magis obiecta in vitam quam in cauſam Cluentii confutatur. Habetis iudices, qui in totam vitam &c.) Cum Cicero late ſupra cauſam egerit Cluentianã, pro purgatione criminis, de corruptione iudicii, nunc eandẽ agere incipit per purgationem criminũ veneficii obiectorũ Cluẽtio. Itaque pars hæc cõfutationis & cauſæ principalis verſatur in conſtitutione coniecturali, quæ eſt in hac cauſa, vt ſupra dictum. Confutat ergo primum veneficii crimen obiectum, per locum à teſtibus per L. Plectorii ſenatoris teſtimonium, eũque ſumma fide, & virtute præditum eſſe oſtendit: ſic vt propter authoritatem & certiſſimã rei notitiam ſibi habendam fidẽ velit intelligi. Deinde hoc ipſum crimen confutat per locum à probabili cauſa, cũ

nullum cõmodum hæreditatis defuncti ad Cluentium venisse demonstrat. Alterum veneficii crimen &c.) Confutatio altera,qua veneficii crimen confutat hac in parte secundum quo arguebatur Cluentius adolescentem Oppianicum veneno tollere voluisse,& primo confutat per locum à probabili causa,cum demonstrat nullam huius criminis causam fuisse Cluentio,aut incõmodorũ vitatione, aut com modorũ appetitione.Deinde per locum à signo per interro gationem,demonstrans idoneam perficiendi facultatem in nuptiis non esse quæsitam ex tẽpore,& ex frequentia.Deinde negat quem intercepisse dicebant, subito mortuum esse, qui quidem locus pura negatione sat valet (vt ait Quintilianus)siq; erit palam quid falsum negare satis est,vt pro Cluen tio Cicero.Cũque dixerat accusator,Epoto poculo cõcidisse, negat eo die mortuum eum, &c. Deinde mendacium confutat per locum à testibus,cum testimonium patris defuncti adolescentis adducit,qui pater si quid fuisset suspitiosum accusare Cluentium verisimiliter debuisset Vnum etiam mihi reliquum, &c.) Tertii criminis veneficii confutatio, quo arguebatur Cluentius,damnatum Oppianicum veneno per M. Asellium sustulisse. & cõfutat primo per locum à probabili causa,cum nullam fuisse demonstrat, vt Cluentius mortuum Oppianicum vellet, aut incommodorum vitatione, aut commodorum appetitione: cum esset iam talis Oppianicus, qui obesse non posset, & cuius vita miserrima Cluentium ledere deberet. Deinde confutat per locum à signo, cum ostendit idoneam perficiendi facultatem non esse quæsitam, tum ratione ministri,quem dicebant fuisse M. Asellium, Oppianico quam Cluentio amiciorem: tum ratione modi veneficii, cum datum in pane venenum dicerent, quod ostendit fuisse difficile,vel non ita facile sicut in poculo. Deinde Oppianici morte narrata, vt demonstraret non fuisse, quod aduersarii dixerant repentinam in matrem Cluentii vxorem Oppianici Sassiam suspitione retorta, per locum à testibus, quæ ex testimonio serui Stratonis adduxerant, multa ratione confutat.

CONCLVSIO.

QVOD HOC PORTENTVM dii immortales,&c.)Cum Cicero iã dixisset omnia vitæ pericula a matre contra Cluentium comparata,nunc ad finem orationis id repetit,& concludens vtitur artificiose locis amplificationis, per locum communẽ ad attentionem auditorum,cum ostendit matrem illam non vulgare, sed singulare esse monstrum,atque portentum:& enumeratione quadã vtitur multorum quæ antedixit, & in amplificatione persistens ostendit scelus veneficii Fabriciani consilio matris ordinatum. Cæterum quia finem determinatum, & certum huius orationis habere non potui, plura de conclusione non dicam: nihilominus quia descendere videtur ad finem orata iã causa, & pars hæc locis nititur amplificationis, in quibus, vt fere materia sæpe ab oratore concluditur, partem hanc pro orationis conclusione signemus.

DE ELOCVTIONE.

VLTIMVM est vt de reliqua parte Rhetoricæ,videlicet de orationis Elocutione,videamus:de qua plane per omnia sic dicendum hic, vt supra est dictum in Pompeiana,similiterque de exornationibus perscrutandum.

COLORES.

DOMINETVR in concionibus, iaceat in iudiciis.) Dissolutum est. Et sine inuidia culpa plectatur,& sine culpa, &c.) Commutatio est. Si eam ratio conuellit, &c.) Repetitio est. Portum atque perfugium futurum, &c.) Tralatio est. Nephariis iniuriis,quotidianis insidiis &c.)Articulus est. Virtute,existimatione,nobilitate,&c.) Articulus est. Mater inquam appellabatur, &c.) Conduplicatio est. Tu illa egregia,& præclara mater,&c.)Permutatio ex contrario,conuenit cum tropo,qui dicitur Allegoria.

O mulieris scelus incredibile,&c.)Exclamatio.Item repetitio. Familiæ,cognationis,nominis, &c.) Articulus est.

Mulier audax,pecuniosa, &c.) Articulus est. Instituit oratores,&c.) Dissolutum est. Vt negotiũ susceperũt adolescentem inuestiga.&c.) Dissolutũ est. Nunquam se iudiciis, nũquam se legibus,&c.) Repetitio est. Cum armatis

aduolauit,quatuor viros quos municipes fecerant ſubſtulit, &c.) Diſſolutum eſt. Si tamen vtriuſque humanitatem conſtantiámque cognoſcit,&c.)Permutatio eſt ex cõtrario.

Illa autem non admiratur audaciam, &c.) Diuiſio eſt.

Itaque cæteri propter liberos,&c.) Contentio ſententiarum eſt. Auditis non inimico,&c.) Repetitio eſt. Audiebant verba multorum teſtium,&c.) Repetitio eſt. Et quis cũ hæc cognouerit,&c. Interrogatio grauis & cõcinna.

Quæ ſpecie parentis memoriam nominis,&c. Articulus eſt. Quid de Oppianico ſuſpicatum ſit videtis,&c. Trãſitio eſt vſque ad illum locum,Vt illum magnum,&c. Nõ ille honorem à prouincia,&c.) Repetitio eſt. Itaque rem cum Oppianico tranſigit,&c. Diſſolutum eſt. Rem conficit prima propoſitione.Diſſolutum eſt. Nemo rem vllã contrahebat &c. Repetitio eſt. Omnes aſpernabantur,omnes abhorrebant &c.Repetitio eſt. Pro loco,pro antiquitate generis,&c.Repetitio eſt. Erat ipſe immani acerbáque natura,& Oppianici,&c.Diſſolutum eſt. Sermonẽ Fabritii non eſt aſpernatus,& Oppianici,&c.Diſſolutũ eſt.

Prò dii immortales Oppianicum,&c. Exclamatio eſt.

Quis vnquam audacior,quis nocẽtior,&c.Repetitio eſt.

Satis arbitror demonſtratum &c. Trãſitio eſt. Timor eius,perturbatio,&c. Aperiebatur cauſa inſidiarum,&c. Diſſolutum eſt. Sic pugnaui, ſic omni ratione contendi, &c.Repetitio eſt. Aderat frequens,aduocabat,&c. Diſſolutum eſt. Citatur reus,agitur cauſa,&c. Diſſolutum eſt.

Erigebat animum iam demiſſum,&c.Diſſolutum eſt.

Reſpicite iudices hominum fortunas,&c. Repetitio eſt.

An vero illi ſua per ſe ipſi iudicia,&c.Cõtrariũ eſt vſq; ad locum illum,Tum vero illa iudicia. Quid enim tandem illi iudices reſpõderẽt,ſi quis,&c. Poteſt dici eſſe hic Ratiocinatio,ſi interrogatiões,& reſpõſiones hic poſitas attribuamus eidẽ. Quis tãtã turpitudinẽ,&c.Repetitio eſt. Quod ſi hoc videtis quidẽ iã,ac omni ratiõe.Cõcluſio. Extat memoria,ſũt tabulæ,&c.Hic eſt diſſolutũ. Atq; ego illa nõ argumẽtabor,&c.Occupatio eſt. Eũ corrupiſſe qui in periculo fuerit,&c.Repetitio eſt. Negate,negate inquam,&c.

Conduplicatio eſt. Ad hominis agentis,audacis,&c.)Articulus eſt. Ad excogitãdum accuratiſſimi. Similiter cadés.

Et duobus iugulatum præiudiciis &c.)Tralatio eſt. Cũ eſſet egens,ſumptuoſus,&c.) Articulus eſt. Audax,callidus,&c. Articulus eſt. Qui illum veſtrum innocenté,&c. Permutatio eſt ex contrario dicta. Verſatam eſſe in iudicio mentionem pecuniæ,&c. Diſſolutum eſt. Ité ſimiliter deſinens. vt membrorum eſt comparatio, conuenit cum colore: vt comparat,cum Rhythmo. Atq; in flammam recẽtem,&c.)Tralatio eſt. Sed clamore hominum de foro,atque adeo de ciuitate &c.)Correctio eſt. Quis tamen auderet dicere nocentem, &c.) Repetitio eſt. Item Contentio ſententiarum. Quam dies mitigauit, &c.) Diſſolutũ eſt.

Agitis,tractatis,inquiritis,&c.) Diſſolutum eſt. Quid Albiana pecunia,&c.) Translatio eſt. Tenetur vno loco, &c. Repetitio eſt. Item Diſſolutũ. Quàre cum iſtinc cauſa corrumpendi iudicii,iſtinc pecunia,&c.) Repetitio eſt.

Alieniſſimum,ſordidiſſimum,&c.) Articulus eſt. Præter inuidiam errorem ſuſpitionem,&c. Articulus eſt. Maximis opibus,cognatis,adfinibus,&c.) Articulus eſt. Modeſtus,prudens,&c.) Articulus eſt. Non fuit illud iudicium iudicii ſimile,non fuit, Conduplicatio eſt. Nõ modus eſt habitus,nõ mos,&c.)Repetitio eſt. Quod homo nequam temporis, &c.) Articulus eſt. Non dico hoc tẽpore iudices,&c.)Occupatio eſt. Exagitabantur oẽs eius fraudes atque fallaciæ,&c.)Diſſolutum eſt. O innocentiã Oppianici ſingularem,&c.) Exclamatio eſt. Item permutatio ex contrario. Iniqua flãma,turbuléta &c.) Articulus eſt.

Aut hoc iudiciũ reprehẽdas,tu cuius accuſatio, &c.)Diuiſio eſt,& magis in vigore ſententiæ propria, q̃ in prolatione verborũ. Alia lege,certis criminibus,plurimis teſtibus,&c. Articulus eſt. C.Seia cum L.Metello,& Cn.Domitio.&c. Exemplum eſt. Vtrum quia cenſores ſcripſerint ita ſit,an quia ita fuerit illi ſubſcripſerint, &c.) Communicatio eſt. Sin ideo quia ſubſcripſerint.) Diuiſio eſt. Remouent authoritates cenſoriæ,&c.)Diſſolutum eſt. Docet quam pecuniam Cluentius dederit,quemadmodum dederit, & hic eſt

color,qui Conuersio nominatur,repetendo, cum ad extremum continenter reuertitur.Cōuenit cum schemate,quod Anadyplosis dicitur. Cum vero eum fuisse Oppianicum constabit,&c.)Frequētatio est. Qui tabulas publicas,&c. Repetitio est. Nihil se testibus, nihil tabulis,&c.Repetitio. Non vtique exemplorum copiam. Repetitio est.

Nuper hominem tenuem. Exemplum est. De huius pudore,integritate,virtute. Articulus est. Non in exemplum summi, & clarissimi P.Africani.Exemplum est. Sed tu Acci consideres censeo diligenter, vtrum Censorum iudicium &c. Dissolutum est. Cum tunc populus cum populo cōcitato.Repetitio est. Vt mare quod sua natura trāquillum,&c.Similitudo est. Hoc enim vinculum est huius dignitatis,Similiter cadens. Vt corpora nostra sine mente, &c.Similitudo breuis & aperta.Item sententia est. Legū ministri magistratus,&c. Repetitio est. Quod M. Plectorii,'quod C.Flaminii.Exemplum est in pluribus.Item repetitio. Omnes viri,mulieres,liberi,serui,&c.)Articulus est.

Itaque abiicio legem,morem Cluentio gero,&c.) Dissolutum est. Quoniam omnia commoda nostra,iura, libertatem,&c.Articulus est. Etiā sis inuidiosus,aut multū offensus,&c.) Repetitio est. Est enim sapienter &c. Sententia est. Sed hic in consilio legem,religionem,æquitatem,&c. Articulus est. Habetis iudices totam vitam de moribus Cluentii,&c.)Transitio est. Apud hūc illæ Romæ habitauit,&c.Dissolutum est. Pater,pater inquam illius adolescentis, Conduplicatio est. Sed homines: inimicos suos morte adfici volunt,&c. Diuisio est. Damnati,exules,deserti,&c. Articulus est. Nemo recipere tecto,&c. Repetitio est. Post mortem eius Sassia nefaria mulier,&c. Dissolutum est. Ex omnibus seruis Stratonem illum dilexerat, &c) Dissolutū est. Tu periculū capitis,&c.) Repetitio est.

Voluerit,optauerit,&c.) Articulus est. Mitto illam primam libidinis iniuriam.Occupatio est.Item Repetitio.Itē Dissolutū. Itaque apud cæteros nouis inter propinquos. Contentio sententiarum est. Cæteri nouis adfinitatibus. Contentio sententiarum est.

OO

ARGVMENTVM ORATIONIS PRO P. QVINTIO.

C. QVINTIVS ET SEXTVS Næuius Romani ciues societatem inierũt certarum rerum,quas in Gallia possidebant. Quintii stante illa societate defuncti hæreditas venit ad P. Quintium fratrem suũ. qui P. Quintius cum vellet rationem societatis inire cum Næuio,à quo fuerat præter spem de promissa quadam pecunia destitutus,magna cum fraude circũuẽtus à Næuio est. Nã cũ inter se de ratione pecuniaria litigarent,fuissentq; de communi voluntate vadimonia dissoluta, & Quintius iter cepisset in Galliã, Næuius à Prætore postulauit, vt sibi ex Prætoris edicto bona Quintii possidere liceret, quia deseruisset sibi vadimonium Quintius:quod Næuio Prætor iniuste concessit,Alpheno procuratore causam Quintii defendente.Fuit etiam Quintius ipse,quamprimum in Galliam venit,eiectus per vim manu seruorum communium à fundo Gallicano.Volebat igitur Næuius bona Quintii tenere & possidere,& in ipsis ius suum esse dicebat,quia per xxx dies possideret ex Prætoris edicto.causam autem Næuii Q. Hortensius,& L.Philippus multo cum fauore defendebãt: contra quos Cicero pro P.Quintio perorauit hac elegantissima oratione.

GENVS CAVSAE.

HAEC ORATIO est in iuridiciali genere constituta.habet enim petitionem cum defensione.petebat Næuius bona P.Quintii retinere tanquam ex Prætoris edicto possessa,& à postulatione Quintii à Cicerone hac oratione defenditur.Demõstratiuum quoque in laude Quintii & vituperatione Næuii incidit.Nam refertur ad principale propositum defensionis.

CONSTITVTIO CAVSAE.

HAC in cã Næuius se iure fecisse quod ĩ bonis Quintii fecerat adserebat:contra vero Quintius non iure,sed iniuria

fecisse dicebat: nec defensionem extraneã Næuius adsumebat. Nã ratio illa deserti vadimonii per quam causam fundabat Næuius,non dici debet defensio extranea,sed potius ratio causæ. Nisi enim sic esset in omnibus similibus causis nulla esset cõstitutio iuridicialis absoluta. sed esset qualibet adsumptiua,si ratio quæcũque defensio diceretur extranea. non autem est defensio extranea,nisi aut per concessionem, & sub ea præsertim purgatione. Nam deprecatio nõ proprie defensio dici potest,aut per remotionẽ criminis, aut translationem criminis, aut comparationem. hæ quidẽ solæ sunt defensiones extraneæ,reliquæ vero rationes quæ ab oratoribus adducũtur ad causas diuersarum constitutionũ rationes proprie causarum appellari conuenit, & huiusmodi deserti vadimonii adducta per Næuium propria ratio causæ suæ, non extranea à defensione.quod cum ita sit,cũ videlicet confessio facti sit,& adsertio iure facti, quia Næuius confitetur se in bona Quintii prætoris edicto immissum, & adserebat iure immissum sine adsumptione defensionis extraneæ, Quintius vero id iniuria factũ dicit, manifestum est, quod constitutio causæ in qua hæc habetur oratio, est absoluta iuridicialis.in qua quæri conuenit(vt ait Cicero) iure ne sit factum, vt in hac causa,& quæstione Quintiana sit.

DE RHETORICAE partibus.

DE INVENTIONE memoria pronũciatione hic est dicẽdum,vt supra in Põpeiana est dictum.sed Dispositio hic in partibus orationis ab institutione artis profecta; primo cõponit exordium, deinde narrationem, deinde diuisionem, deinde simul confirmationem, & confutationẽ: quarũ duarum partium adiunctione dici mutata non debet dispositio naturalis.raro enim contingit,vt vnã sine altera ponamus.sunt enim loci vtriusque fere iidem,hoc differentes,quod in altera parte adseueratione firmãtur,in altera dissolutione tolluntur.deinde ponit Epilogum orationis.

EXORDIVM.

QVAE DVAE RES &c.) Hic incipit orationis exordiũ, pro cuius disquisitione primo genus causæ cõsiderandũ,quod dicimus dubiũ esse.ante enim rẽ vltimo iudicio iu

dicatam, licet appareat Cicero defendere quod videatur ab omnibus defendendum,& oppugnare quod videatur ab omnibus oppugnandum,dici tamen debet dubiũ genus causæ cum præsertim & honesti viri Q. Hortensius & L.Philippus defendebant Næuium, & Næuius ipsa prætoria authoritate possidere se dicat.In dubio itaque causæ genere, vt ex arte debuit,iudices studet hoc exordio causæ suæ beneuolos comparare. primo enim beneuolentiam captat à persona aduersariorum,eos trahendo in inuidiam,cum prærogatiuas ipsorum late commemorat, tum ex parte eloquentiæ Neuianæ:& sua detrimenta extenuat, tum ex parte angusti temporis,quod sit arctatus in causæ cognitione.quibus sane de rebus postulat merito,vt verba sua audiant,qua mente iudices, vt veritas debilitata æquitate ipsorum comparans recreetur,per hoc à persona iudicum sibi beneuolentiam. Deinde pulcherrime ab aduersariorum potentia,cõpellando iudices quod nullo fuisse præsidio videantur cõtra vim, & gratiam solitudini atque inopiæ. à persona vero sua,indicando paupertatem,solitudinem,atque inopiam. Deinde beneuolentiam captat à persona iudicum, cum excusando metum Quintii dicit, C. Aquilio præposito iudice non venire sibi in dubium fidem eius atque constantiam, & reliquos iudices appellat electissimos ciuitatis. In quibus habere summã spem Quintiũ confitetur. Deinde à persona aduersariorum, ipsos in inuidiam trahendo cum dicit Sextum Næuiũ aduersarium verbo esse,re vera homines potentissimos, atque honestissimos ciuitatis:vt velit Cicero manifesto iudicibus apparere his adiumentis Næuium magis quàm veritate cõfidere.Deinde captat beneuolentiam à persona Quintii,eius incommoda proferendo,cum ostẽdit iniuriam factã Quintio,eo quod orator ipsum defendens cogatur primo loco dicere: & alia refert detrimenta, quibus iudicatis simul ostendit Quintium in aliis spem non habere, quam in C. Aquilio,cæterisque iudicibus illius causæ, cum ipsum adflictum & adfectum malis dicit ad eius fidem misericordiamque cõfugere, cum sibi non fuerit adhuc æquus magistratus, aut agendi par potestas.simulque orat iudices, vt agitatam æqui

tatem illo in iudicio consistere patiantur. in qua quidem vltima particula captare videtur beneuolentiam etiã ab ipsorum iudicum Persona, cum innuit in eis solam spem obtinendæ iustitiæ remansisse. Verum pro maiori nisus est in hoc exordio aduersarios reddere inuidiosos. Sic de hoc exordio breuiter dictum sit.

NARRATIO.

C. QVINTIVS &c.) Hæc est narratio, in qua quidem nihil non trahit ad vtilitatem suam Cicero causa vincendi, vt est facile in oratione videre. & est breuis, dilucida, & verisimilis. Incipit autẽ à societate contracta, per C. Quintium & Næuium, cuius necessaria notitia erat, vsque ad hoc iudicium C. Aquilii, in ea causa constitutum.

DIVISIO.

VERVM quoniã tibi instãt, &c.) Hæc est diuisio, qua exponit breuiter & absolute quid ipse acturus sit, causam nõ fuisse, cur à Prætore Næuius postularet, vt bona P. Quintii possideret. Deinde ipsum ex edicto possidere non potuisse. Postremo non possedisse. Hic enim terminus totius est orationis, & vt ipse testatur, hos ipse sibi circũdedit cãcellos, ne extra hos euagaretur oratio. Partes enim expositiõis generales sunt termini dicẽdorum, sub quarum partium vnaquaq; plures quæstiones possunt contineri. Nam si omnes explicarentur in partitione, auerterẽt animos auditorum à causa. vt enim ait Martianus, talis esse debet partitio, vt singulæ partes eius plurimas in se quæstiones cõtineãt. Nã si fuerit per incidẽtes quæstiunculas deriuata, eneruabitur ipsa partitio. etiã ex hoc reddẽt iudices rerum copiã fugiẽdã. ideo Tullius in Quintiana sic partitus est, vt singula capita plures quæstionũ articulos cõtinerẽt. & primo istud, non fuisse causam postulãdæ proscriptionis, vide quãta cõtineat, quod pecunia debita Sexto Næuio nõ fuerit, & aliter agi oportuerit: quod Quintius vadimodiũ non deseruit, secundum quod ex edicto possidere non potuerit: quod & procuratorem habuerit, & absens defensus sit, & non latitauerit, & cæteri creditores Quintii sint: & quod ante missum fuit, vt fundo communi expelleretur, quã proscriptio eius imperaretur. Hæc ille. Vti-

tur etiam enumeratione, cum dicit, nego fuisse causam cur postularet, nego ex edicto possidere potuisse, nego possedisse. Hæc tria cum docueris, perorato. & hæc cōnumeratio, vt de bet ex arte, non plus quam tria continet, vt vides, quod ait Martianus. Animaduertis corpus orationis totius per hæc tria lineamenta digestum esse.

CONFIRMATIO & confutatio coniuncta.

NON FVIT causa &c.) Hic est confirmatio cum confutatione quas hac oratione coniunxit, quia ipsæ natura coniunctæ sunt, vnde cum de vtraque permixtim tractauit in arte, & etiam talem modū causa ista poscebat, in qua nūc vt actor improperat acta per Næuium, nunc vt reus Næuianas fallacias repellit à Quintio, modum etiā hūc agendi omnes defendentium orationes patiuntur: sed videamus vt hanc narrauit partem per locos suæ constitutionis, iuridicialis absolutæ. primo enim vide primam expositionis partē, non fuisse causam cur Næuius postularet, per locum à causa causam omnino fuisse nullam, quia debitum non fuisse: debitum vero non fuisse necesse est, demonstrat per coniunctu rales locos. Vnde hac in parte coincidit coniectura in qua subtili argumentatione versatur per locum ab argumento, demonstrans non debuisse Quintium Næuio, qui in certa petendi occasione non petiit, nec vllius vnquam debiti verbum fecit, & quæ contra, vel à Næuio dicebantur, vel dici potuissent multa ratione confutat. deinde ad Aquilium ver sus, & subito pòst Hortensium postulans, vt de re pecuniaria iudicium ante fiat sine periculo fortunarum, confutat id quod Næuius dicere videbatur, Immo inquit abs te satis accipiam: & confutat per locum à bono & æquo, cum satisdationem illam innuit esse iniquā qua satisdet Quintius. Næuius vero non interrogatiue dicens, Quis tādem nobis ista iura tam æqua describit, quis hic statuit quod æquum sit in Quintium, id iniquum esse in Næuium? deinde iterum se conuertit ad probandum non fuisse causam cur postularet, quia non fuit debitum, & hoc efficaci arguit ratione.

Quod si debuisset, &c.) Postquam supra Cicero primam illam dispositionis partem confirmauit, ostendens nil

Næuio Quintium debuisse,& hæc per coniecturam demõstrando : nũc prosequitur partem eãdem dispositionis, eam non fuisse causam cur Næuius postularet,vt bona Quintii possideret,confirmando per locos proprios principalis con stitutionis in causa,quæ est iuridicialis absoluta . Nam etsi debuisset Quintius Næuio , & quod vt Næuius adserebat, sanctum sibi fecisset vadimonium , arguit nõ fuisse causam, vt Næuius postularet,&c.Et arguit per locum à iure naturæ,cum demonstrat quanta fuerit eius impietas in socium, & adfinem,sic vt cum multis rationibus ostendat ius naturæ violare non debuisse,quod ius aut cognationis , aut pietatis causa obseruatur.hoc ergo iure demonstrat non fuisse causam Næuio,cur postularet.Quod idem arguit etiam per locum à consuetudine,quid in causa simili boni viri facere consueuerãt,quia omnia prius experiri malunt,quam ad illud extremum auxilium deuenire.Ad finem vero partis huius confirmatoriæ argumentum efficacissimum reseruauit, ex arte,vt scilicet meliora in principio , & fine collocentur, mediocria & non tantũ vtilia per mediũ dispergantur: hoc vtique argumẽtum huius partis in fine collocauit,quod est, eo die quo Næuius dicit vadimonium esse factũ,Quintius adserat se probare eo die non fuisse Romæ. quo argumento merito debeat iudices commouere,vt eos vehementius accendat,sibiq; conciliet elegantissime exaggerando materiã. Quintianam petitionem iustissimam ponit in fine. Docui quod pollicitus sum &c.) Epilogus confirmationis antehabitæ. Attende nunc ex edicto,&c.) Confirmata prima dispositionis siue enumerationis parte,superest hic reliquũ confirmare quod sequitur.Intendit itaq; mõstrare Sex. Næuium P.Quintii bona nullo modo possidere, quod arguit per locũ à lege,cũ legem tractat edicti Prætorii,ostẽdẽs in eo edicto P.Quintium non posse comprehẽdi,& per cõsequẽs ex eo edicto bona eius possidere non potuisse. Deinde quod Næuius adserebat Quintiũ iudicio nõ fuisse defensum,& idcirco Prætoris edicto bona eius legitime possideri cõfutat Cicero,& mõstrat Quintiũ ab Alpheno procuratore fuisse defensũ,& per cõsequẽs Prætoris edicto bona sua

non esse possessa. quod totum trahitur ex loco à lege, cũ liquido demonstratur legem edicti prætorii Quintio nõ obesse, cum fuerit ab Alpheno defensus, & quæ de appellatiõe Tribunorum, & obiectione potentiæ illorũ obiiciebat Næuius. Confutat Cicero, vt defensus Quintius videatur, & sic edicto prætorio ipsum offendi non posse. Deinde improperat factum Næuii per locum à iure naturæ, quòd adfinis, & socius id fecisse dicatur, quod alienissimus nemo fecit. Deinde arguit per locum à cõsuetudine, siue lege Romana, edicto Prætoris, Næuium nõ possedisse, cum arguatur nõ probasse per testes sibi vadimonium fuisse desertũ, & reliqua, quæ lex siue consuetudo requirit, vt latitationem absentis, & fraudem. Deinde ostendit ex testimonio ipsius Næuii se non possedisse. Deinde diserte pertractat efficacissimum argumentum, quo ostenditur non edicto, sed vi Quintiũ esse deiectum, aut nuncium vnum biduo septingenta passuum millia cõfecisse. quod cũ sit impossibile, restat vt Quintius sit vi deiectus. Deinde rediẽs ad edictum, arguit non possedisse Næuium. & arguit per locum à lege cum ostendit ipsum non obseruasse legem edicti, qui è fundo dominum vi detrusit. & sic ipsum omnia non iure, sed iniuria fecisse demonstrat: qui cum posset ad suum venire facilius, si quid ei debitum fuisset à Quintio, omnia potius difficillima iudicia prætentauit.

EPILOGVS.

OSTENDI quam multa, &c.) Postquam Cicero supra late disseruit confirmando & confutando, hic descendit ad constitutiones orationis, & primo est vsus Epilogo per enumerationem omniũ argumentorum ante factorum. per quam enumerationem summa cum arte colligit ea de quibus verba fecerit argumenta, ita breuiter, vt res noua, & non renouata oratio visa sit. & ordine quicquid dictum erat, ex arte retulit.

CONCLVSIO EX commiseratione.

NVNC causa perorata, &c.) Supra Cicero vsus est enumeratione, nunc vtitur conclusione, quæ constat ex cõmiseratione, & calamitate Quintii, iudices vt commoueat,

ad misericordiam. & hoc agit artificiose ex locis commiserationis, qui ab ipso in arte tractantur.

DE ELOCVTIONE.

VLTIMVM est vt de elocutione orationis videamus, & de huius est similiter vt in præcedentibus exornationibus perscrutandum.

COLORES.

HOMINES disertissimos, fortissimos, &c.) Articulus est. Qui communi studio, summis opibus, &c. Articulus est. Ita fit, vt ego qui tela depellere, &c. Tralatio est. In tuam C. Aquili fidem, veritatem, misericordiam, &c. Articulus est. Nomen in ius, par non agendi potestas, &c. Repetitio est. Tollitur ab atriis Liciniis, &c. Dissolutũ est. Ibi cum vir optimus Sex. Næuius, &c. Permutatio est ex contrario. Authorem velle facere destitit, &c. Dissolutum est.

Quintius porro istũ posse facere videatur, &c. Dissolutum est. Tum iste vir optimus, &c. Permutatio est ex cõtrario.

Deteriore tempore absens auctionatum, &c. Dissolutum est. Disceditur, postulat, &c. Dissolutum est. Etenim si veritate, amicitia, fide, &c. Articulus est. Item conclusio.

Amicum, socium, adfinem, &c. Articulus est. Libellos Sex. Alphenus procurator, &c. Dissolutum est. Quintius interea contra ius, consuetudinem, &c. Articulus est. Venit Quintius Romam, vadimonium sistit, &c. Dissolutum est.

Bonorum possessor, expulsor, ereptor, &c. Articulus est.

Nihil petiit, quiescit cõditionibus, hunc quoad potest perducit, &c. Dissolutum est. Decernit, quam æquum nihil dico, &c. Significatio est per abscissionem. Recusabant qui aderant, &c. Dissolutum est. Sponsionem facere maluit, fecit, &c. Dissolutum est. Nego fuisse causam cur postularet, &c. Repetitio est. Non fuit causa cur postularet, &c. Ratiocinatio est. Quis tam dissolutus in re familiari, &c. Repetitio est. Certiorem faceret, appellaret, rationẽ adferret, &c. Dissolutum est. Quod viri optimi faciunt si quis vos, &c. Contrarium est. Ita credo hominem propinquum, tui obseruantem, virum bonum, &c. Articulus est. Homo

timidus virginali verecundia,&c. Permutatio ex contrario est. Si debuisset Sex. petisses,&c. Gradatio est. Cum hominem nomino, satis mihi videor dicere,&c. Significatio per ambiguum. Appellandi tempus non erat,&c. Subiectio est. Si negligentiam dicis mirabuntur,&c. Diuisio est. Quid hæc quo pertinet onus ad tuum,&c. Subiectio est. Possimus aliquando depositis armis,&c. Repetitio est. Qui inter tot annos re appellarit, quod Quintium, &c. Repetitio est. Nihil hoc tāto negotio,&c. Repetitio est. Potentes, diserti, nobiles omnes,&c. Articulus est. Minæ locentur, pericula intendantur,&c. Dissolutum est. Etenim mors honesta,&c. Commutatio est. Item Sētentia. Cum posset perdere, pepercisse,&c. Commutatio est. Domus eius, vxor, liberi. Commutatio est,& Articulus. Audacem, cupidum, perfidiosum,&c. Articulus est. Docui quod primum pollicitus sum,&c. Transitio est. Debere tibi dicis Quintium,&c. Dissolutum est. Credo aliquando eiectum,&c. Articulus est. Item permutatio ex contrario. Ingenio, vetustate, artificio,&c. Articulus est. Eloquentiam grauitate, honore,&c. Articulus est. Excellens, ingenio, nobilitate, existimatione,&c. Articulus est. Vnus fuit adfinis, socius, necessarius,&c. Articulus est. Vadimonium mihi deseruit fraudauit,&c. Dissolutum est. O rem incredibilem, o cupiditatem inconsideratam,&c. Exclamatio est. Est quædam tam perspicua virtus,&c. Sententia est. Quid hæc arma? quid hæc existimatio,&c. Repetitio est. Quid facias diffinit, te instituit, Dissolutum est. Eum ipsum qui fraudandi causa,&c. Repetitio est. Mitto illud dicere eū q nō latitauerit, Occupatio est. Cui Romæ domus vxor liberi procurator esset. Articulus est. Ostendi quam multa ante fieri, frequentatio est vsque ad locum illum nunc perorata prius huius inopia possit ad misericordiam,&c. Contentio est. Contra sibi officium fidem diligentiam,&c. Articulus est. Scilicet viuere enim,&c. Repetitio est. Ab ipso repudiatus &c. Hic est color Permissio, cum ostendit se Quintium tra-

dere, & permittere alterius potestati. Ne is cuius officio nemo vnquam. Repetitio est.

ARGVMENTVM OARATIONIS PRO L. FLACCO.

LVCIVS FLACCVS ciuis Romanus ex auditoribus Ciceronis, & defensoribus patriæ in coniuratione Catilinæ, fuit Prætor in Asia. & cum expleta Prætura è prouincia discessisset, Romamq; venisset, D. Lælius Flacci inimicus homines quosdam Asiaticos excitauit, vt Romam venirent ad accusandum L. Flaccum. qui vt venerunt, eum de variis auaritiæ criminibus accusauerũt: vt quod impẽsa inutili remigum onerasset ciuitates, & quod nõnullis indebitam prouincialibus ac Romanis pecuniam abstulisset. Huiusmodi itaque accusatus criminibus Flaccus, & Græcorum atque Asiaticorum quorũdam testimonio læsus, à Cicerone hac nobili oratione defenditur.

GENVS CAVSAE.

HAEC ORATIO EST in iuridiciali genere cõstituta. Habet enim accusationem cum defensione. Accusatus L. Flaccus à Lælio (Nam Græci & Asiatici magis testiũ quam accusatorum præ se spem ferunt) defenditur à Cicerone.

CONSTITVTIO CAVSAE.

CONSTITVTIO coniecturalis est. Nam fere omnia quæ Flacco obiecta sunt, per negationem simplicem depelluntur: alicubi tamen factum non negatur, sed iure factum dicitur: vnde constitutio tunc mutatur. variat enim cõstitutionem ista depulsio. sed per orationis partes omnia explicabuntur, & vnaquæque constitutio suo loco monstrabitur. Hoc tantũ dicatur in præsentia, quod in coniecturali constitutione principali fundatur oratio.

DE RHETORICAE partibus.

DE INVENTIONE memoria & pronũciatione hic est dicendum, vt supra est dictum in Pompeiana. sed videamus huius orationis dispositionem, quæ quidem hic est non ab institutione artis profecta', sed ad casum temporis oratoris iudicio accommodata. non enim nisi quatuor oratiõis partibus vsus est. Nam exordiũ ponit primo, deinde diuisionem, deinde confutationem, deinde conclusioné.

EXORDIVM.

CVM IN maximis periculis huius vrbis, &c.) Hic exordium cum oratione incipit, quod est ex arte accõmodatum. genus autem causæ est dubium, cum accusatio in Flaccum crimen auaritiæ videatur adferre, & exinde causa parté turpitudinis videri possit habere: altera vero parte sit summa honestas Flacci, & integritas patriæ iam cognita. Vnde genus causæ sit dubium, ante præsertim quam fuerit in causa vltimo iudicio iudicatum. Cum igitur dubium genus sit, esse debet exordium maxime beneuoléntiæ accommodatum vt á Cicerone factum est. Captat enim primo beneuoléntiam à persona Flacci & sua, qualis fuerit vterque in Rempublicã & in eos qui audiũt referendo, cum significat se cum L. Flacco simul in maximis vrbis Romæ periculis, in grauissimo atq; acerbissimo Reipublicæ casu cædé ab adiutoribus, cõiugibus, liberisq; suis, vastitaté à téplis delubris vrbe atq; Italia depulisse. per hoc dicens se sperasse potius honoris L. Flacci adiutorem futurum, quàm miseriarum deprecatorem. & ille etiam velut ex commemoratione insperati incommodi, cũ esset miseriarum deprecator hac in causa, nó adiutor bonorum iudices à sua persona beneuolos sibi facit. nã beneuoléntiã à nostra persona captabimus, si nostra incõmoda proferemus, postque etiam spectare ad incõmodi specié similemq; exordii rationem, quod dicit se existimasse si aliquando iudicium Flacco fuisset subeundum, multitudinis potius imperitæ, quàm hominum sapientissimorum fuisset subeundum, nec D. Lælium vnquam fuisse accusationem suscepturum. & huiusmodi spei suæ rationibus assignatis hac spe deceptum esse significat. Deinde iudices sibi facit dociles, & attentos,

cum petit vt cogitent ſtatum ciuitatis, memoriam temporũ præteritorum, ſalutem præſentium, ſpem reliquorum in ſuis ſentẽtiis, & in illo vno iudicio contineri oſtendens, quod ſi vnquam Reſpublica grauitatem iudicum implorauit, ſibi eo tempore potiſſimum imploraret, cum ſint ipſi non de Lydorum, Myſorum, aut Phrygum, ſed de ſua Republica, & cõmuni ſalute iudicaturi. itaque cum oſtẽdat quantum ſit res difficilis, & grauiſſima iudicanda, quãtumque ſpectet ad cõmunem ſalutem, & quantum ad Rempublicam pertineat, eos valde reddit attentos. Deinde etiam iudices beneuolos ſibi facit, oſtendens omnia alia reipublicæ ſubſidia cecidiſſe, & nihil ſpei pro ſalute ſeruanda niſi in ipſis in vniuerſa republica remanſiſſe. Deinde iterum captat beneuolentiã à perſona Flacci conuerſus ad Lælium oppugnantem Flacci integerrimam multis officiis vitam.

DIVISIO.

ET A TESTIBVS læditur &c.) Hic eſt diuiſio, cuius diuiſionis ea ſpecie vſus eſt Cicero, quæ expoſitio nominatur, quibus enim de rebus dicturus ſit exponit hic breuiter, & abſolute, & ſecundum hanc expoſitionem tota oratio ſubſequens tractatur à Tullio, vt ex arte ſua conuenit.

CONFVTATIO.

PER DEOS immortales Iudices, &c.) Hic eſt confutatio quæ eſt ſemper adeo vtilis ac idonea defendenti, vt alia fere confirmatione non egeat, cum præterea etiam ſua confirmare videatur, qui aliena confutat, vt ſæpiſſime dictum eſt. In hac igitur cum agatur cauſa in cõſtitutione cõiecturali, vtitur locis cõiecturæ. & quoniã accuſantes ſuã cauſam confirmationémque fundauerãt per locum à teſtibus, quos ex Aſia adduxerant contra Flaccum, opus fuit vt Cicero eorum dicta refelleret per locũ præcipue cõtra teſtes, quod facit artificioſe. Vtitur enĩ primo argumento illo quod ipſe in arte docet ab argumento, & ſignis contra teſtes opponi. Nã ſic incipiens confutare multa cũ elegantia verborũ vim illius loci cõis adſumit, videlicet plus oportere credi argu-

mentis,& signis quam testibus.nam admirãdo quærit à iudicibus an credituri sint testibus ignotis, nihil ipsa coniectura iudicaturi,in eo præsertim cuius vitæ innocẽtissimæ multa sunt signa & argumenta,vt ipse ostẽdit cum ante actã ab eo vitam in officiis aliis cum multa laude commemorat, quod totum ad id refertur,vt credi debitum videatur his argumentis & signis,non testibus.

A T QVOS testes &c.)Postquam Cicero demõstrauit nullis omnimo testibus esse potius quàm Flacci vitæ credẽdum, hic ostendit hos præsertim testes reiiciẽdos.Arguit itaque contra testes generaliter,talium in dicendis testimoniis inconstantiam demonstrando,cum dicit testes Græcos esse,& illiteratos,& leues, & impudentes,& causis variis cõcitatos. Cumque inuehitur in vniuersum genus Græcorum testium ostendendo eos nunquam religionem, & fidem in dicẽdis testimoniis coluisse,sicut Romani colũt,semper eos impudẽtissimos testes fuisse', & infames ipso prouerbio.deinde recitato insidioso accusatoris modo & inquisitione per ipsum habita contra Flaccum,ostensaque Græcarum nationum natura,testimonia ita confutat,vt ostendat illa nõ esse nec debere testimonia vocari. Deinde arguens contra crimẽ ipsum id egregia ratione confutat, cum demonstrat nullam surripi potuisse pecuniam, cum ipsam in ærario non habeant ciuitates, nec tributo imposita appareat, nec versura collecta cũ nullæ creditoris tabulæ proferantur,quas tamen si proferrẽtur multa suspitione commaculat, testesque ipsos multis argumentis ostendit cupide dicere atque mentiri. ita vt eorum dicta, & illa sophismata ciuitatum nullatenus pro testimoniis habenda videantur, quæ omnia induxit summa cum arte & elegantia orationis ad cõfirmandũ locum illum contra testes,quo maxime loco hac egebat in causa.

ETIAM IAM VNIVERSA istorum, &c.) Postquam supra Cicero in vniuersum confutauit testimonia leuissimæ nationis,hic crimen à prouincia Asia obiectũ Flacco confutat.quod erat huiusmodi, Flaccum inutili impensa remigum prouinciam Asiam onerasse. Itaque propter depulsionem Flacci ad huiusmodi intentionem, quæ

est, Iniuria remiges imperasti: Depulsio vero, Iure imperaui, Constitutio iuridicialis hic incidit. fatetur enim fecisse, & iure fecisse defendit. quod vt posset Cicero iudicibus demõstrare, tria confutanda erant quæ obiici potuissent, Iniuria ipsum remiges imperasse, quia non licuisset imperare. Item, quia non fuisset opus imperare. Item, quia nauis nulla nauigasset. Hæc tria triplici constitutione confutat, primum in iuridiciali absoluta, cum dicit iure fecisse, quia licuit: licuisse autem per locum à lege demonstrat, quia senatusconsulto &c. Secundũ vero in iuridiciali adsumptiua ex comparatione, cum hanc agitet controuersiam, fuerit ne vtilius remiges imperasse vel non, in qua quidem constitutione cũ quæri ex arte conueniat de eo quem oportuerit iudicare, an fuerit vtilius, quærit hoc Cicero vtrum scilicet Græci statuent, & exteræ nationes, an Prætores imperatoresque Romani, vt ostendat non prouincialium, sed ipsius L. Flacci hoc proprie fuisse iudicium. Deinde ostendit fuisse honestius atque venustius remiges habuisse propter dignitatem, & splendorem populi Romani. deinde arguit vtilius fuisse propter præsidium, quod multis argumentis ostendit, & in contrarium obiecta confutat, sic vt appareat opus fuisse ipsum remiges imperasse. Tertium autem agit in constitutione coniecturali, Classem ad tutelam & præsidium nauigasse, quod per locum à testibus probat: & vt nulla fraudis suspitio remaneat, quod de numero nauium, & de descriptione æquabili sumptus obiici posse purgat.

SED QVONIAM DE TOTIVS communis Asiæ, &c.) Cicero prosequens suam confutationem in constitutione coniecturali, postquam confutauit crimen à tota Asia obiectum Flacco, confutat eidem obiecta crimina specialium personarum, & arguit per locum contra testes singulorum vitæ turpitudinem detegendo, & ostendendo eos cupide dicere atque mentiri. quoniam autem causa multum lædebatur à testibus in multa testium confutatione consistit.

ITA QVE ciuitatis prudentis, &c.) Quia hac in parte ita confutat, vt conficeatur, quod ei de pecunia collata ad

honores patris obiiciebatur, & se id iure fecisse defendit, quia illam sibi pecuniam accipere licuerit, constitutio variatur, & fit iuridicialis absoluta.

ASPICIANT hunc florem, &c.) Parumper aduersariis scelere notatis infami, vt in eos odiũ iudicum irritaretur, vt appareat non omnes exteras ciuitates inimicas Flacco esse, sed leues tantum, & male institutas, bene autem moratas & nobiles Flacco fauere: eas quæ pro Flacco sunt numerat, vt oppositis grauissimis contra leuissimas, probatissimis contra infames causam suam per locum à testibus, & cõtra testes extollat ac roboret.

SEQVITVR auri illa inuidia, &c.) Hac in particula dum crimen de auro refellit incidit constitutio iuridicialis absoluta. Nam Flaccum iure fecisse demonstrat, vt patet in litera orationis.

VENIAMVS iam ad ciuium Romanorum, &c.) Hac quoque in parte iuridiciali absoluta constitutione agit causam contra obiecta aliquorum ciuium Romanorũ, cum ostendit Flaccum iure fecisse, quod fecerit, tum in causa Deciani, tum in hæreditate Valeriæ Sextilii vxoris, tum in causa liberti Lurconis villicique Septimii.

AT FALCIDIANVM crimen est ingens, &c.) Hic cum obiectum per Falcidii epistolas crimen neget, testimoniúmque refellat voracissimi hominis, causa ad coniecturalem constitutionem tracta est: & per locum contra testes argumentum est sumptum.

SED quid ego de epistolis, &c.) Pars hæc est à causæ constitutione remota, & digressiua, sed sũmo artificio collocata. Nam hic Cicero aduersarios ducit in odium, & exempla proponit quorundam qui exigente R.P. statu absoluti fuerunt, quasi per hoc innuens immo clare significans absolutionem Flacci ad statum communem, & publicum pertinere.

CONCLVSIO.

ET SI PRODESSE Lucio Flacco, &c.) Ab hac parte præcipue incipit iudices deprecari, & acriter niti ad misericordiam commouendam, & sic orationem de-

precando concludit,vt conclusio videatur ex commiseratio ne constare. Ostendendo enim variam fortunarum commutationem,& in quibus incommodis sit futurus nisi causam obtinuerit enunciando, & supplicando, & subiiciendo se potestati iudicum quorum misericordiam captat, & inducendo lachrymas miserabiles,atque preces filii Flacci deprecãdo cõcludit,& adfectus hoc potissimũ loco effũdit. in quo oportet, vt placet Quintiliano,affectus maxime effundere.

DE ELOCVTIONE.

VLTIMVM est vt de elocutione videamus,de qua plane per omnia sic dicendum,vt est dictum supra in Pompeiana,& de huius similiter est exornationibus perscrutãdũ.

COLORES.

EADEM à vobis,coniugibus,liberis vestris &c.) Articulus est. Vastitatem à templis,delubris,vrbe, Italia,&c.) Articulus est. Vt omnia R.P.subsidia,&c) Articulus est. Si nunquam reipublicæ, &c.) Articulus est. Hoc tempore,hoc inquam tempore,&c.)Conduplicatio est. De ciuitatis statu,de communi salute,&c.)Repetitio est. Perfugia bonorum,præsidia innocentum &c.) Articulus est.

Quem enim alium appellem?quem obtester?quem implorem?&c.)Repetitio est.Item subiectio. Nisi hoc loco, nisi apud vos,nisi per vos. Repetitio est. Quid authores? quid duces ? quid principes?) Repetitio est. Prætereo illa quæ prætereunda non sunt.) Occupatio est. Multi boni, docti,prudentes.)Articulus est. Multi impudentes,illiterati,leues.) Articulus est. Tribuo illis literas, do multarũ artium disciplinã &c.) Dissolutum est. Omnes se spoliatos, vexatos,fortunis euersos,&c.)Articulus est. Ad id se parat, nihil curat aliud, &c.) Dissolutũ est. Vinci, refelli, coargui,&c.) Articulus est. Comitatum dico,immo quantus exercitus,&c.) Correctio est. Authoritatem,gratiam, copias,opes,&c.) Articulus est. Illa vetus quæ quondam opibus imperio gloria,&c.)Articulus est. Tum bella inutilia suscipiebant,&c.) Hic est repetitio. Adolescens bonus honesto loco natus, &c.) Articulus est. Venit in oppidum Græcorum,&c.) Dissolutum est. Audire temeritatem vul

gi audire,&c.)Repetitio eſt. Duæ rationes conficiẽdæ,&c.) Diuiſio eſt. Vnà ſedent,ex accuſatorum ſubſelliis ſurgunt, &c.) Diſſolutum eſt. Bene teſtem interrogauit,&c.)Diſſolu tum eſt. Hi viuunt cum inimicis,&c.) Diſſolutum eſt.

Confeſſoribus,conuiuis, contubernalibus, &c.) Articulus eſt. Nihil religione teſtatum, &c.) Hic eſt Repetitio.

Omnia corrupta libidine,iracũdia, ſtudio,precio,periurio, &c.) Articulus eſt. Claſſes prædonum,vrbis portas.) Articulus eſt. Suſtulit,pacẽ maritimã ſumma virtute atq; incredibili celeritate confecit,&c.)Diſſolutum eſt.Omnis ſi nus,promontoria,littora, &c.) Articulus eſt. Aliud vidit, exiſtimauit quocunque tempore,&c.) Diſſolutũ eſt.Sed quo niam de totius communis Aſiæ, &c.) Tranſitio eſt. Vnus Aſclepiades fortuna egens,&c.) Articulus eſt. Teſtarer pu blicanos,excitarem negociatores,&c.)Diſſolutum eſt.Si præ tor dedit,vt eſt ſcriptum à quæſtione numerauit,&c.) Grada tio eſt. Quæritur grauis,locuples,ornata, &c.) Articulus eſt. Nobiſcum eſt confitendum ſi conſiliis principum, &c.)Diuiſio eſt. Vtrũ vultis patri Flacco licuiſſe, nec ne ſi licuit,&c.) Diuiſio eſt. Vnde humanitas, doctrina, religio,&c.)Articulus eſt. Et eorum eadem terra parẽs altrix patria,&c.)Articulus eſt. In hominum leuitates, inconſtã tiam,cupiditatem,&c.)Articulus eſt. Quoniam quidem furtum nuſquam reprehendis,&c.)Diſſolutum eſt. Adferens faciem nouam,nomen vetus,&c.) Articulus eſt. Cur nõ Pergami, Smyrnæ, Tralibus, &c.) Articulus eſt. Ociũ te delectat,lites,turbæ,&c.) Diſſolutum eſt. Item Articulus.

Aminthus eſt genere,honore,exiſtimatione, &c.) Articu lus eſt. Sciunt hoc omnes nobiles,&c.) Repetitio eſt. Itẽ Diſſolutum. Reſtituat vxorem,reddat miſero patri filiam &c.)Diſſolutum eſt.Filiam,filiam inquam ærumnoſo patri &c. Cõduplicatio eſt. Sed quæro,vſu,coemptione, vſu nõ potuit,&c.)Diuiſio eſt. Litemus igitur Lentulo,parentemus Cethego, &c.) Diſſolutũ eſt. Harũ rerum authores, duces,principes.)Articulus. Vis abſit, ferrũ ac lapides remoueantur.)Diſſolutum eſt.) O dii immortales, quid hoc miſerius, &c.) Exclamatio eſt. M. Aquilium patres no-

ſtri &c.) Exemplum eſt. Dabitur de ducibus authoribusq; conſeruandæ ciuitatis,&c.)Repetitio eſt. O nox illa quæ penè æternas,&c.)Hic eſt Exclamatio. Tu tamẽ Flacce Prætor communis exitii nuncios,&c.) Repetitio eſt. O nonæ ille Decembris, &c.) Exclamatio eſt. Similiter parum infra,O nox,&c. Miſeremini familiæ iudices,miſeremini fortiſſimi patris,miſeremini filii,&c.) Hic eſt color Repetitio. FINIS.

INDEX XI ORATIONVM M. T. Ciceronis,quarum artificium ANTONIVS LVSCHVS enarrauit,

PARISIIS
EXCVDEBAT IOANNES LODOICVS TILETANVS
MENSE MAIO
M.D.XXXVI.

